PRACTICA

Seu

METHODVS CVRANDI MORBOS INTERNOS,

CVM GENERALIS, tùm particularis,

Tradita primum & prælecta

A

PRÆCLARISSIMO AC EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. CASPARO PEVCERO BVDISSINO,
Philosophiæ ac Medicinæ Doctore eximio,

INQVE ACADEMIA WITTENBERGENSE Professore olim ordinario primario.

NVNC VERÒ

IN LVCEM PVBLICAM EMISSA, dupliciq; Indice locupletata.

FRANCOFORTI
Typis Nicolai Hoffmanni, Sumptibus
Ioannis Berneri.

ANNO MDCXIV.

ILLVSTRI

Ac

GENEROSO

DOMINO, DOMINO WOLFGANGO ERNESTO &c. AB ISENBVRG, COMITI IN Büdingen, &c. Domino suo clementi,

PETRVS UFFENBACH *REIpubl. Francofurdensis Medicus ordinarius,*

τὸ ὑγιαίνειν.

QVAM truculentum ac perniciosum animal sit INVIDIA, Illustris & Generose Comes, Domine clemens, non ex scriptorum solummodo testimoniis constat, sed experientia etiam plus, quàm honestus quisquam facile optauerit, illud ipsum testatur.

)(2 Quan-

Quantum enim ad testimonia, variè hęc ipsa bestia ab autoribus describitur; vt à Ioanne Damasceno: *Tristitia de bonis alienis*: ab Hugone & Augustino: *Odium felicitatis alienæ*: ab Aristotele, *Tristitia in apparenti felicitate alicuius.* Et à Cicerone, *Ægritudo suscepta propter res secundas, quæ nihil noceant inuidenti.* Imò, *Inuidiâ*, inquit Petrus Rau. *quodnam monstrum monstruosius? quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? & quæ pœna pœnalior? Hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, & corruptionis aculeus.* Item, *Nullum*, refert alius quidam in dialogo, *est ex omnibus vitiis inuidia pigrius, cùm altos in animos non ascendat. Nullum quoque miserius. Itaque reliqua omnia bonum aliquod, licet falsum, præsupponunt. Hæc solis malis pascitur, & torquetur bonis, & quod aliis optat, iam sibi habet malum.* Et, quod omnium maximum, Chrysostomus inuidiam pestiferum malum vocat, quæ hominem in diaboli conditionem, & in dœmonem immitissimum conuertat. Tandemque Augustinus: *Inuidia*, inquit, *vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur, vt damnetur, adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed homini stanti inuidisti.*

Libro 2. de Sacrament.
Lib. 2. Topicorum.
Lib. 4. Tuscul. quæst.
In Homil.
Lib. 1. de doctrina Christiana.

disti. Hinc non immeritò absurdum esse Antisthenes dicebat, triticum purgare à lolio, bellum ab inutili milite, & à Republica non secernere inuidos, vtpote multò illi, quàm lolium tritico & ignauus bello inutiliores. *Laertius lib.6.cap.1.*

Cùm itaque tam pessime apud bonos quosque audiat, cùm bono viro nunquam vlla de re innasci debeat inuidia: cùm Periander dicat, Μηδενὶ φθόνει, *Nemini inuideas*: Et cùm Phocylides: *Plato in Timaeo.*

Ne inuideas bona sociis, ne maculam contrahas:
Sine inuidia cœlestes etiam inter se sunt.
Non inuidet Luna multo præstantioribus Solis radiis.
Non tellus cœlestibus altitudinibus, cùm subter ipsa sit.
Non flumina pelagis, sed semper concordiam habent.

Non ineptè quæret quispiam, vnde sit, quod non vulgus tantùm odio prosequatur vulgum, ac figulus figulo inuideat, faberque fabro, vtpote quibus de huiusmodi sapientum dictis præceptisque nihil constat; sed quod vermis isthic etiam literatos adoriatur, ipsorumque interiora rodat. Præter commune responsum, quòd scilicet homines sunt, quorum ingeniis hoc vitium à natura insitum, audiamus de hoc etiam Augustinum, qui, *Inuidia*, inquit, *est odium alienæ felicitatis respectu superiorum, quia* *Aristot. lib. 2. Rhetor.* *Hesiodus.*

tis non æquatur: respectu inferiorum, ne sibi æquentur: respectu parium, quia sibi æquantur. Quemadmodum ergo non quæuis arbor patitur complectentem se vitem, sed quædam præfocant eam & extinguunt; ita ambitiosi quidam iuuenes ob inuidiam premunt, ne quando emergant. Econtrà iuuenes senioribus in eadem professione cum ipsis existentibus etiam oculos ipsamque vitam, nedum honores plerunque inuident. Cùm itaque talis sit mos hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere, hocque vitium ceu pessimæ & fœcundissimæ simul matris, Superbiæ, filia, adeo sit commune & peragatum, quis, obsecro, dubitabit, eo ipso fieri, vt tam innumera ac præclara præclarissimorum virorum scripta in multa sæpe sæcula supprimuntur, nec ad manus posteritatis perueniunt, cùm dentes nonnulli potius, ipsosque oculos è vestigio erui paterentur, quam quod vel propria sua scripta, vel quæ à præceptoribus collegerunt, vsui publico commodarent. Qui sanè, licet scientiis eruditissimi, ob animi tamen molestiam inuidiamque nolentes aliis desiderantibus communicare, ab Apollonio similes habentur malis vasis, quæ in se multa qui-

Cicero de clarâ orat.

ea quidem bona recondunt, sed antequam vsum sui præbeant, corrumpunt; parum scilicet memores illius vulgati, ἄφθονοι Μουσῶν θύραι: *Expertes inuidiæ & apertæ Musarum debent esse ianuæ.*

Quale autem huiusmodi vulturibus, (vtpote quibus Basilius inuidia correptos comparat) sit exspectandum præmium, Dion Chrysostomus perpulchrè exprimit, dum lapidibus eosdem obruendos statuit, qui præceptorum suorum doctrinas vel subuertunt, vel deuastant, vel etiam supprimunt, non minus, quam qui templum aliquod demoliuntur, vel aliis ad illud ipsum viam intercludunt. *Homil. 7. ad Roman.*

An verò & hoc nostrum opusculum, CASPARI PEVCERI videlicet Practica medica, quam ille annis post natum CHRISTVM M.D.LXII. & M.D.LXIII. suis auditoribus in Academia Wittenbergensi publicè prælegit, ab hoc ipso dæmone fuerit impeditum, quin minus in lucem prodire potuerit, nouerint illi, penes quos Exemplaria fuerunt: Ego neminé accuso, qlibet fortè suas habebit causas, quibus se defendere possit; sin minus, audiant Chrysostomum: *Inuidet quidē dæmon,*

inquit ille, *sed hominibus: tu verò cùm sis homo, hominibus inuides, & quomodo consequeris veniam?*

Quod verò, Illustris & generose Comes, Domine clemens, virtuti honorique Tuo hanc Practicam dedicare præ cæteris tentauerim; hoc me (vt cæteras meas rationes omnes silentio prætereeam) inprimis impulit, quia non dubitabam, illius autorem, velut multis heroibus notissimum, etiam T. illust. Gener. non fuisse incognitum, & ideo propter eundem etiam opus ipsum tantò magis fore gratum & acceptum. Quod vt fiat, humili animo & debita submissione oro, Tuamque illust. Gen. cum vniuersa progenie Isenburgica protectioni diuinæ vnicè commendo. Exaratum Francofurti ad Mœnum ipso die Ernesti, qui erat *12.* Ianuarii, anno recuperatæ per Christum salutis M. DC. XIV.

INDEX

INDEX
CAPITVM IN HOC OPVSCVLO CONTENTORVM.

PRACTICA GENERALIS.

)?(5 De mo-

PRACTICA PARTICVLARIS.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

De para-

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

CAPVT

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

Devo-

De cu-

CAPVT XVIII.

CAPVT XIX.

CAPVT XX.

CAPVT XXI.

De cura-

CAPITVM.

CAPVT XXII.

INDICIS CAPITVM FINIS.

CASPARI PEVCERI

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS EXIMII, INQVE ACADEMIA WITTENBERGENSI PROFESſoris olim ordinarii primarii.

PRAXIS MEDICA, ET PRIMVM quidem generalis.

PROOEMIVM.

ARTIS medicæ eam partẽ, quæ tuendæ conſeruandæque ſanitatis ac fouendæ, ſi adſit, rationem explicat: & ne illa, quæ ſecundùm naturam eſt, διάθεσις corporum, degeneret atq; corrumpatur, præſtat; ὑγιεινὴν, quæ ne adhæreſcant, & confirmentur cauſæ morbidæ, quæ infeſtare naturam atque afficere ſolent, neq; quæ imminent & minitantur naturæ affectiones παρὰ φύσιν, erumpant; aut ſi erumpunt, ne perdurent ac propagentur, præcauere docet: & vniuerſim, quæ monet, quomodo noxia & aduerſa naturæ, aut anteuertenda, aut amolienda ſint, priuſquã inuadant, & maturè reprimenda, priuſquam in morbum exeant, vel inueteraſcant, & morbum augeant, eam προφυλακτικὴν. Denique, Ὑγιεινή. Προφυλακτική.

quæ affectionem præter naturam, iam impressam corporibus,& ea infestantem cum læsione actionum propriarum, quę inquam illam tollere & extirpare docet, ea cõstitutiòne, quæ secundùm naturam est reparata atque constituta, eam θεραπευτικὴν propriè nominarunt: *Quæ, quod aut ratione victus ac diæta expeditur, aut manu exercetur, aut vsu & exhibitione pharmacorum peragitur, distinguitur in* διαιτητικὴν, χειρουργικὴν, φαρμακευτικὴν. Scopus ac finis huius est, amissæ sanitatis reparatio ac restitutio, quo ad eius fieri potest; sicut τῆς ὑγιείας conseruatio illius, confirmatio eius, quæ adest. Προφυλακτικὴ inter vtramque media cum vtraque commune quid habet. Nam & cum priore prouidet ac præstat, ne à constitutione naturali dimoueatur corpus in eam, quæ causis morbũ afferentibus & affectionibus præter naturam, sit obnoxia; & quæ cum θεραπευτικῇ curationem causarum respicit, hoc agit, vt eas, quæ morbos excitant, inferunt, aut alunt, causas præcidat & submoueat. Omissa autem priore, quæ tuendę sanitatis rationem profitetur, ac leges huius describit, quam libris sex Galenus complexus est, eam partem θεραπευτικῆς suscipiemus tractandam, quæ propriè dicitur φαρμακευτικὴ cùm aliqua parte τῆς προφυλακτικῆς, quãtum scilicet huius exegerit declaratio illius.

Θεραπευτικη.

Διαιτητικη. Χειρουργικη. Φαρμακευτικη.

Φαρμακευτικὴ ergo illa est, *quæ accommodatis affectui præter naturam remediis, hunc depellere docet atque elidere, vt prior, quæ secundum naturam est, reuocetur & instauretur.* Quorum vt hic actiones præstat vitæ necessarias & corpori proprias: ita ille lædit easdem vel diminuendo, vel deprauando, vel prorsus abolendo. Omnis enim præter naturam affectio.

Φαρμακευτικη.

ctio, illi, quę est secundùm naturam, constitutioni aduersatur & contraria est, atq; idcirco eam infestat & corrumpit. Non redit ergo naturalis constitutio, nisi affectione præter naturam amota atque depulsa; nō autem excutitur hæc aliter, nisi inductione ac restitutione Contrariæ, id est, illius, quæ ante fuit secundùm naturā, instauratione. Idcirco præcipuus, & vt Gal. inquit, γενικώτατος σκόπος φαρμακευτικῆς est, ἡ ἐναντίωσις, id est, *contrarii affectus inductio affectioq;*. Quod cum præstatur & velut eiectum cedit id, quod præter naturam inuaserat & insederat; redit altera, quæ fuerat secundùm naturam, constitutio. Quid verò sit cuiuis affectui præter naturam contrarium, & quomodo, quaq; ratione, quibus præsidiis, quo horum vsu hic destrui, prior reduci queat & debeat, de eo cōstituit φαρμακευτική. Huius cùm plurimū referat habere comparatam & animo comprehensam methodū, velut idæam & formam, quæ in conspectu sit semper & ante oculos, quæque velut norma perpetua ac regula dirigat medicationes singularum affectionum, primo omnium generalem quandā medicandi methodum trademus, quam copiose pertractatā in libris magnæ methodi Galenus variis exemplis illustrauit. Postea vsum eius declarabimus in singulorum morborū curatione; vniuersalium, q; fecit Galenus *ad Glauco.* & particulariū, q; idem præstitit *in lib. de compos. medicam. secund. locos.* Sunt autem tres fontes ἐνδείξεων θεραπευτικῶν, id est, eorum, quæ in ægrotis considerata, ostendunt medico, quid fieri quoque ordine & modo conueniat in omni medicatione. Hæc coniunctim & simul considerare necesse est.

Pharmaceutica præcipuus scopus.

Præcipui fontes.

I. Primus fons ea complectitur, quæ κατὰ φύσιν & secundùm naturam insunt & totis corporibus & singulis membris. Horum consideratio, vt dicetur, & ad morbi cognitionem deducit, & medicationes dirigit ac moderatur.

II. Alter fons habet ea, quæ præter naturã seu παρὰ φύσιν oboriuntur & existunt in corporibus, quorum demoliendorum & tollendorum causa medicatio instituitur.

III. Tertius cõplectitur ea, quæ corpora nostra ἐξ ἀνάγκης afficiunt atque alterant, quæque ad curationem habent rationem causarum, ὧν οὐκ ἄνευ, id est, sine quibus non. Horum trium fontium duo priores principales sunt: Oriuntur enim ex natura rei, suntq; intra corpora, & ostendunt, quæ & quanta facta sit mutatio à constitutione naturali, quomodo hic lapsus corrigendus sit: Posterior forinsecus accedit, cuius consideratio vt in acutorum morborum curationibus obseruari nequit; ita si morbi concedãt inducias & ferant moram, negligi neutiquam debet, sed intentio prior & præcipua sit in duos priores fontes, quibus cõstant ea, quorum alterum tollendum est, alterum reuocandum atque reducendum in idem subiectum.

PRIMVS FONS.

PRIMI ergo generis sunt I. οὐσία seu substantia totius corporis & singularũ partium. II. κρᾶσις, id est, temperies. III. δύναμις, id est, facultas, vis. IV. ἐνέργεια, id est, actio, effectus. V. χρεῖα vel εὐχρηστία,

χρῆσις, id eſt, vſus. Hæc quinque in totius corporis & ſingularum partium exploratione cognoſcenda ſunt & perpendenda accuratiſſime. οὐσία κρᾶσιν conſtituit, κρᾶσις δύναμιν, δύναμις ἐνέργειαν gignit, hæc vſum præſtat ſeu χρῆσιν. Ad οὐσίαν ergo refero, & ipſam, ſic propriè dictam οὐσίαν id eſt, ſubſtantiam totius & partium & διάπλασιν, σχῆμα, πλοκὴν, ὄγκον, θέσιν, ἀποφύσεις καὶ ἐμφύσεις, κοινωνίαν vel συμπάθειαν, οὐσία ipſa ſingularum partium ſignificat talem earum naturam ex materia tali, vel talium partium coalitum hoc modo cõfirmatum. Quæritur autem nomine οὐσίας, ſit ne pars ὁμοιομερὴς & ſimilaris, an ἀνομοιομερὴς & diſſimilaris ſeu organica; Et ſi ὁμοιομερὴς, an ſpermatica, an ſolida, an ſanguinea; ſi ſpermatica vel ſanguinea, quo ſit loco vel gradu. Multum enim à cartilaginibus oſſa, à tunicis venarum & arteriarum cartilagines & ligamenta; à neruorum & fibrarum ſubſtantia & cerebri aut medullæ dorſi, & arteriæ ac venæ differunt. Ita muſculorum caro eſt alia à viſcerum carne, quæ παρέγχυμα propriè dicitur, & hæc rurſus à glandularum carne diſcrepat, quæ ipſa etiam ſanguinea eſt. Sunt verò & παρεγχυμάτων differentiæ in ſingulis viſceribus. aliud enim eſt renum, aliud pulmonis, aliud cordis, aliud lienis, aliud hepatis, &c. Hæc verò non tantum ſecundùm vniuerſales differentias communes omnibus, ſed & ſingulares, id eſt, ſingulis proprias cõſtitutiones conſideranda ſunt. Si ἀνομοιομερὴς pars eſt, ex quibus ſit partibus ſimilaribus compoſita, præcipuè perpendendum eſt.

Οὐσία.

Vtrum pars ſimilaris vel diſſimilaris.

Κατασκευή.

Σύστασις ſeu κατασκευὴ ſeu διάπλασις eſt in vtriſque ſimilaribus & organicis ſtructuræ ipſius ſeu

compositionis fabricæ ratio, scilicet, solida ne sit coactaque, an rara & peruia pertusaque, an densa, ancompacta vel laxa dissolutaque & mollis, quæ ferè imbecillior est & languidior magisque obnoxia affectionibus.

Πλοκή. Πλοκὴ contextum ipsum implexumque distentarum partium ac distributionem idem, positum iuctumque ac connexionem & coalitum significat, vt fibrarum in tunicis vetriculi, intestinorum venarum, arteriarum, matricis, vesicæ, musculorum, carneæ substantiæ cordis. Item partium similarium reliquarum in fabrica organicarũ, vt neruorum, arteriarum, venarum in cerebro, thorace, epate, musculis, manibus, & pedibus.

Σχῆμα. Ὄγκος. Σχῆμα membri formam complectitur vt ὄγκος seu μέγεθος seu πηλικότης magnitudinem, quam decentem esse conuenit, & secundum naturam cuilibet membro similari vel organico accommodatam. Est aut alia capitis, alia cordis, alia hepatis, alia itemque lienis, & singularum partium organicarum forma & magnitudo, non vniuersim tamen & in genere, sed speciatim & in singulis. Ad magnitudinem etiam pertinet capacitas meatuum & cauitatum, quæ sunt in cerebro, vel in capite, pectore, corde, ventriculo & aliis partibus, scil. an sit iusta & naturæ cõgrua, an vero viciosa.

Θέσις. Θέσις situm partium indicat, non tantum dextrum & sinistrum, ad superiora vergentem vel inferiora, anteriora vel posteriora, sed & in profundum demersum & superficietenus extantem. Nec tantum singularum partium situm con-

considerari oportet, sed & coniunctarum, quæ vel ad membrum deducunt ac deuehunt Medicinam: Vel, quod euacuandum est, inde deducunt: Vt si epar laboret, considerari necesse est, quæ & quot partes propositæ medicinam remorari & prohibere transitum possint, quæ in ipso epate, quæ in membris inde propagatis.

Ἀριθμὸς seu numerus præcipuè consideratur in partibus organicis & maxime externis. Ἀριθμός.

Ad ἐμφύσεις & ἀποφύσεις pertinent exortus & propagines neruorum, venarum, arteriarum musculorum, membranorum, horumque distributiones, insertiones & implantationes in partes diuersas, scilicet à quibus ramis, à qua parte, & quos atque quot surculos venarum, arteriarum, neruorum, membra recipiant, vnde musculorum sint origines, & vbi capita eorum figantur, & in quas partes rursus defigantur propagines chordarum & caudæ. Ἐμφύσεις. Ἀποφύσεις.

Consensio & συμπάθεια mutuam inter se partium aut vicinarum aut longius etiam dissitarum societatem & coniunctionem complectitur, quæ consistit in tribus: Contactu scilicet, connexu & mutua communicatione rerum necessariarum. Contactum ὁμιλίαν vocant, sicut epatis gibbum attingit diaphragma. Connexum σύμφυσιν Græci vocant, id est, copulationem colligationemque cum vicinis partibus aut immediatam aut mediatam, quæ fit interuentu membranarum, tunicarum, vasorum, ligamentorum: Talis est connexus pulmonis & cordis cum thorace. Συμπάθεια. 1. ὁμιλία. 2. σύμφυσις.

3. κοινωνία. Communicatione rerum necessariarum κοινωνίαν vocant, qua scilicet aut recipiunt aliquid membra ab aliis, aut vicissim aliquid aliis communicant, vel per interualla meatusque certos, vel ex propinquo situ. Quod autem communicatur, vel est nuda qualitas, vel habitus, vel humor. Et hæc quidem pertinent ad considerationem substantiæ. Quantum verò præstent curationi, postea dicemus.

II. Κρᾶσις. Οὐσίαν comitatur κρᾶσις, quæ significat commoderatam primarum qualitatum & cuiuis parti attemperatam mixtionem. Hæc in aliis ad temperiem exactam propius accedit, in aliis ab eadem recedens longius ad caliditatem, aut siccitatem propius inclinat, in toto corpore & partibus singulis. Cumque Crasis sit temperies tantum partium similarium, actio omnis in toto corpore per se est à partibus similaribus per accidens ab organicis. Debet autem considerari κρᾶσις tum in toto corpore, tum in singulis partibus. Temperatior est & moderatior epatis calor, & modicè siccus, intensior & ardentior cordis, languidior & humidior neruorum.

Κρᾶσις epatis. 2. Cordis. 3. Neruorũ.

Si itaque horum membrorum aliquod aut calida fuerit affectum intemperie, aut frigida, corrigatur ea aliis in epate, aliis in corde, aliis in neruis, medicamentis. Et vniuersaliter hoc obseruandum est, *vt medicamentis misceantur, quæ calorem natiuum vniuscuiusque foueant membri.* Semper autem ad præsentem, quæ tunc est, membrorum temperiem, respiciendum est. Etsi enim natura primo, vt οὐσίαν, ita & κρᾶσιν format & absoluit, tamen mutant multa, & vel emendant &

κρᾶσις à natura ingenerata mutatur à causis.

dant & deprauant vel augent & diminuunt postea ætas, consuetudo aëris, cœlique & regionis constitutio. Mutationes enim, quæ ætate accidunt, sunt manifestæ. Fiunt enim aridiora omnia ætate & frigidiora; lenis & mitis calor infantum, quod in subiecto est humidiore; acrior & mordacior adolescentum, quod solida membra post humidi natiui depastionem, plus excreuerũt. Vrit autem vehementius calor in eodem subiecto sicco & solido, quam humido & fuso, si cætera sint paria. Tandem deficiente pabulo idoneo, quo calor alitur, ipse quoque marcescit, & fit languidior, augeturque paulatim frigiditas, qua cum ingruit calor alienus. Hãc temperamentorum diuersitatem & hæc discrimina secundum ætates, consuetudinem, & anni tempus, diligenter perpẽdi oportet; nam in his multum situm esse, medicationes ostendunt. Non dubium est, aliud infantibus, aliud adultioribus, aliud confirmatis aut prouectis ætate, peruenire; aliud æstiuis ardoribus, aliud hybernis rigoribus commodum esse.

Calor infantum. *Calor in siccis vrit fortius.* *μάραυσις* *Alia ratio curationis aliis temporibus.*

A temperamento δύναμις est seu facultas, seu vis effectrix certarum actionum necessariarum & parti ipsi, & vicinis aliis aut toti corpori, ideo læso temperamento læduntur & δυνάμεις, deprauato illo deprauantur; extincto extinguuntur & abolentur.

II. δύναμις

Tres autem distinctæ fontibus, organis, & actionibus δυνάμεις reperiũtur in corporibus, quàrum λογιστικὴ seu ἡγεμονικὴ ex cerebro per neruos dispensatur cũ spiritu animali, in partes sensu præ-

Facultates quot.

ditas, & motui voluntario destinatas. Ζωτικὴ autē θυμοειδὴς ex corde per arterias cum spiritu spiritali. Ἐπιθυμητικὴ vel θρεπτικὴ vel φυσικὴ ex Epate cum sanguine & naturali spiritu, per venas in corpus distribuitur. Gal. Platonis exemplo has δυνάμεις nominat indifferenter animas. Sed rectius est, vnā constituere animam, & huius, distinguere δυνάμεις diuersas, quam animas ipsas diuellere in plures.

Consideranda duo in δυνάμεσι.

in harum seu virium seu potentiarum distinctione, præcipuè cogitanda duo sunt.

1. Primum ordo earum, & ad vitæ conseruationē
2. distributio. Nam in illius conseruatione pręcipuè elaborādum est, quæ ad vitam maximè est necessaria. Postea sedes præcipuæ ac fontes, & organorum series, distributio ac copulatio.

1. Vitalis est bita.
2. Animalis
3. Naturalis

Prima ac præcipua inter facultates omnes Vitalis. Secunda Animalis. Tertia & Vltima naturalis dicitur. Vitali læsâ mox per sese languescunt, collapsâ concidūt, extinctâ moriūtur reliquæ, vtpote quæ ab hac per sese & immediate primo excitantur. Animali lęsa, nec vitalis per se nec naturalis lęditur sed per accidens.

Διάθεσις. Ἀποπληξίας.

Vitalis, ꝓpter impeditam & inclusam prorsus respirationem, vt in Apoplexia Paralysi, Epilepsia &c. Quò fit, vt qui expelli consueuerunt aëres & fuliginosi halitus ex corde, detineantur & conceruati strangulent ac suffocent cor; nec cor suo motu impellere pulmonem & pectus potest, nam cum cordis motu scōiunctus est mot⁹ pectoris, qui est à cerebro ꝑ neruos & musculos.

Naturalis lædit vitalē.

Naturalis vitalem lædit non suppeditando spiritui animali conueniens nutrimentum & pabulum. Vitalis reliquas omnes excitat, viuificat, & vegetat, & de potentia reducit ad actum. Nihil ēst animalis in ce-

in cerebro, nihil naturalis in epate, nisi vita præcedat, & vita extinctâ extinguuntur & ipsæ ac dispereunt & permanente permanent. Hoc cum animaduertisset Aristoteles, vitali potẽtia exclusa à numero, potẽtiarum vocat, animã, ἐνδελέχειαν πρώτην id est, ipsam vitam effusam ex corde, & viuificãtem organa reliqua corporis, quibus vita δυνάμει inest, q quod vita concepta δυνάμεις suas exerunt, hui⁹ communicatæ vitæ vi & efficacia. Ita in quauis parte, si vita extinguat, vt in Gangrænis, νεκρώσει & σφακελῳ mox naturalis extinguitur cum animali & sequitur putrefactio. Animali extinctâ non protinus vita extinguitur vt in paralysi, apoplexia non forti &c. Naturali extinctâ in aliqua parte, nec animalis desinit statim, nec Vitalis, vt in atrophia, hydrope, marasmo. Cum itaq; vitalis læsa, reliquas per sese lædat, ad hanc omni tempore & in omni morbo præcipuè est attendendum, in reliquis cum vicissim vitalem non per se, sed per accidens lædant, considerandum, quomodo & per quæ illa vitali noceant, vt scilicet talia corrigantur aut auertãtur, Sed grauius & periculosius est nocumentum, quod vitali infert læsa animalis, eò, quod ꝓficiscitur à læsa naturali, quæ eò vitali nocet, ꝗ non conueniens pabulum præbeat vel ꝑparet calori natiuo ad refectionem & instaurationẽ spirituum vitalium.

Artis doctrina de Vitali.

Ενδελέχεια. πρώτη est ζωτική Aristoteli.

Vitalis læsa reliquas per se lædit.

In organorum consideratione sedes præcipuè expenoenda est. Animalis cerebro insidet, & cietur crasi cerebri sed viuificata à corde. Huic seruiunt Spiritus animalis, nerui sensitiui & motiui, organa sensuum, organa motus voluntarii, membrorum musculi, Chordæ, memhra ipsa. Vitalis cordi

Sedes seu organa potentiarum & ministri harum.

cordi inhæret. Huic seruiũt vitalis spirit' sanguis tenuis & halituosus ac ferues, & arteriæ. Naturalis in epate est & partibus coniunctis, cui seruiunt venæ, Quæ cur prosit considerari, in actionibus facultatum dicam.

Simile

Gemina intentio Medici.

Præcipua autem inter hæc, quæ secundum naturã sunt, intentio debetur viribus, ad quas oculus Medici dexter, vt ad morbum sinister directus esse debet, vt cognoscatur & quantum sit mutata natura, & quantus sit lapsus virium & quantum sit efficiendum, vt hoc, quod decessit viribus, morbo profligato, reducatur ac redintegretur. *Natura est enim quæ morbis medetur*, vt inquit Hipp. Hac labefactata, frustra tẽtamus medicationes. Insunt autem hæ δυνάμεις principiis suis ac sedibus per sese, cæteris communicatione: quæ, in quacunque parte desinit, facit, vt cesset in ea ἐνέργια δυνάμεως. Quare & principiis ipsis & reliquis partibus organicis omnibus plures insunt δυνάμεις & ἐνέργειαι, quas accuratè dignosci oportet, vt quæ præcipuæ sint affectæ, & propter quas causas liquidò cognoscatur. Variè miscẽtur hæ δυνάμεις & earundẽ ἐνέργειαι in singulis partibus tam similaribus quam organicis. Omnibus insunt communicatione, quæ naturales vocantur, quarum fons est in epate.

Vis naturæ in profligandis morbis.

Δυνάμεις. communicãtur cæteris membris ex suis sedibus.

IV. Ενέργεια

δυνάμεων ἁλία ὑπηρετικαί.

Earum quædam ὑπηρετικαί, quædam ὑπηρετοῦσαι. Omnibus enim inest vitalis virtus, quæ in corde nascitur, & distribuitur membris per arterias, cum spiritu vitali. Sensus tactus omnibus inest partib. corporis, quibus sensu opus fuit. Reliqui sensus tãtum insunt destinatis organis. Motum localem habent, quibus ad eum motum organa natura attributa sunt idonea. Et has actiones δυνάμεων vo-

Tactus communis omnibus partibus sentientibus.

cat Gal. ἔργα τῆς ψυχῆς παρ᾽ἄλλο, eò quod ex ſuis principiis aliquid aliis per organa certa communicãt, Præter has ſunt & δυνάμεις aliæ, quarum ἐνέργειαι vocantur à Gal. ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτῶ, vt ſunt interiorum ſenſuum actiones in cerebro; affectus in corde delectatio & dolor ex appetitu; fruitione cibi & potus & rerum venerearum in epate. Videndum ergo in ipſis quidem principiis, quæ facultates præcipuè laborẽt, inſitæ ne ac propriæ, an communicatæ. In organicis vero membris, q̃ ex communicatis ſint affectæ, & an vna vel plures, vt in ἀτροφίᾳ, ὑδέρωπι & ſimilibus laborat facultas naturalis. In Gangrænis, νεκρώσει, & vniuerſim in putrefactionibus & febribus vitalis In ſtupore, paralyſi, apoplexia, epilepſia, animalis.

Delectatio & dolor.

Conſideratio organicorum membrorum,

Cumque facultates communicatæ miniſterio certorum organorum vtantur per quæ diſtribuũtur, coniungenda eſt contemplatio omnium horum: Principii, vnde facultas deriuatur; Medii, quod exceptum defert ad membra; organorum virtutẽ continentium & deducentium cum ſuo ſubiecto; & partium ad quas deriuatur. Et diligẽter ſcrutandum eſt, an principiũ laboret, an ſit vitium in ſpiritibus aut humoribus, an ſint affecta organa, aut pars ægrotet, quæ virtutem communicatam excipere debebat. Vt ſi in oculo ſit affecta viſio, q̃rendum, vitione aliquo oculi aut nerui optici, aut ſpirituum animalium, aut cerebri hoc fiat. In gangręna certarum partium aut νεκρώσει, fons vitalis virtutis non laborat, neque eſt in ſpiritibus vitalibus vicium, nec organa, quæ ſpiritus vehunt, deſunt ſuo officio, ſed affectæ partis talis eſt labes, vt fruſtra ei vita communicetur, quam admittere & recipere nequit.

In facultatibus communicatis conſiderãda principium, medium, pars accipiens.

nequit. In magnis obſtructionibus epatis corpora emaciantur & fabeſcunt, non tam vicio ipſius Epatis, aut nutrimenti, aut membrorum, quibus eſt opus nutritione, quam vaſorum deferentium nutrimentum, quibus obſtructione intercluſis fieri diſtributio nequit.

In hydrope epar languet: membra nutrienda valent rectè

In hydrope extremis marceſcentibus virtus ipſa membrorum nutriendorũ læſa non eſt, & nihil impedimenti eſt in vasis, ſed aut languet, aut prorſus periit virtus Epatis, quæ nutrimentum non elaborat. Extenuãtur ergo extrema, non ſuo aliquo vicio vaſorum deferentiũ, ſed principii.

Melancholicæ affectiones.

Denique præcipua ſit cura cognoſcẽdi, quæ δυνάμεις vel facultatum ἐνέργειαι in toto corpore, vel quauis parte præcipuè laborent, & quantum. In Melancholicis affectionibus infecta

Epilepſia.

præcipuè eſt cerebri temperies & ſpirituum. In Epilepſia præter hæc & membra læduntur, quibus facultas animalis cõmunicatur.

V. *Χρεῖα ſeu εὐχρηστία.*

Χρεῖα ſeu εὐχρηστία de vſu monet, quos præſtat pars qualibet neceſſarios, aut toti corpori, aut & partibus principib⁹ ad vitæ conſeruationem aut reliquis. Reſpondet autem χρεῖα primo & immediatè actioni, ſecundo membro.

Alii Organicarũ partium vſus.

Et ſunt vſum alii neceſſarii ad vitæ conſeruationem, vt quos præſtant omnes partes principes, vel per ſe vel aliarũ ope; Alii ad bene viuendum conferunt, vt multarum organicarum partium vſus, quibus amiſſis, etſi vita nec periclitatur,

Conferunt ad bene viuendum vita nec periclitante nec extincta.

nec extinguitur, perit tamen vſus alicuius actionis homini neceſſariæ ad alias vitæ operas, vt organis olfactus corruptis, perit ſenſus olfactus; teſtibus exciſis procreationis facultas adimitur, non vitæ.

Alii

Alii rurſus his partibus tuendis, muniendiſq; ſeruiunt, quæ aut vitæ, aut aliis rebus vſus neceſſarios præ-

præſtant. In medicationibus itaque ratio ſemper habenda eſt præcipua illarum partium, quarum potior & magis neceſſarius eſt vſus.

ALTER FONS.

Hic affectiones præter naturam complectitur, quæ ſemper indicant deſtinctionem ſui & demolitionem. Affectionum præter naturam tria ſunt genera in corporibus: Morbus, morbi cauſa, & ſymptomata morbum conſequentia. *παρὰ φύσιν διαθέσεις tres.*

DE MORBIS.

Morbum cum definit Gal. vocat διάθεσιν *vel affectionem ſeu habitum præter naturam, quæ primò ac per ſe lædit actionem.* *Morbus quid.* Eſt ergo læſa actio proximum & immediatū morbi ſymptoma, cuius ipſe morb⁹ eſt αἴτιον συνεχές & continens ſeu coniuncta cauſa. Neque eſt vnquam in humore aut ſpiritibus morbus, aut aliqua ex humoribus præter naturam genita, vt Calculo, vermibus & ſimilibus, ſed eſt *affectio partis lædens ipſius actiones.* Humores aut ex humoribus nata, diuerſo reſpectu, aut cauſæ ſunt morborum aut ſymptomata. Humor putridus febrim accendens non eſt, vt vocant, febris ad æqua tum ſubiectum, ſed cauſa febris. Humor obſtruens non eſt ipſe morbus, ſed cauſa ei⁹ συνεχὴς ſeu cōiuncta morbus ipſe obſtructio eſt, id eſt impedita cauitas. Repletio efficiens ſpaſmum, morbus eſt: humor imbuens neruum, morbi cauſa coniuncta eſt, ſed humor excitans

citans tumorem propter naturā non est morbus sed morbi caussa, qui quidem morbus ex compositorum morborum genere est. Calculus non est morbus, sed respectu calidæ intemperiei renum, qua attrahitur materia calculi & cogitur duraturque in lapidem, symptoma est, respectu obstructionis, quam facit, morbi caussa est συνθέσεως. Ac semper mementote, *morbum esse affectionem membri, quæ lædit ipsius actionem. Primo ac per sese, non per aliud interueniens, aut per accidens*; Et subiectū adæquatum morbi cuiusque est ipsum membrum affectum, non humor aut Spiritus aut aliquid ex humore natum. Est enim morbus seu διάθεσις seu ἕξις quæ acquiritur motibus earum formatum, eademque deponitur, secundum quas motus ipse per se rebus inest. In similaribus autem fiunt acquisitiones & abolitiones habituum propter qualitates passibiles. In organicis propter incremētum & decrementum magnitudinis, aut materiæ motum. Vnde figura, numerus, conformatio membrorum mutatur. Et differunt motus vel alterationes præcedentes morbum, quę sunt πάθη aut παθήματα & γιγνόμενα νοσήματα, à morbis ipsis, qui sunt impressæ aut inductæ motu affectiones præter naturam, sed termini motuum alterationum. Cùm autem prima & præcipua ἔνδειξις sumatur ab ipso morbo, omni cura præstandum est, vt hic accurate & diligenter cognoscatur, & expendantur omnia, quæ ad curationem morbi, quantum attinet ad ipsum morbum, sunt necessaria. Horum primum & pcipuum est genus, scilicet simplex ne sit morbus, an compositus: si simplex, an sit morbus partium similarium, an organicarum, an ex illorū morbo-

Morbi subiectum.

In morbis curandis spectandum morbi genus. 1.

morborum genere, qui ſunt partibus vtriſque cõmunes. Similares partes tantum afficiuntur dyſcraſia ſeu intemperie, qua vitiatur, & à naturali conſtitutione in præter naturalem dimouetur craſis ipſorum, quæ eſt virium & actionum omnium cauſa, vulgo vocant morbum Complexionis. Sunt ergo ſimilarium partium morbi omnes dyſcraſiæ, quæ ſunt contrariæ temperiei naturali partium; eæque aut ſimplices aut compoſitæ ſunt; ſed ſolæ dyſcraſiæ, ſcilicet quæ ſolis nudiſq; qualitatibus conſtant. Nam intemperaturæ cum humoribus non ſimpliciter morbi ſunt, ſed morbi cum ſuis cauſſis compoſiti; in quibus humores, qui pariunt ac fouent ſua intemperie morbi dyſcraſiam rationem habent cauſarum coniunctarum. Organicis partibus morbi accidunt ex mutata figura & conformatione, magnitudine, poſitu, numero, qui vocantur vulgo morbi Compoſitionis. Vtriſq; cõmunes ſunt affectiones ex ſolutione cõtinuitatis. Subſtantiæ quidẽ in ſimilarib. cõpoſitionis ſeu coagmẽtationis ſeu ſtructuræ in organicis, quæ diuerſarũ partium coalitu cõſtant. In cõpoſitis morbis coniunguntur plures morbi ſimul, vt, in tumore pter naturã, intemperies membri, cõformationis mutatio ac magnitudinis, ſolutio cõtinui. Eſt aũt diligenter natura morbi cõſideranda, eo quod ad eam præcipuè & per ſe quæuis curatio dirigitur; quódque indicat illa, quid præſtandum ſit ac peragendũ; & quis ſcopus debeat eſſe vltimus curationis, vt poſtea dicetur. Intemperies omnis amiſſæ temperiei reſtitutionem, ſolutio continui ſoluti continuationem ac ſolidationem indicat ac requirit, ſic de cæteris.

II. *Quantitas eaq; bipartita.* Secundum in morborum consideratione locum habet quantitas morbi, quæ est aut continua aut discreta. In continua quantitate vis seu magnitudo morbi seu ἦθος, vt vocant, considerandum est, vel contra remissio morbi. *Magnus morbus.* Magnus morbus, qui vitam petit & vrget, talis est, vel propter præcellentiam partis affectæ vel propter ipsius morbi vehementiam, vel propter eiusdem malignitatem. Partis affectæ præstantia ex actionibus eius & vsibus ad vitam necessariis æstimatur: Morbi magnitudo & malignitas ex ipsius morbi natura & causarum morbum facientium: Deniq; vehementia ex periculo symptomatum. *Distinctio morborum.* Hinc distinctio morborũ est, quòd alij sunt ὀξέας; alij peracuti κατοξέας; alij longi, μακροὶ vel χρονικοί.

Acuti morbi aut sunt ἁπλῶς, simpliciter acuti, qui & intra diem quatuordecim integrè soluuntur & judicantur: Aut ὀξέες ἐκ μεταπτώσεως, id est, acuti ex decidentia, qui vltra septimum diem perdurantes vsque ad 40. extenduntur. *Acutorum diuisio.* Acuti omnes & peracuti magni sunt morbi. Peracuti, vt Angina, παρασυνάγχη, τέτανος, σπασμὸς, species composita, ex ἐμπροσθοτόνῳ & ὀπισθοτόνῳ, cùm membra vigent in rectum tensa; Item febres pestilentes, Apoplexiæ fortes, quæ rarò 4. diem excedunt. Acuti morbi, vt febres ardentes Pleuritis, Phrenitis, Epilepsia, Apoplexia minus fortis, peripneumonia, spasmus. *Alia eorundem diuisio. Alii ex calidis humoribus.* Acutorum morborum etiam alii ex humoribus sunt calidis, qui aut nullum obsederunt certum locum, sed æqualiter in totum sunt sparsi corpus animalis; Vt febres ardentes & pestilentes: aut certas occupant partes, suntq; aut acres, aut feruidi aut minus feruidi, vt

in An-

in angina, pleurititide, peripneumonia, qui morbi tales sunt propter magnitudinem incendij, sc. vehementiam & malignitatē putridi atq; ardentis humoris, & propter loci affecti præstantiam: Alii ex frigidis etiā fiunt humoribus, vt fortis apoplexia, spasmus, tetanus, epilepsia; illis febris semper adest, hic non item. Estq; apoplexia acuta cùm pp magnitudinem affectus, tum propter partē læsam. Distinguuntur acuti morbi ēt secundùm ἦθος, in eos, qui vocātur ἐπιεικέστεροι & mitiores, & ὀλέθριοι & κακοήθεις. i. e. Hi exitiales & maligni; hi vehementia sua & symptomatum vitā grauiter petunt; illi remissiora habēt omnia. Sic Gal. *in 4. parte Aph.* καῦσον in lethalem & mitiorem distinguit; & *in 7. Aph.* 11. eodem modo distinguit περιπνευμονίαν.

Alii ex frigidis.

Apoplexia cur acuta.

Tertia acutorū diuisio.

Morbi Chronici & longi ex frigidis, crassis, lentis, ac viscidis oriuntur humoribus, qui non facile concoqui possunt, & ferunt moram. Hæc discrimina quantum referat considerare, docet *pars 2. primæ sect. Aph.* Hipp. Peracutis morbis celeriter subuenire necesse est; nec morā ferunt acuti simpliciter; longiores inducias concedunt acuti ex decidentia; longissimas morbi longi.

Morbi chronici.

Quantitas discreta de numero admonet, vnusne sit præter naturam affectus in vna aliqua parte, an duo pluresvè. Complicantur enim non tantùm morbi cum morbis, vt primarij cum secundarijs, aut diuersi prorsus, sed & morbi cum symptomatibus, & symptomata cum symptomatibus. Si ergo plures concurrunt, & implicantur morbi, considerandum primò quis maximè vrgeat, & à quo vitę ægri pręcipuū immineat periculū. Is n. affectus, à quo præcipuū vitæ discrimen

Quantitas discreta.

I.

In complicatis morbis noxius maxime primus tolli debet.

men impendet, primus tolli debet, & interdum non primus tantum, sed ferè solus. Nam ad id malum, quod præcipuè infestat naturam, & maximè vitæ minitatur, necesse est curationis scopum ante omnia dirigi. Vrgebit autem maximè affectus præter naturam, vbi is magnus fuerit aut ex sua natura, aut quando malignus est, aut propter affectæ partis nobilitatem. Si plures æqualiter vrserint, vt singulis pariter subueniamus & auxiliemur, præstabitur. Secundò, si ea lege duo pluresve morbi coniungantur; vt sine altero alter discuti ac tolli nequeat præstandū vt ordine; quem morborum conditio præscribit, seruato, is primus extirpetur, quo non sublato non discedit alter. Vt si cū vlcere phlegmone inuadat, & si ad vlcus phlegmone consequitur, non tamen solidari vlcus potest, nisi sedetur phlegmone. Tertiò, si plures concurrant illa lege, vt vnus causæ reliqui effectuum habeant rationem, respiciendum est ad eum præcipuè, à quo reliqui oriuntur ac dependent, & quo vigente vigent, consistente, conseruantur illi atque existunt, vel adaugentur atque intenduntur, nisi; quod interdum vsu venit, illius morbi; qui se ad antecedentem habet, vt effectus ad causam, in tantum augeatur vehementia & magnitudo, vt magis vrgeat, & periculum intendat atque inferat præsentius, quam alter, nisi maturo occursu occludatur. Etsi enim symptoma per se nullam curationem exigit, quod vna cum morbo inuadit, & discedit cum eodem, exceptis illis casibus, in quibus symptoma ita confirmatur in affectis partibus, vt in morbum abeat, & morbis sublatis remaneat, tamen ex accidente sæpe cura-

2. Si plures concurrunt morbi.

3. Si vnus plurium causa sit.

Symptoma nullam curationem exigere.

curationem ſibi peculiarem vendicat, cum eò vſque malitiæ & vehementiæ proceſſit, vt non lædat tantùm virtutem, ſed proſtraturum eam prorſus videatur, priuſquam cauſa, id eſt, affectus ipſe præter naturam ſubmoueatur. Quare tunc danda eſt opera, vt antequam ad morbi curam accedatur, ſymptomatis ſæuitia mitigetur. Sic in colicis doloribus ſæpe curam ordiri oportet à ſedatione intenſiſſimi doloris, qui non mitigatus proſternet virtutem, priuſquam fieret euacuatio materiæ facientis dolorem. *Symptomata curantur quando.*

III. *Qualitas morbi σχετικὸς, ἑκτικός.*

Tertiò qualitas morbi inſpicienda eſt & expendenda, an ſit morbus σχετικὸς ſeu ἐν σχέσει, an verò ἑκτικὸς ſeu ἐν ἕξει. Etſi enim vterque μόνιμος eſt ſeu permanens, σχετικὸς tamen ac εὔλυτος eſt, ſolutu facilis, non contumax, nec pertinaciter inhærens, nec curationi renitens, vt febris ἐφήμερα. Ἑκτικὸς confirmatior eſt & ſolutu extirpatuque difficilior, vt ſunt putridæ febres & ἑκτικαί. Differt tamen vterque à morbo fiente, id eſt, cùm cœpit fieri mutatio præter naturam in aliqua parte, ſed nondum peracta eſt & confirmata, de quo infra dicetur. Deinde inquirendum diligenter, an σύμφυτος ſeu congenitus ſit morbus, an verò ἐπίκτητος ſeu acquiſitus. *Σύμφυτος, ἐπίκτητος.*

Congeniti qui.

Congenitos morbos aut naſcentes ſe cùm adferunt ἐνεργείᾳ aut δυνάμει tantum: ſcilicet aptitudinem naturalem ad tales morbos, quæ aut à parentibus propagatur & hæreditaria eſt, vt in affectionibus epilepticis, phthiſicis, arthriticis, nephriticis, podagricis & ſimilibus. Aut exiſtit ex habitudine & diſpoſitione membrorum &

& corporis, talibus morbis concipiendis idonea, vt quibus colla sunt oblonga & gracilia, pectus angustum, caput catarrhosum, ij sunt obnoxij phthisi. *Phthisici qui.* Quibus articuli naturâ languidiores, ij arthriticis doloribus sunt obnoxij. *Arthritici.* Non negligenda est ét cùm analogia morbi ad cõstitutionẽ naturalẽ totius corporis aut partis affectę, tum forma membri præter naturã, quam morbus efficit, præsertim in sinubus, fistulis, vlceribus. In morbis n. minus periclitantur, quorũ naturæ aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori magis congruunt morbi, quàm vbi nihil istorum congruit.

Quarta consideratio.

Quartò cõsiderandum, sit ne affectus κατ' ἰδιοπάθειαν, an vero κατὰ συμπάθειαν. Et rursus, an sit κατὰ πρωτοπάθειαν, an vero κατὰ δευτεροπάθειαν seu ὑστεροπάθειαν, id est, an sit affectus proprius, an verò per consensum; Et rursus, an sit primarius vel primogenitus, an verò secundarius & superueniens affectus. Deinde, an contagione serpat ac propagetur in alios: vel an sit sine contagione. Tum etiã an ex contagione morbus natus & cõtractus sit, an verò sine hoc spõte sua extiterit. Proprii & primogeniti affect⁹ suis dignoscuntur ac discernuntur accidentibus, & permanent cõtinuo, nec alijs antegressis superueniunt. *Proprii affectus.* Si nequeant proprijs discerni accidentibus, nec permaneant ijdem, sed ad alias præcedentes euidentes affectiones consequantur, per consensum fieri dicuntur.

Per consensum fieri dicitur tribus modis.

Id verò tribus fit modis, 1. læsa parte aliqua ab alia vel cum alia, aut δι' ὁμιλίαν, id est, vicinitatem situs & contactus, sicut tussis excitatur in obstructionibus epatis & intemperie ejusdem: In

1. δι' ὁμιλίαν.

tumore

tumore ventris ex hydrope, aſcite aut tympanite; In affectionibus oſculi ventriculi quandoque. Sic dolor ſentitur ſub ſcapulis, oſculo ventriculi obſito vitioſis humoribus. Aut διὰ συμπάθειαν propter connexum, coalitumque & ſocietatem partium ex coalitu. Sic renum vitia in veſicam, capitis in pulmones, ventriculum, neruos, venas, cutem, ſpinalem medullam deriuantur. Sic difficultas anhelitus ſæpe præcipitur in jecinore aut liene, ex inflammatione deorſum vergente, & eodem reuellente & contrahente diaphragma, cui annectuntur & adhærent hæc membra. II.

Aut διὰ κοινωνίαν, id eſt, rei alicujus communicationem, ſcilicet, ſi vel alteri parti ab altera communicetur aliquid præter naturam: aut non communicetur, quòd vna ab altera recipiebat ſecundùm naturam, certi vſus cauſa. Idque fit tribus modis, vt eſt apud Galenum, *in 1. & 3. de loc. affect.* Nam aut ex primo affectu humor quidam vel vapor, vel abſque hoc etiam qualitas maligna tranſmittitur ad aliam quampiam partem, in qua quod tranſmiſſum eſt, excitat affectum præter naturalem. Sic dolores capitis, vertigines, συγκοπὴ, ἐπιληψίαι, ex affectionibus ventriculi & matricis. Aut afficitur pats aliqua ob defectum materiæ, quæ ad actionem neceſſaria ipſi ex parte affecta accidere prohibetur, vt in hydrope, tabe, conſumuntur extrema ob defectum nutrimenti. Sic vocis vſus amittitur deficiente efflatione, quæ materiam voci ſubminiſtrat, pulmonibus inflatis ac diſtenſis, & aëre inde in aſperam arteriam expreſſo. III. διὰ κοινωνίαν.

Aut prohibetur deferri ad illam partem facultas opifex à parte affecta propter vitium aliquod illius primogenitum. Vnde illa pars, quę facultatem recipere consueuerat, eâ destitutâ, amittit actiones, quas illius auxilio edebat. Sic propter spinalis medullę inflammationem, aut luxationem vertebrarum comprimentium & contorquentium neruos corripit resolitio eas partes, in quas nerui ex spinali medulla deriuantur. Sępe ex sola compressione neruorum impediente virtutis transitum, stupor inuadit eas partes, quibus nerui implantantur. Hoc est, quod *supra* dixi, in facultatum & actionum consideratione diligenter attendendum esse, vitiumne sit in principio, an in membro, cui à principio aliquid communicatur, an in viis rem communicatam deferentibus, aut in ipsa re communicata.

Ἰδιοπάθεια. Est ergo ἰδιοπάθεια *proprius partis cuiusque affectus*, cùm scilicet à nulla alia afficitur, sed ipsa in se stabilem & permanentem continet διάθεσιν, quę nec intermittit, neque increscente alterius membri affectu augetur, & quouis alio sublato persistit, medicamentis autem conferentibus lenitur & diminuitur.

Συμπάθεια. Συμπάθεια verò, *quando pars aliqua ab alia afficitur*, nec dum concepit affectionem firmam & durabilem, etsi non est ab omni affectione libera, & alterius incremento inualescit, remissione mitescit, nec leuatur idoneis remediis adhibitis.

Πρωτοπάθεια. Πρωτοπάθεια est *primaria partis alicuius affectio*, quę secundarię seu posteriori seu superuenienti opponitur. Sępe enim cõtingit, vt pars aliqua laboret morbo proprio, ex

quo

quo in eadem parte nascitur alius morbus tanquã ex causa effectus, qui respectu antecedentis nocatur secundarius. Hæc distinctio etsi videtur ociosa, tamen necessaria est. Nam semper videndum est, quis morbus naturam maximè infestet & opera danda est, vt is primo profligetur. Cum autẽ omnis curatio primarium & proprium affectum p̃cipuè respiciat, in id incumbendum est maximè vt is exactè cognoscatur.

DE SIGNIS

Signa indicantia affectum vel morbum præter naturam sunt primo. Propria symptomata. Cũque tres sint differentiæ symptomatum: Actiones læsæ, affectus corporis, excrementum immoderationes, omnes hæ præbent indicia de morborum speciebus & natura; etsi nonnulla horum symptomatum ex necessitate morbis adhæreant, quæ παθογνω μόνικα vocantur, & vnà cum ipso morbo inuadunt, atque eius (vt ita dicam) essentiam cõstituunt. Quædam non necessariò morbis assunt, sed vel sæpe, vel rarò vel dubiè admodum, quæ nõ tam morbi naturam declarant, quam differẽtiam aut mores aut magnitudinẽ. Et hæc aliquando simul inuadunt, cumque morbo promunt atq; exeruunt sese statim inter initia. Quandoque pòst sequuntur, quæ ἐπιφαινόμενα vocantur. Quandoq; nequidem apparent vnquam, neque sunt à morbo separabilia, & vocantur vno nomine συνεδρεύοντα καὶ συνεζευγμένα. Etsi autem Gal. *in 1. de loc. aff.* inter morborum signa non meminit lęsę actionis, tamen eã iisdem annumerat *in 3. de Crisib.* Secundũ

Tres differẽtiæ Symptomatum.

Symptomata morbis adsunt necessario.

Non necessario.

Inuadunt cum morbo

Sequuntur eum.

Non apparent.

I. *Læsa actio.*

II. *Excrementa.* inter morborum ſigna locum habent excrementa, quibus complector tum ea, quæ excernuntur, tum excernendi modum, vt ex ramentis in vrina vlcus renum, ex arenulis calculum æſtimamus: Excrementa ſimilia cucurbitæ ſeminib. ἀσκάριδας indicant: excrementa alba, arida, qualia ſunt canum, obſtructionem pororum, excipientium & deducentium flauam bilem: fluxus vẽdis Chyloſus, aut κοιλιακὴν, aut obſtructionem venarũ Meſaraicarum. Tertius locus eſt proprietas doloris, vt dolor inflamans calidam intemperiem, ſtupefaciens frigidam, pũgens & exulcerans humorem acrem, diſtẽdens tenuem aquam vel flatum ſignificat. Quarto loco ſunt accidentia propria, quæ ferè ſunt remotiora ſymptomata, vt vngues adũci exaucta ſiccitate, ſunt ſigna morborum tabificorum, intempeſtiuus horror cum febre indicium eſt ſuppuraſcentis inflammationis color citrinus cutis, hepatis obſtructionem, niger lienis, mixtus ex vtroque ex citrino ſcilicet & nigro vtriuſque viſceris obſtructiones arguit. Quinto loco eſt loci natura. Quidam enim morbi certis partibus ꝓprii ſunt, Lumbrici tantum in inteſtinis generantur. Cor non profert abſceſſum, quemadmodum pulmo, neq; ligamenta dolorem. Et morborum aliqui toti ſunt corpori cõmunes, qui omnia mẽbra pariter afficiunt, vt febres; aut omnibus ſimul accidere poſſunt, vt tumores præter naturam vocanturque vſitatè vniuerſales: aut certarum ſunt partium. Et horum rurſus quidem ſunt ſingulis partibus aut toti corpori communes, vt intemperaturæ obſtructiones, inflammationes: Quidam ſunt ꝓprii certarum partium, vt capiti catarrhus, me-

Vrinæ prædicunt morbos.

III. *Proprietas doloris.*

IV. *Accidentia propria.*

Vngues aduncï phthiſin produnt.

V. *Loci natura.*

Morbi.
1. *Proprii.*
2. *Communes membris.*

Morbi certarum partiũ.

Proprii certarum partium.

melancholicę affectiones, abolitio memorię. Sicuti capitis ꝓprii sunt ἀλωπεκία, φαλάκρωσις: Pectori tussis: sic de cęteris. In horum signorum consideratione non negligenda sunt ea, quæ præcesserunt, vt consuetudo, ætas, anni tempus, regio, aëris constitutio seu status cœli & totius corporis dispositio.

DE MORBIS CONTAGIOSIS.

Morbi contagiosi.

Cōtagii causa ὅρος.

C*Ontagium omne ex putrefactione est, & hac propagatur.* Est enim contagium nihil aliud, *nisi similis de vno subiecto in aliud transiens putrefactio*, cuiusmodi seminaria forti ac lenta subactione procreata ἀντιπάθειαν habent ad corpus animalis, non solum corporalem, sed & spiritualem, qua fugant, elidunt & extinguunt calorem natiuum & spiritus vitales, & inficiunt, non tantum serpendo & contactu, sed & fomite & ex longinquo, ea præcipuè corpora, quibus est συμπάθεια vel cum seminariis ipsis contagiorum, vel cum iis corporibus, ex quibus illa corpora sunt putrefactione confecta & ꝓducta.

Contagium quid.

Forma contagii.

Qui obnoxii contagio.

Contagiorum aliæ in nobis fiunt, & mox transeunt in alium: aliæ extrinsecus primo veniunt & foris impressæ de vno in alium propagantur: aliæ item per summa errant, & vix cutem carpunt, vt sunt lichenes; aliæ profundius penetrant & subeunt solidiora; aliæ interna alia vtraque tàm interna quam externa afficiunt, prout analogiam habent vel ad spiritus vel ad humores vel ad partes ipsas;

Species.

ipsas; aliæ cito adhærescunt & afficiunt, alia serius; aliȩ citò sese promunt, aliȩ tardius; aliȩ, quȩ lethales sunt, aliquæ sine vitæ periculo. Et differunt ꝓ subiectorum varietate & ipsarum contagionum, ac in primis materiæ & putrefactionis cuius vi efficitur putrefactio & propagatur. Omnes autem contagiones afficiunt trium modorum vno, vel duobus, vel omnibus. Aut enim solo contactu ꝓpagantur & inficiunt, vt quorum seminaria in sicco consistunt per se se; vel abundant aqueo humido, aut fomite, in quo seminaria lenta sunt glutinosaque & adhærentia & in forti mixtione constituta; aut ex interuallo etiam, & ad distans inficiunt, quorum seminaria propter lentorem ac fortem mixtionem, quâ fit, vt non facile dissipentur & intereant, habent etiam ἀντιπάθειαν ad corpora spiritualem, quæ est occultarum & specificarum qualitatum quibus fugantur spiritus & calor natiuus, quorum efficacia continentur & sustẽtatur mixtum.

Differentia.

Effectus & modi lædẽdi.

Foris contagio fit.

Quæ vero foris accedunt seminaria, aut cuti foris illinuntur atque adhærescunt, aut intra corpora recipiũtur cũ attractione aëris circũflui q̃ fit in inspiratiõe tũ arteriarũ dilatatione, & diffusione spirituũ ex angustiorib. venis in ampliores; ꝙ vero recipit, primo spiritus, mox humores, tãdem & mẽbra solida inficit. Sumæ cutis cõtagia ferè solo cõtactu inficiunt, vt scabies humida, ψώρα, lepra grȩcorum, quȩque sunt huiusmodi. Quȩ profundius penetrant & ex interno aliquo vitio nascuntur contactu & fomite inficiunt, vt Elephantiasis, id est, ꝑ lepra Arabum, morbus gallicus, morphea, phthisis, angina, phrenitis, pleuritis, &c. Nõ fomite tan-

Ex lõginquo.

te tantum ſed & ex longinquo inficiunt peſtilentes febres, ſeu verè ſint tales, ſeu nõ verè. Multum omninò intereſt ſcire, qui ſint contagioſi, qui nõ; & qui ex contagio ſint contracti. Pręſtandum enim in contagioſis omnibus eſt, vt pręter eam curam, quam per ſeſe morbus requirit, ſeminaria etiã contagionum; & qualitates ea inficientes infringantur & retundantur. *Ex longinquo.*

Locus morbi de parte affecta admonet, q̃ quomodo ſit cognoſcenda, Gal. pertractat *libris ſex*: & quantum eam cognoſcere referat ad curationem, in iiſdem oſtendit. Idem enim morbus aliter in alia parte curatur, vt eadem obſtructio aliter aperitur in cerebro, aliter in Epate, aliter in Vreteribus, aliter in ambitu toti⁹ corporis, &c. Gal. loci affecti cognitionem argumentis quinque elicit. Primo ex læſa actione; Cuiuſque enim partis affectæ proximum & proprium ſymptoma eſt propriæ actionis eiuſdem noxa, ſiue ſimilarium fuerit, ſiue inſtrumentalium partium actio. Singularum enim actionum in corpore animalis vna eſt particula, p quam actiones expediuntur. Reliquæ verò, quæ inſtrumentali parte continentur, vſum eidem p̃ſtant, quare actionem lędi neceſſe eſt, organo ipſam efficientem affecto. Quæ vero actiones ſimilarium ſunt partium, illæ læduntur lęſo harum intemperamento. Et vt actiones conuenientes edũt partes cum recte & ſecundum naturam ſe habent; ſic affectæ partes edunt actiones præter naturam, eaſque aut diminutas, aut deprauatas, aut nullas. Vt ventriculi propria actio eſt χύλωσις, epatis χύμωσις. Cum nulla ſit χύμωσις, vt in aſcite, aut deprauata vt in tympanite, aut diminuta, vt in anaſarca

ſarca, certiſſimũ eſt epar eſſe affectũ. Cum χύλωσις nulla ſit, vt in ἀπεψία, aut deprauata, vt in δυσπεψία aut diminuta, vt in βραδυπεψία nõ dubiũ eſt vẽtriculũ eſſe affectũ, ſeu lãguefactũ. Secũdo ex ſpecie excũtium, quæ excernuntur, & modo excretionis. Harũ quędã ad partis affectę exquiſitã notitiã perducunt vt quæ ſunt de partis affectæ eſſentia; quædam argutæ coniecturæ ſeruiunt, vt quæ in ipſa parte affecta continentur ſecundum naturam, & præter naturam. Βρόγχια pulmonis particula vaſorum eiuſdem tuſſi eiecta, ramenta aut tunicę inteſtinorum cum excrementis alui egeſta, inteſtina affecta eſſe indicant; etſi tenuia ſint ramenta ſuperiora: ſi craſſa & velut carnoſa, inferiora declarant. Per vulnera ab dominis effluens vrina, veſicam; excrementa exeuntia inteſtina; χύλος ventriculum; ſanguis cum ſaltu & impetu citatione proruens, arterias; efflatus inter reſpirandum, ſpiritus membranam ſuccingentem coſtas ſauciatam indicant. Hæc etiam detenta intra corpus, & peraccomodatos, atque à natura comparatos meatus, ſi medicamentis prouocentur crebro, non excreta, ſimiliter lęſionem meatuum ſignificant. In vulneribus ventris, ſi aluus clyſterio irritata, nihil egerat, inteſtina: vrina diureticis prouocata, ſi non profluat, vreteres aut veſicam læſam indicat. Sic & adnata & contenta pręter naturam partes affectas indicant, ſi excernantur fungi craneo fracto naſcentes, lęſam membranam arguunt, Ἐφελκίδες ſeu cruſtulę, vlcerationem denotant partis à qua excernuntur. Sic modus excretionis, partem affectã indicat. Quę cum vrina excernuntur, de meatibus vrinariis; quę tuſſi, de organis reſpirationis; quę

vomitu,

vomitu, de ventriculo & interdũ epate; quę screatu de faucibus; quę simplici sputu, de cerebro testantur. Pus itidem per vrinam, cum excretionib. alii per nares, vomitu, tussi reiectum, eas partes inflammatione affectas indicat, à quibus effluit. Vt & sanguinis grumus & calculi, qui non in vesica tantum, & renibus, sed & in intestinis, folliculo, fellis, thorace nasci consueuerunt. Tertio exposítu membri, tumor sinistrę partis hypochondriorum, lienem: dextrę epar affectum ex positu partis designat.

Quarto ex doloris proprietate & magnitudine vel remissione: Dolor pulsans proprius est inflammationis in iis partibus, quibus arterię insunt, aut propinquæ sunt, propterea in peripneumonia & morbo laterali, non sentitur dolor pulsans.

Pungens seu mordicans dolor inflammationes membranarum conuellens affectiones neruorum aut tendonum; extendens venarum: Contundēs & profundus ossium vel membranarum ossa vestientium: Laxus & mollis, carnis affectę; grauans viscerum affectorum, vt cerebri, epatis, lienis, renum, indicium est: Dolor continuus affectionis fixę & firmatę; Intermittens, ex interuallo recurrēs, per consensum communicatę signum est. Dolor sensui cõmunicatur aut quod rectius puto; dolor sensum comitatur cuius est symptoma. Est enim dolor non ipsa obiecti lędentis aut offendentis perceptio, *sed affectio præter naturam, quæ ex ipsa perceptione oritur & existit.* Sicut delectatio est affectio secundum naturam, quę sensus recreationem ab obiecto conueniente comitatur. Sunt autem dolores omnes in sensu tactus, acriores multo, quã in reli- *Dolor quid.* *Delectatio.*

in reliquis ſenſibus, quod & ipſe in compactione & ſolidiore eſt ſubiecto, & cietur à craſſiore & efficaciore qualitate, qua ſenſus reliqui. Eſt autem organum tactus non vnum & ſimplex, ſed multipliciter compoſitum, ſcilicet, quod in extremarũm qualitatum pátibilium, primarum & ſecundatum, calidi, humidi, frigidi & ſicci, duri, mollis, lenis, aſperi, acuti, obtuſi, &c. mediocritate & conueniente ſitu ac forma conſiſtit.

Hoc ergo organum à ſui ſimilibus, hoc eſt, moderatis & temperatis non afficitur, & iiſdem etiam moderatè applicatis. Delectatio enim ex vtroq; eſt, tum ex conueniente & attemperata conſtitutione obiecti, tum euiſdem moderata & leni applicatione ad organum. A contrariis autem lęditur, & dolore afficitur; cum hæc iuſtam mediocritatem exuperant, & repente vehementerque tactum feriunt, tunc, cum fit applicatio. Tot ergo ſunt dolorum cauſę, quot differentię obiectorum mouentium ſenſus tactus. *Dolorum cauſa.* Quęruntque enim res ſupra modum calida, frigida, humida, ſicca, aſpera, acuta, repente & vehementer tactui illiditur; dolorem facit tunc; cum ſenſum mouet, actu organo applicata vi & efficacia ſuę qualitatis, qui dolor cum res ipſa, quę dolorem infligit, amouetur, deſinit, etſi interdum remanent obſcura veſtigia doloris facti, ea tamen ꝓprie dolor non ſunt. Hęc conſiderare vtile eſt multis de cauſis, vel cauſę cõſiderentur eorum dolorum, qui excitantur in vulneribus recentibus, non ab ictu facto, ſed ex influxu humorum, ſicut alibi dicetur. Cumque manifeſtum ſit, exuberantiam qualitatis, ſenſui tactus contrarię, & huius ſubitam ac vehementem ad or-

ganon

ganon applicationem, commouere atque inferre dolorem, sequitur solutionem vnionis non esse causam dolorum per sese. Hæc de dolorum causis meminisse satis est. Magnitudinem autem dolorum, & remissionem in morborū consideratione, non negligendum esse monet Hippo. cum inquit: *Dolores, qui fiunt in lateribus & pectoribus atq; aliis partibus, an multum differant, perdiscendum.*

Quintò ex propriis quibusdā symptomatibus partium affectarum, vt propter affectum osculi ventriculi superioris, fastidium infestat cibi: propter epatis imbecilliorem coctionem, & languefactam retentricem virtutem, excrementa sunt similia aquæ, in quā carnes mactatæ sunt ablutæ: Maxillæ rubeæ apparent in peripneumoniacis. Hîc semper adiungendā est consideratio eorum, quæ præcesserunt, vt consuetudinis, ætatis, dispositionis naturę, & totius corporis, victus ac diætæ. 5.

DE TEMPORIBVS MORborum.

IN temporibus morborum multa consideranda sunt. Et primum quidem, qui morbi sint periodici, qui ex interuallo recrudescunt, & exasperantur; & qui non seruent periodos. Et periodicorum morborum, qui postquam inuaserunt vno paroxysmo, eoque continuo longo vel breui, cōprehendatur. Qui rursus pluribus paroxysmis distinctisque, & per interualla ac circuitus recurrentibus, contineantur ac finiantur, & horum rursus, qui ordinatis circuitibus infestent. Vnde & τεταγμένοι vocantur, qui sine ordine & lege, vici-

bus incertis, ἄτακτοι dicuntur. Deinde videndum, qui ex morbis, siue periodicè affligant, siue sine periodis, sint acuti aut longi. In acutis enim omnibus siue periodici sint, siue non, tempora morborum in curatione diligentissime obseruari oportet, vt principium, augmentum, statum, declinationem. Longè aliud fieri in principio morborum, aliud in augmento, aliud in vigore & statu, aliud in declinatione vniuersali oportet, quē-admodum hæc *in prima & secunda part. Aph.* Hippo. *& in primo de Crisibus* à Galeno explicantur. In periodicis verò ijs, qui pluribus particularibus paroxysmis inuadunt, particularia etiam singulorum paroxysmorum tempora notari oportet, id est, singulorum paroxysmorum vel inuasionum, principia, augmenta, statu s & declinationes. Ex horum sunt numero febres putridæ, period[illegible]æ, regulares & irregulares: Ex illorum Epileptica, Nephritica, Arthritica, πάθη, ἄσθμα, & similia, qui morbi aliâs breuioribus, aliâs longioribus interuallis inuadunt.

DE CAVSIS MORBORVM *periodicorum.*

PERIODICORVM morborum causa est coaceruatio in aliqua parte humorum justa, & morbo ciendo sufficiens, mutatioque eorundem ex habitu & constitutione naturali in præter naturalem: vel secundùm qualitates, quam sola alteratio efficit, vt in Arthritide, Asthmate, Epilepsia, & similibus: vel secundùm substantiam, quam corruptio efficit ex putredine, vt in febri-

febribus putridis. Coaceruantur autem humores in partibus bifariam, congestu & defluxione. Cõgestus fit aut partium vitio, aut imbecillitate, cùm transmissum ipsis nutrimentum nec cõficere possunt, nec absumere: aut cum validè in attrahendo plus alliciunt, quàm ipsis sit ex vsu, & quã possint concoquere, præter impressionem caloris alieni: aut cùm dẽsiores atq; astrictiores sunt, vt ꝙ superuacaneum est, nequeant vel deponere ad vicinas partes depulsum à sese vel discutere ac dissipare. Congestus.

Defluxiones fiunt humoribus motis & fluentibus, aut ex impulsione aliqua aut sine impulsione. Sine impulsione, cùm vel copiâ vrgentur, vt in plethoricis corporibus; vel colliquati diffunduntur ac dilatantur, vel jactantur vehementius; Tales enim nequeunt proprijs coërceri aut contineri sedibus, sed suopte impetu defluunt atq; excidunt. Impelluntur autem humores vt fluant, vel ex vna aliqua parte, vel ex pluribus, vel ex toto corpore, aut ab euidenti aliqua causa externâ aut internâ. Externæ causæ sunt, aut calor dissoluens & agitans, aut frigus comprimendo exprimens humores. Internæ causæ sunt aut partes abigentes à sese & expellentes ea, quæ tum qualitate, tum quantitate molesta sunt suo robore; aut attrahentes alienum, vel dolore vel calore. Calor immoderatior excitatur, aut motu vehementiore quocunque, vt frictione, exercitijs, aut feruore Solis vel ignis, aut vsu acrioris pharmaci. Doloris causæ antea sunt expositæ. Calor attrahit per sese digerẽdo resoluendoq; proxima quæq; & tenuissima tùm remotiora extenuando & fundendo, alliciendoq; in locũ absumtorum & Defluxio.

aperiendo ac dilatando meatus, vt humoribus affluentibus pateant. Dolor attrahit ſimpliciter per accidens, id eſt, quando membrum dolore affectum, vt ſeſe ſeruet ac muniat, ex vicino ſpiritus cum humoribus rapit ad ſeſe, qui illa tractione impulſi poſtea affatim accurrunt. Nec aliter trahit membrum affectum, quàm cor in mœſtitia, aut ſubita conſternatione. Cur verò in hanc potius, quàm illam decumbant pártem fluxiones, eius rei cauſa eſt à partibus vel trahentibus, vel recipientibus. De trahentibus iam dictum eſt. Recipiunt fluxiones partes, vel quando imbecilles ſunt, & tranſmiſſa repellere nequeunt. Vniuerſaliter enim à toto corpore robuſtiora membra ablegant ſuperflua ad alia imbecilliora, quæ migratio tantiſper durat, donec qui pelluntur humores, vel excernuntur, vel detruduntur, ad languidiſſimas, inter quas ſunt cutis & glandulæ: Vel quando pellentibus ſubiectæ & iis excipiendis, quæ allabuntur, ſitu & ſtructura idoneæ ſunt. Imbecillitas vel à natura eſt; vt cutis axillarum, inguinum, ademum & aliarum partium, quæ molli & laxa conſtant ſubſtantia: Vel à conſtitutione præter naturam, eaque aut congenita, aut àcquiſita, vt quæ contuſæ ſunt, vulneratæ, aut morbis aliis languefactæ. At humoribus excipiendis idoneæ ſunt ſtructura quidem, quæ vias ad ſe directas, & ſuperius qua admittunt humores amplæ ac patentes; inferius, qua emittunt, anguſtas habent. Sic ad fauces, nares, pulmones, ventriculum, ſpinam dorſi, articulos, inteſtina, renes, promptæ ſunt fluxiones. Situ verò ſunt idoneæ, quæ mittentibus ſunt ſuppoſitæ:

Cur in hanc potius quam illam decumbant fluxiones partem.

tæ: grauis enim materia promptius repit & fertur ad inferiora. Coaceruatio itaque humorum & ex coaceruationis ſpiritibus defluxio atque coaceruatorum mutatio vna eſt inter præcipuas cauſas periodorum in morbis.

Et quanquã à defluxione periodici morbi plerique oriuntur magis, quàm à congeſtione, non tamen ſolos periodicos morbos defluxio gignit, ſed plurimos alios & defluxione quidem durante, morbus nondum eſt, ſed fit. Poſtquam enim cõſtitit in aliqua parte motus & agitatus humor, qui fluxit tantiſper, donec quieſcit, tunc demum morbũ actu nõ facit. Diſtingui igitur diligenter oportet inter fluxionum tẽpora, qui quidem morbum fientem à morbo facto diſcernunt. Nam humor, qui natura grauis quieſcit in aliqua parte, tantiſper, donec quieſcit, morbum nondum facit, niſi corrumpatur. ſi moueatur & fluat, aut eijcitur extra corpus aut intra corpus præcipitatur in partem aliquam. Si extra corpus effundatur, motu Critico aut ſymptomatico, vel facit morbum vel non: facit morbum, aut in vijs, per quas fertur, qualitate præter naturam, vt flaua bilis dyſſenteriam fluens per inteſtina; aut quantitate euacuationis deſtruens naturam. Si intra corpus detentus humor in aliquam depellatur partem, ſi conſiſtit in ea, fluere deſinit, morbumque facit. Conſiderandum ergo eſt diligenter, an cœperit fluere materia vel non; & ſi fluere cœpit, an tota ſit in motu, vel aliqua parte iam conſtiterit alicubi, vel an tota iam conſtiterit; ab ea enim, quæ fluxit & conſtitit, materia eſt morbus factus; à fluente eſt morbus, qui fit, & nondum eſt factus. Certum

est autem, aliam curationem requirere morbum factum, aliam, qui nondum fieri cœpit, sed est in propinqua potentia, aliam, quæ partim est, partim fit. Propterea in fluxionibus sunt obseruanda præcipuè primò quis fluat humor: secundò, à qua parte fluat: tertiò, ad quam tendat & feratur partem, intra vel extra corpus: quartò, per quas vias influat humor, an sit fluxio ex venis vel extra venas: & si ex venis, ex quibus venis fluat; quintò, tempus fluxionis.

DE CAVSIS MORBORVM in genere.

CAVSARVM quatuor sunt genera: Materia, Forma, Efficiens, Finis. Materia morborum est *subiectum, cui insident morbi, scilicet corpus humanum, & non vitiosus humor*, vt aliqui propterea censuerunt. Forma est *ipsa morbi species, in materiam, id est, totum corpus vel aliquam eius partem impressa atque inducta.* Finis est *læsio actionum corporis, & tandem, nisi morbus extirpetur, interitus.* Causa efficiens multiplex est. Vt ergo vniuersas morborum causas efficientes complectamur, constituemus earum primos tres gradus; primò causam per se & verè causam. secundò & causam per accidens, & eam, quæ non est causa, neque efficiendi vim habet, sed rationem ejus, ὃ οὐκ ἄνευ, id est, sine qua non procedit, nec percipitur effectus. Nam causa per se proprijs insitisque viribus effectum & intendit & gignit ac producit. Causa per accidens est illa causa, cui dum intendit certum effectum, quem & sua vi perficit, accidit alius quidam effectus, quem non intendit illa causa, vt Scam-

Materia. *Forma.* *Finis.* *Efficiens.* *Efficientium causarum tres gradus.* *1. Causa per se.* *2. Causa per accidens.*

Scammonea, Rhabarbarum, δακρύδιον per ſe & ſua natura calefaciunt corpus. Per accidens refrigerant, quia acrem & feruidam bilem expurgant, qua educta reſtinguitur in corpore alieni caloris feruor. Cauſa ſine qua non, propriè cauſa non eſt, nec efficiendo aliquid confert ad effectum; ita tamen adeſt, vt ſine ea non fieret neq; compleretur effectus. ſic obſtructio eſt cauſa, ſine qua non Putrefactionis. Cauſa per ſe & verè cauſa eſt alienus calor, qui incēditur in materia idonea cōcipiendi putredinem; ſed hic calor non accenderetur, niſi adeſſet obſtructio impediens & prohibens tranſpirationem. Cauſa per ſe arthritidis eſt ſuperfluitatum copia & redundātia in corpore & agitatio earundem, ſine qua non eſt imbecillitas articulorum & viarum laxitas. Et referuntur ad cauſas ſine qua non, locus, tempus, inſtrumenta, &c.

3. Cauſa ſine qua non.

Putrefactionis.

Arthriditis cauſa per ſe.

Sine qua nō.

DE CAVSIS PER SE.

Cauſarum per ſe, aliæ ſunt principales, τελικὰ αἴτια; alię adjutrices cauſę συναίτια. Vtrarumque aliæ inſitæ ſunt, & congenitæ, alię aduentitiæ. Inſitæ duorū ſunt generum: Quædā n. ſecundùm naturā inſunt, q̄dam pręter naturam. Vtraq; ex paterno ſemine & materno oriunt atq; exiſtunt ſanguine. Illæ, q̄ ſecundùm naturā ſunt, etiamſi multæ alię cauſę forinſecus accedunt ex primarū qualitatū, qua cōſtamus, mixtura & cōmoderatione, paulatim decurſu temporis, & ætatis ꝓgreſſu nos imputant, tandemq; ad extremū ſenium perductos μαρασμῷ ſeu tabe perimunt. Hæc de contracto ex prima origine vitio & labe, accelerant morbos,

ſenium & interitum. Qualia enim ſunt juncta ſemina & maris & fœminæ, talis euadit natura & conſtitutio partium ſolidarum. Et maternus ſanguis qualis eſt, tale fit παρέγχυμα viſcerum & carnoſarum partium natura. Et talis eſt cùm fœtuum natura in vtero, tùm corporis editi prima ætate nutritio; atque vt ab omnibus totius corporis partibus materia ſeminis deriuatur, & forma omnibus ſeminibus, δυνάμει ineſt; Ita ægritudines & imbecillitates in ſemina in formata inde corpora propagantur. Sæpè etiam, & qui grauidis accidunt morbi, tranſeunt in fœtum, qui eſt in vtero, ſicut & certorum ciborum appetitiones & faſtidia. Aduentitiæ cauſæ in edita iam corpora ab externa origine peruadunt. Horum tria ſunt

Προκαταρκτικά. genera προκαταρκτικὰ αἴτια, cauſæ externæ & euidentes extra nos poſitæ forinſecus aut corpori ipſi aut contentis humoribus vel ſpiritibus vim

Προηγούμενα. inferunt. Quædam προηγούμενα αἴτια, cauſæ antecedentes, id eſt, internæ intus in corporibus vel ipſis corporũ partibus vel contentis inſunt, vt hu-

Συνεκτικά. moribus & ſpiritibus. Quædam συνεκτικὰ ſeu συνεχῆ, ſeu προσεχῆ, vt Galenus; ſeu ὁμογένεια αἴτια, vt *Ariſtoteles nominat*: ſeu efficienter accidentes, vt Cicero: ſeu continentes & conjunctę, vt vulgò vocantur. Ex antecedentibus profectę ita cum morbo connectuntur ac cohęrent, vt eſſentiam ejus conſtituant, fiantque quaſi pars morbi, ita vt his pręſentibus ſit morbus, vigentibus vigeat, deſtructis ac depulſis ceſſet. Harum inter ſe cauſarum talis eſt connexio atq; copulatio ita, vt ex antecedente conſequens enaſcatur, & antecedens ab externa gignatur ac cieatur,

Non

Non tamen ad morbi cuiuſque generationem hę cauſę omnes neceſſariò cōcurrunt, ſed cietur quãdoque ab harum vna, quandoque à duabus, quãdoque ab vniuerſis, ea, qua dictum eſt, ſerie. Nunquam eſt une externa antecedens in corpore nunquam coniuncta ſine antecedente, Sed externa quandoque morbum facit per ſe, quando que per antecedentem: & antecedens itidem, quandoque per coniunctam. Externarum cauſarum alię neceſſarię ſunt, quę corpora noſtra neceſſario afficiunt, vtpote ſine quibus viuere nequimus alię non neceſſarię, quas conſilio iudicioque aut corrigere aut temperare aut auertere & declinare poſſumus. In neceſſariis ſunt aër, cibus, potus, motus, & quies, ſomnus & vigilia, retentiones excrementorum & excretiones, animi perturbationes. In non neceſſariis ſunt, cum hęc ipſa, quę commemorata ſunt, ſcilicet quatenus ea corrigere & mutare aut cauere in poteſtate noſtra eſt, tum vulnera, luxationes, venenatarum beſtiarum ictus & alia iſtiuſmodi. Aër inſpiratione attractus, aut dilatatarũ arteriarum hiatu afficit in corporibus primo ſpiritus, deinde humores, vltimo partes ſolidas, vel immoderatione qualitatũ, vel vitio totius ſubſtantiæ, vt cum infectus eſt aut corruptus venenatis infectionum aut contagionum ſeminariis, aut halitibus venenatis, quorum vel è putredine cadauerum ſupra terram vel, ex hiantibus puteis & cauernis ſubterraneis origo eſt. Subita etiam confertaque immutatione aër corpora afficit, ſicut in repentinis & crebris aëris cœlique mutationibus & flatibus vehementioribus experimur. Quę aſſumuntur intra corpus, afficiũt

ea aut inferunt aliquid vel vi, vel efficacia primarum aut secundarum qualitatum vel totius substantiæ familiaritate aut ἀντιπάθεια & dissensione. Temperamento primarum qualitatum quidem, vt quæ calefaciunt vel infrigerant potestate vel ἐνέργεια. Secundarum verò, quæ tenuitate substãtiæ incidunt & penetrant, quæ crassitie astringunt quæ adhærent visciditate. Totius substantiæ familiaritate, vt alimentum; dissidio totius substantiæ, vt venenum. Quod enim totius substantiæ familiaritate in corpus nostrũ conuertitur, alimẽtum est: ꝙ inter nutriendũ corpus simul afficis alimẽtum est & medicamentum: quod corporis secundum naturam constitutionem dissoluit aut deuertit, medicamentum est. Et ex genere hoc, ꝙ tota substantia contrariũ est, venenum est. Ex omni autem alimento primum fit instauratio spirituum, deinde humorum, vltimo illius, quod soliditati substantiæ partiũ similarium discessit. Retenta intra corpus impeditione consuetarum euacuationum, aut excreta plus nimio morborum causas esse manifestum est. Quæ enim excerni solent atque egeri, lege naturæ, si, qualia, quanta, & quando oportet, excernantur & per destinatos meatus, corpus alleuiant & conferunt: si excedant legem naturæ, aut retineantur, morbos pariunt.

GENERA EVACVATIONVM.

EVacuationum aliæ simpliciter, lege naturæ necessariæ sunt, vt deiectiones alui, excretio vrinæ ex renibus & vesica, Melancholica humoris ex liene, flaua bilis ex folliculo fellis insensibilis

ſibilis perſpiratio corporis, ſudorum defluxus. Aliæ non ſimpliciter, ſed in tempore & conſuetudine neceſſariæ, vt hæmorrhoidũ & menſiũ eruptio, mucoris & narib⁹ egeſtio, ex palato ſputum oris, *emißio lactis è mammis, ſeminis è vaſis ſpermaticis*. Harum euacuationum quædam ſunt ſpontaneæ, quædam arte factæ, quæ ope medicamentorum prouocantur, & cientur. Spontaneæ fiunt aut ſecundum naturam, vi & robore huius motis & expulſis ſuperfluis, vel extra morbos, vel in morbis, iuſto & conuenienti tempore, modo, menſura, materia rerum, quæ debent euacuari, quæ κρίσικαὶ euacuationes vocantur, & liberant à morbis aut impendentes auertunt. Aut fiunt præter naturam hac ſcilicet natura languente, & ſuccumbente, & humoribus ruentibus ſuo impetu, vocanturque συμπτωματικαί. illæ ſemper alleuant naturam, hæ affligunt & deiiciunt. Euacuationem ſecundum naturam, rurſus aliæ euacuant humores contẽtos in vaſis; aliæ collectos extra vaſa in quacunque parte corporis. Quæ vero euacuationibus educũtur, aut ſecundum naturam ſe habent vel per ſe vel per accidens. Per ſe, vt boni & vtiles humores, Per accidens, vt excrementa naturalia; Aut ſunt præter naturam vel qualitate, vel quantitate, vel tota ſubſtantia. De euacuationibus artificialibus poſtea dicetur. In vniuerſum aũt & quæ euacuari conſueta detinentur intra corpus, cuiuſcunque ſint generis, & repentinæ confertæque euacuationes, cuiuſcunque ſint generis morbos afferũt, aut morbis cauſam præbent, ſæpe interimunt reſolutione caloris & ſpirituum, ſicut inquit Hipp. *Sect. 2. aph. 5.* *plurimum & repente euacuare periculoſum eſt. Omne enim nimium periculoſum eſt, & naturæ inimicum*, & de

ſuppuratis

Sect.6.aph. 47. ſuppuratis & hydropicis inquit: *ſuppurati & hydropici, qui vruntur & ſecantur, hi pure aut aqua confertim effluente commoriuntur omnes.* De motu & quiete, ſomno & vigilia, perturbationibus animi, quomodo morbos cieant, aut implendis corporibus, aut exhauriendis atque attenuandis, aut humoribus quietis commouendis manifeſtum eſt. Sed externæ cauſæ vniuerſæ aut per ſe morbos faciunt, vt cum vſtiones ſolis, vel ardores eius febrim incendunt, vel intenſum frigus calorem natiuum elidit atque extinguit & νέκρωσιν efficit, vel gladius vuln⁹ infligit, vel caſus luxationem facit, aut cauſas internas vel gignunt atque coaceruant ſuppedita materia & pabulo, vel genitas ante alterando atq; immutando præparant vel præparatas cient & commouent.

Ad hos gradus reduci poſſunt omnia diſcrimina cauſarum externarum & euidentium. Gignũt antecedentes; vt ἀδηφαγίαι & crapulæ longæ crudos humores; vini meracioris & aromatum vſus crebrior, acres & calidos humores: Quies longior, & exercitiorum intermiſſio, crudos humores & obſtructiones: ſic de cæteris. Præparant antecedẽtes cauſæ, vt calida & humida aëris cõſtitutio, corpus ipſum & humores, putrefactioni; Calida & ſicca morbis calidis, vt febribus ardentibus, per paratos humores commouent, vt frigus exprimẽs aut calor diſſoluens & impellens, ſæpè cient pleuritidem, apoplexiam, catarrhos. Iracundia ſæpè apoplexiam commouet. Etſi autem ſæpè externæ cauſæ morbos per ſeſe pariant, tamen cum morbo vel facto vel fiente nunquam coniunguntur, ſed diſcedunt ſimul, & ſæparantur.

Internæ causæ προηγούμεναι, etiam aut sunt in ipso corpore humano & partibus eius, aut in contentis, scilicet humoribus vel spiritibus & quidem vtrisque præter naturam affectis. In membris ipsis quidem, cum aut robore fortiora membra depellunt à sese superflua, & recipiunt eadem imbecilliora, aut labore & imbecillitate generant & coaceruant in sese superflua & noxia. Quod cum fit, imbecillitas ipsa morbus est, quæ inde nascitur affectio præter naturam, symptôma. *Quapropter nunquam per sese internæ causæ sunt in partibus ipsis, qui sunt morborum subiecta, sed symptomatum respectu & morborum per consensum, causarum rationem induunt affectus præter naturam inipsis partibus.* Contenta vero aut humores fiunt causæ internæ & antecedentes, si aut quantitate, aut qualitate, aut vtroque modo simul excedant modum, mensuramque naturæ conuenientem, aut tota substantia degenerent à suę speciei natura. Alteratio sola mutat qualitates, vt inflammatio nihil est, nisi alteratio, tantisper, donec sese intra metas inflammationis continet. Corruptio mutat substantiam, vt suppuratio aut putrefactio inflammati humoris mutat humoris speciem. *Nec gignitur in humano corpore viuo quicquã præter naturam toto genere sine putrefactione,* quæ ex destructa priore substantia gignit nouam, calore digerente mixtionem dissolutarum partium ad formã rei, quæ gignitur, q̃que δυνάμει infuit rei destructæ.

DE

DE MODO, QVO NIMIVM causæ internæ morbum faciant.

SEd internæ causæ omnes, præsertim in humoribus aut δυνάμει sunt morborum causæ, aut ἐνεργείᾳ: δυνάμει quidem, vt πληθώρα συνοχὴ ruptionis venarum, inflammationis; κακοχυμίαι in toto corpore, febrium putridarum, tumorum præter naturam, ἀρθρίτιδος; In certa parte, vt in cerebro ἀποπληξίαι, ἐπιληψίαι &c. Quæ ἐνεργείᾳ causæ insunt internæ, aut faciunt morbum per se, vt acris & mordax humor fluens per intestina, erosione intestinorum & exulceratione, efficit dysenteriã; Pus in Pleuritide & Empiemate, nisi maturè euacuetur, phthisin parit, pulmonis exulceratione. Aut gignendo ciendoque causam continentem, vt in apoplexia humor quietus est προηγούμενον δυνάμει; motus & agitatus à quacunque causa externa, & cum impetu ruens, est προηγούμενον ἐνεργείᾳ; Impulsus verò impactusque in cerebri ventriculos, anfractus & plicaturas, & obstruendo omnia implens, est αἴτιον συνεκτικόν: Quia si is, qui agitatur humor, excutiatur robore naturæ per os & nares, liberat ægrum ab apoplexia & suffocationis periculo. In febre humor aptus putredini concipiendę est προηγούμενον δυνάμει; qui putruit, est προηγούμενον ἐνεργείᾳ: Qui ex putredine ad cor deferuntur feruidi halitus, cor inflammantes, sunt αἴτιον συνεκτικόν. in tumoribus præter naturam humor nõ motus est προηγούμενον δυνάμει, motus & fluens humor, est προηγούμενον ἐνεργείᾳ, qui decubuit iam ex fluxu in aliquam partem & descẽdit, est αἴτιον συνεκτικόν.

κον. Ita antecedens ſeu interna cauſa quandoque morbum facit per ſe, per continentem quadoque cauſam: ſed cauſa continens nunquam per aliam, ſed per ſeſe ſemper morbum facit, quem facit. Nō enim omnis morbus, (vt ex his, quæ dicta ſunt apparet,) cauſam continentem habet. Nunquam autem coniungitur cum morbo cauſa antecedēs, etſi principio adeſt ἀχωρίςως & inſeparabiliter. Nā humor fluens, tantiſper, donec in nullam ſeſe certam partem ingerit, manet προηγούμενον & quā primum ex fluxu in aliqua parte conſiſtit, mutatur in συνέκτικον. Continens cauſa verò ſemper adeſt morbo, & ita adeſt, vt eſſentia eius conſtituat tāquam morbi pars. Et habet ſe ad morbum fientem προηγούμενον αἴτιον tanquam ἐφεξῆς ὤν καὶ ἀχορίςως id eſt, tanquam quiddam inſeparabiliter contiguum; à morbo facto enim mox recedit. Continens cauſa ad morbum factum habet ſe tanquam ἅμα ὤν καὶ ἀχορίςως, id eſt, tanquam quiddam, quod ſimul cū morbo eſt inſeparaliter. Cumque Gal. diſtinguit cauſas morborum in externas & antecedentes, reſpicit non tam factos morbos, quam fientes, id eſt, morborum fientium cauſa eſt aut externa, aut antecedens, quorum neutra, ſi morbus ſit abſolutus, adeſt amplius, ſed quæ cum morbo facto coniungitur cauſa, ea eſt, quam continentem vocant.

DE MORBIS FIENTIBVS.

SVntque morborum fientium gradus tres in vniuerſum, vnus eorum, quorum adhuc nulla 1.
pars eſt facta, vt cum humor fluens, in nullam adhuc ſeſe certam partem inſinuant. Secundus 2.
eorum,

eorum, quorum pars aliqua facta est, & accessione augetur, sine insigni tamen & notabili euidentia grauium symptomatum. Tertius eorum quorũ
3. pars aliqua facta est; cum grauium & sæuiorum symptomatum inuasione. Hanc distinctionem causarum & morborum fientium à factis, quantũ referat exactè considerari, curatio ostendit. Aliam enim prorsus curationem morbus factus, aliam fiens requirit; Et inter fientem aliam, cuius nulla pars consistit, aliam, cuius pars aliqua iam consistit; aliam rursus, qui totus consistit. Et in causarum etiam curatione, alia προφυλακὴν, alia θεράπευσιν requirit, sicut hæc explicabuntur.

DE SYMPTOMATIBVS.

TErtium inter affectus præter naturam σύμπτωμα est, quod vocabulum quandoque generaliter vsurpatur pro eo; quod in corporibus præter naturam existit, nondum tamen actionem lædens, & differt à morbo ac morbi causa, quod ille actiones primò & per sese, hæc per morbum non lædit, symptoma neutro modo lædit. Et morbus in aliqua corporis parte consistit; causa in contentis; symptoma in vtrisque, tum etiam actionibus ipsis. Quandoque verò speciatim vsurpatur de affectu præter naturam, qui ex morbo nascitur. Primo autem & proximè morbum consequitur actio læsa. Ex hoc proficiscuntur alia duo genera diuersa, nimirum excrementorum vitia; & simplex corporis habitus, quorum hic in substantia partium, & totius corporis habitu; illud in excrementis continetur. Vtrunque ex læsa actione

vt læsa

vt læsa actio ex ipso morbo oritur. Exempli causa, obstructio fit in vijs seu meatibus χολη δόχοις, læditur actio expurgans flauam bilem à sanguine, quã scitis esse compositã ex attractione folliculi fellis & expulsione epatis. Hanc consequitur, vt bilis cum sanguine in totum dispargatur corpus, vnde cutis inficitur, & icterus fit symptoma simplex, in habitu corporis, & vrinę crassescunt flauescuntq;, alui excrementa dealbatur, destituta coloratione, qua tinguntur admixtione bilis. Actionum læsarum discrimina tot sunt, quot sunt actionum in corpore differentiæ. Læduntur aūt actiones, aut principijs morbo obsessis, q̃ sunt propriæ facultatum sedes; aut partibus, quibus actiones insunt communicatione; aut organis; per quæ fit cõmunicatio; aut medio, quo virtus actionum effectrix diffunditur. Simplices corporis affectus actiones non lædunt; suntq; ferè sensibus obuij; visui quidem colores, vt in Ictero citrinus color, in elephãtiasi niger, in lepra albus, in λευκοφλεγματίᾳ & vitiligine pallidus; Olfactui, odores tetri axillarum, narium, oris & corporis vniuersi; Auditui sonus, & aurium tinnitus, remugitus pulmonis; stertores, stridores dentium, κλυδῶνες & rugitus ventris, & inferiorum crepitus; Gustui, sapores amari à flaua bile, acidi à melancholia & phlegmate vitreo, salsi à pituita salsa; Tactui, cutis scabra, arida, rugosa, contracta, extensa, mollis; densa aut dura hypochondria, calor aut blandus aut mordicans.

Actionum læsarum discrimina.

Exeuntia, q̃ præter naturam aliquod vitiũ contraxerunt, aut substantiæ, aut quantitatis, aut qualitatis immutatione; Vel aliter p̃ter naturã sunt, vt excretionis modo, tempore, quantitate, loco &c.

TERTIVS FONS.

RESTAT vltimus fons ἐνδείξεων θεραπευτικῶν, qui complectitur res externas, quas vocant non naturales, quæ vt diximus de Gal. sententia, ad curationem habent rationem ὧν οὐκ ἄνευ. Et quanquam nihil cōferunt efficiendo, tamen tantum præstant, vt sine his curatio neque institui, neque peragi & absolui possit. Sunt autem τὸ περιέχον, (quod complectitur circumflui aëris constitutionem & qualitates, in quo quantum situm sit, passim à Gal. & Hippoc. declaratur) Motus & quies, προσφερόμενα, ratio victus & diætæ, somnus & vigilia, affectiones animi, ἐγκενούμενα καὶ ἐπεχόμενα, quibus omnibus consuetudinem includo. Etsi enim consuetudo cum ætate non incommodè ad eas causas refertur, quæ temperiem naturalem paulatim mutant, sicut *supra* dictum est; habet tamē rationem & in his causis locum consuetudo; & multum refert considerare, cui quis rationi victus, quibus exercitijs, quibus euacuationibus, cui vitæ generi assueuerit. Multum enim tribuendum est, & indulgendum consuetudini, de qua Hippoc. inquit: *Consuetudo est altera natura.* Aëris constitutio talis est, vt Gal. inquit, Vel propter terræ naturam, vel propter anni tempus, vel propter talem aëris constitutionem & statum, διὰ τὴν κατάστασιν. Regio vel natura terræ talis est, primò propter cœlestes causas, id est, διὰ τὴν θέσιν καὶ συνοίκησιν, hoc est, propter positum ad cœli astrorumq; vias, & propter familiarem consensum atq; conuenientem terrarum cum Planetis & stellis fixis. Secundò propter ipsarum terrarum qualitates,

Aëris constitutio vnde.

Fortè, situs.

tes, quæ aut montosæ sunt, aut planæ, aut maritimæ, aut palustres, aut arenosæ, aut argillosæ, aut metallicæ, aut syluis abundant.

Ὧρας, id est, anni tempora seu cardines distinguit ac variat Solis circuitus annuus. κατάστασιν, id est, statũ aëris singulis cũ anni temporibus, mensibus, diebus, mutant ac variant congressus Solis Lunæque, inter sese & cum Planetis reliquis ac stellis fixis cõfigurationes inter sese, eorundemq; ortus ac decubitus, & quæ ab his excitantur flatuum, ventorumque discrimina, in singulis locis propria, & quæ sunt alia istiusmodi. Horum considerationem non negligendam esse, res docet. Alia est cõstitutio corporum in ijs terris, quæ sunt æquatori propiores, quàm in longius dissitis; alia in frigidis, alia in calidis, alia in temperatis locis. Alia est item inhabitantium mõtes, & horridiora loca, alia degentium in palustribus aut planis. Denique alia conditio est corporum veris tempore, alia authumnali, alia æstiuo in magnis ardoribus Solis, alia hyberno, scilicet cùm hi cardines anni suas naturales constitutiones seruant: alia rursus, quando mutantur præter naturã. Sed hæc omnia persequi, longum esset. Recensui summa tantum genera, vt horum conspectu & consideratione admoneamini de ijs, q̃ in omni curatione dextrè instituenda & peragenda feliciter sequenda sunt.

Huc vsque monstrauimus fontes ἐνδείξεων θεραπευτικῶν; nunc qua ratione ex horum consideratione instituenda, moderanda, & prout res requirit, ac circumstantiarum conditio, varianda etiam medicatio sit, ostendemus.

SECVNDA PARS, DE PHARMACEVTICE INPRIMIS, DEIN DE διαιτητικῇ ET χειρουργικῇ, PARtibus artis medicæ.

CVmque ſint τῆς θεραπευτικῆς partes tres, vt dictum eſt, hic præcipuè φαρμακευτικὴν pertractabimus, inſperſis, vbi opus erit, & morborũ natura exegerit, aliquibus ex διαιτητικῇ & χειρουργικῇ. Medici munus eſt cum iudicio deligere, & rectè dextreque media accommodare ad ſanandum, id eſt, amiſſam ſanitatem reparandã, dubiam & nutantem vindicandã, ne morbis corrumpatur. Artis medicæ ſcopus eſt ſanatio, ſeu reſtitutio ſanitatis. Nam tantum ꝙ ægrum eſt affectumque, medicina & Medici operâ indiget. Sanatio quod affectum eſt læſumq; aut violatum, reſtituit. Id verò natura præſtat aut ſola, aut arte adjuta. Medicatio remedia exhibet & applicat ægro conuenientia, extirpando & ſubmouendo affectum, qui eſt pręter naturam. Remedia ſunt, q̃ aduerſantur & contraria ſunt affectui præter naturam, eumq; depellunt. Nam tantum, quę vim morbo inferunt, eundem depellunt, quæ verò vim morbo inferunt, contraria ſunt. Manet igitur hæc regula certa: *Contraria contrariis curantur*, ſiue contrarietates primo ac per ſe morbum ipſum; ſiue cauſam morbi reſpiciunt per ſe, & morbũ per accidens: Vt cùm Rhabarbaro, quod calidum eſt, molimur euacuationem calidi humoris bilioſi; aut vomitionẽ ſedamus vomitione. Tota autem medicationis per pharmaca ratio inſtituenda eſt ac dirigenda, ex his conſiderationibus ſex, poſt mo bum exploratè cognitum, quod omnium primum eſſe debet.

Conſiderationes circa medicationẽ per pharmaca.

Prima

Prima conſideratio conſtituit, morbusne ſit tollendus, an morbi cauſa: & de vltimo ſcopo, ad quem referenda eſt & dirigenda tota curatio: & de contrarietate, quâ proxime eximitur & tollitur aut morbus aut morbi cauſa. Deniq; quid præſtare Medicum præcipuè oporteat. II. de ordine & modo, & proceſſu, vt ita dicam, curationis, deliberat, decernit, quo ſit ꝑueniendum ad vltimum illum ſcopum, quæ præmitti oporteat, & quo ordine, quibus ꝑparatione aliqua opus ſit; q̃ amoueri oporteat impedimēta prohibentia, quo minus liceat rectè accedere ad ipſius affectus curationē. III. deligit remedia conuenientia, & cōſtituit, quibus remedijs extirpatio affectus præter naturam atq; exciſio ſit aggredienda & exprimenda, quib⁹ item ſint ſubmouenda impedimenta. IV. de quātitate remediorum definit, quàm valida cōueniat adhibere remedia, quo gradu exceſſus à mediocritate, quo pondere, quoties & quamdiu. V. de tempore & loco exhibitionis & applicationis remediorum cōſtituit, i.e. q̃ remedia inter principia morborum, q̃ his augeſcentibus & ingraueſcentibus, q̃ vigentibus, q̃ paulatim remittentibus conueniant, q̃ foris imponi, aut illini, aut de ligationibus, ſuturis, frictionibus, ſcarificatu, venæ inciſionibus aut ſimilibus peragi, q̃ intra corpus indi oporteat, vt vel per clyſteres in ventrem inijciantur vel deglutionib⁹ in ſtomachum transfetantur, vel in faucibus retenta paulatim liquefiant, vel imponantur naribus, vel infundantur matrici, vel per catheteres in virgæ meatus inſpergantur. VI. formam remediorum eligit, q̃ aut liquida eſt, aut ſolida. Iſtas conſiderationes, qui & penſitarit diligē-

Margin: I. — II. — III. — IV. — V. — VI.

rer, & fuerit ſecutus in cuiuſuis morbi curatione, fœliciter medicabitur. Decernitur autem de his omnibus, præcipuè ex eſſentia affectus præter naturã & circumſtantijs reliquis, vt quantitate, qualitate, loco, &c. tum verò ex affectæ partis conſtitutione ac temperamento, viriumq́; robore, actione, figura, ſitu, ſenſu acuto vel hebeti.

Prima conſideratio. Qui affectus præter naturam curandus ſit. De primo ergo, qui affectus præter naturã curandus ſit, & cujus contrarij affectione atq; introductione, oſtendit cognita penſitaq́; διάθεσις affectæ partis vnaq́; cum ea, q̃ eſt ſecundùm naturam, tum p̃cipuè altera, quæ præter naturam inuaſit, & naturalem corrumpit ac deſtruit. Hæc n. contrarij rationem & conditioné mõſtrat. Quæ ſecundùm naturam eſt cõſtitutio, cuſtodiã & conſeruationé ſui exigit. Refero aũt ad conſtitutioné ſeu διάθεσιν oĩa, quæ ſ̃ dicta ſunt, vt κρᾶσιν, δύναμιν, ἐνέργειαν, ſitum, formã. & reliqua. Quæ verò p̃ter naturam inſedit in corpore, aut reliqua parte διαθέσεως, ſemper indicat ἀναιρεῖν, i. e. deſtructioné ſui, ſiue contentis inſit, ſiue partib. ipſis. In ea aũt, q̃ ſecundùm naturã eſt conſtitutio, præcipuè attendendum eſt virtuti, q̃ ex temperie perfecta gignit ἐνέργειαν, vt hæc, quoad ejus fieri poſſit, muniatur, roboretur, ac p̃ſtetur illæſa, qua languefacta, p̃tinus languefiunt cætera, proſtrata extinguuntur, & omnis fruſtra tentatur & adhibetur curatio. Conſeruatur autem virtus duobus modis.

Virtutis cõſeruatio.

1. Primò, *ſi inſtauretur ac reſtituatur vel emendetur per ea, quæ ſunt ſimilia & naturæ cognata, id, quod vel de ſubſtantia diminutum eſt atq; detractũ, vel in temperie immutatum alterationibus.*

2. Secundò, *ſi repellatur & arceatur omnia illa, quæ vel attenuare*

attenuare & exhaurire substantiã, vel temperiem vitiare queunt. Naturalis n. constitutio conseruari, & si quid de ea decessit ac periit, restitui vult ac expleri: affectus verò præter naturam contraria affectione excindi vult atq; euelli: Ἀναίρεσις huius semper fit per contraria, sicut conseruatio illius per similia. Excindit n. quod affectui præter naturam contraria affectione vim infert. Ergo, *præcipue ipsius præter naturam affectus essentia, quod ipsi cõtrarium est, proximè & quod vltimo fieri debet in curatione ostendit.*

Affectionũ præter naturalium tria genera.

Sunt aũt affectionũ præter naturã tria genera, sicut dictũ est: *Morbus, morbi causa & symptoma.* Horum trium symptoma etsi & partibus corporis & contentis cõmune est, nullam tñ per sese requirit curationem, aut parit ἔνδειξιν curatiuam, nec per se variat eam, quæ secundùm naturã instituitur, curationẽ, sed per accidens in ordine curationis aliquid aliqñ mutat, cùm sc. ꝑpter vehementiã abit & vertitur in causam, & vi atq; efficaciã causæ, vel lædit virtutẽ, vel vitiat constitutionem corporis. Virtutẽ lędunt semper *immoderata insomnia & vigiliæ longæ, vehemens & acutus dolor, nimiæ euacuationes.* Constitutionẽ verò hęc nõ semper lædunt, sed interdum. Et ferè his solis symptomatis, cùm eo vsq; inualuerunt, vt tentent ac affligant virtutẽ, cogimur quandoq; occurrere ante morbi extirpationẽ, sicut vsu venit quandoq; in *colicis affectionibus, in ardentibus febribus, in defluxionibus alui, in vomitionibus.* Medicatio ergo omnis propriè dirigitur ad ea vitia, q̃ partibus insunt aut contentis, id est, ad morbum ipsum, vel ad causam, vel ad vtrumq; simul. Quæ ad morbum dirigitur, propriè est θεραπεία, 1.
quæ ad morbi causam προφυλακή, quando morbi 2.
impediendi respectu, prohibet, ne erumpat causa, in morbos, i. e. ne, quod humoribus inest vitium,

 membris

membris communicetur & imprimatur: Quæ ex vtroq; mixta est ἐκ τῆς προφυλακῆς καὶ θεραπείας, instituitur & perficitur semper in θεραπείᾳ seu προφυλακῇ omnis per ea, quæ vel morbo, vel morbi causæ sunt contraria. Morbus factus, si cum nulla est conjunctus causa, curationẽ omnẽ ad se cõuertit, & sol⁹ scopum vltimæ curationis pfinit; si est cum causa cõpositus cõtinente, & simul simplex morbus est, vt sunt intemperaturæ cum materia & obstructiones, transfert curationem à sese ad causam continentẽ; si est cõpositus, vt sunt tumores pter naturã, implicat causæ curationẽ suæ; si nõ est cõjunctus cum aliqua causa, sed causa tñ, q̃ initio fecit morbum, non est exhausta tota & euacuata, vt fit in dysentericis fluxionib⁹, cum intestinis jã vulneratis, fluxio acutorum humorum nondũ est abscissa, peculiaris curatio causæ debetur, alia item morbo, ppterea ꝙ causa prorsus à morbo differt. Idq; vniuersim est obseruandum, qñ morbo absoluto de causa in corpore adhuc aliqd reliquũ est.

1. Morbus factus.

Morbus fiens, cujus nulla adhuc pars constitit, etsi principia ortus sui habet, vt cum materia agitata fluit, aut à pestilentibus bubonibus pestilentes halitus diffunduntur in totum corpus, nullam requirit curationem; Nulla enim adhuc pars ejus actu existit, etsi est in potentia proxima, sed præseruationem postulat, quâ causa & sublata & abscissa, quæ morbum jam jam factura est, prohibeatur morbi generatio.

2. Morbus fiens.

Morbus, qui partim fit, partim jam constat, mixtã ex pseruatione & curatione postulat medicationẽ. Deniq; qui ne quidẽ cœpit fieri, sed iminet arcet̃ sola pseruatione. Ergo tm̃ morbi cõfirmati impressi o-

3. Morbus partim fiens, partim factus.

4. Morbus imminens.

impressione absoluti ex toto, sine connexu cum causa continente, curationem omnem sibi soli vẽdicant. Absoluti ex toto, sed cum causa continente connexi, ita, vt ex ea dependeant, si simplices sint, curationem decernunt omnem continenti; si compositi, partem curationis sibi partem causæ decernunt. Qui aliqua sui parte constiterunt, aliqua, quæ adhuc in motu est, imperfecti sunt, quãtum ad partem absolutam, θεράπειαν, quantum ad reliquam nondum factam, προφυλακὴν exigunt. Qui principia ortus sui habent proxima, sed nulla sui parte cõstiterunt, προφυλακὴν requirunt, id est, euacuationem causæ antecedentis, q̃ incipit morbum facere ἐνεργείᾳ. Qui nulla habent principia propinqui ortus, requirunt προφυλακὴν, id est, eductionem causæ antecedentis, quæ tantum est causa δυνάμει. Exempli gratia. Intemperies simplex sine humore emendatur sola alteratione: Contra in Pleuritide, si, qui tumorem facit & inflammationem, humor totus & fluxu constitit ad membranam succingentem costas curatio morbi est *causæ continentis euacuatio*, quæ fit deriuatione ad loca propinqua & discutientibus, &c. Diximus autem, morbum per se esse in continentibus, id est, corpore ipso, vel eius partibus, causam verò morbi in contentis, id est, in humoribus & spiritib. Simplices morbi, simplicem curationem, compositi compositam requirunt. Sic vitia in contentis simplicia, simplicem; Composita compositam emendationem exigunt. Similarium partinm affectiones simplices sunt intemperies, calida, frigida, humida, sicca. Ad hæc substantiæ laxitas & mollities, deinde putrefactio atque corruptio. Humoribus

Curatio morbi quid.

affectiones partium similaribus.

Humorum & reliquorũ contẽtorum. & cæteris contentis eadem accidunt; corruptio & putrefactio, quæ substantiam mutant κακοχυμία quæ intemperiem inducit alteratione secundum primas qualitates; quam, cum cõsequatur, & mutatio secundarum qualitatum, intemperiei nomine complectimur etiam reliqua vitia orta ex altetionibus præter naturalibus; vt crassitiem & tenuitatem, duriciem & molliciem, lentorem seu tenacitatem, acrimoniam. Tertium est immodica exuberantia, qualis in plethora est. Et sæpè cum κακοχυμία concurrit motus vehementior, & turbulenta agitatio humorum atque defluxio, & loci naturalis mutatio.

Partium organicarum Organicarum partium vitia, quæ medicamentis emendari possunt, numerari solent, meatuum leuitas & asperitas, angustia seu coarctatio & amplitudo seu dilatatio, densitas & raritas, occlusio & apertio. Nam cætera, quæ figurã partium vitiant vel in numero aut magnitudine sunt præter naturam; ea omnia aut ex humorum vitiis enumeratis ortum habent, aut chirurgiæ operam exigunt, sicut & continui solutio, quæ parti vtrique communis est.

Itaque intemperiem calidam emendat medicamentum refrigerans, frigidã calefaciens, humidã exiccans, siccam humectãs. Agitationi humorum cõuenit medicamẽtũ sedãs & reprimẽs, defluxioni tum inhibens & repellens. Redundantiam minuit medicamentum vacuans per vomitum, deiectionem alui per vterum, per vrinam, per sudores, per nares, per palatum, & quod per cutem resoluit & digerit. Crasso attenuans, tenui addensãs, duro emolliens & molli indurans, lento nitidens & de-

& detergens, acrimoniæ illinens & glutinoſum frigidum conuenit; Laxo contrahens conſtipans & corroborans; Contracto contentoque laxans; dolenti quod dolorem mitigat ſedátque; Quod eſt expers doloris ὀδύνηρον, id eſt, tale, quod doloré infert. Corruptioni aduerſatur, quod hanc inhibet vocaturque ἀλεξιτήριον καὶ ἀλεξιφάρμακον. Crudo concoquens conuenit, putreſcenti ſuppurans. His contraria ſunt venenata corrumpentia & putrefacientia. Meatum leuitati repugnat medicamentum exaſperans, aſperitati leuigans, anguſtiæ dilatans, dilatationi aſtringens ſeu coarctans, denſo rarefaciens, raro denſans, concluſo quod oſcula aperit, aperto occludens, cogens & comprimens oſcula, obſtructo quod meatus aperit, aperto, quod eoſdem obſtruit, ſolutioni cõtinui & agglutinans & σαρκωτικὸν καὶ ἐπουλωτικόν, id eſt, quod ſuperficiem exæquat & obducit cicatricem. His contraria ſunt exulcérans, exedens, καυστικὸν, ἐσχαρωτικον Hoc ergo modo primo omnium conſtituendum eſt, morbusne, an cauſa curationem requirat. Species enim vel morbi vel cauſæ mox de cõtrarii remedio docebit, & de vltimo ſcopo, quo, qui præter naturam inuaſit affectus excindi tollique debet; ſi plures concurrant & complicentur morbi, de quibus complicationum differentiis *ſupra* pertractauimus ſemper illi affectui intendendũ primò ac principaliter, qui vel vrget maxime, aut magnitudine & vehemẽtia aut affectæ partis pſtãtia, aut ſine quo cæteri tolli nequeũt.

De vltimo ſcopo, cum eſt conſtitutum, & inuẽta eſt contrarietas morbo aduerſa, qua excuti ille ac depelli debet, ſecundum partẽ deliberationis ordo curationis ſibi vẽdicat, & motus, & vt ita dicã pro- *Secunda cõſideratio de ordine modo & proceſſu.*

processus, scilicet quo ordine & qua ratione curatio ad illum vltimum scopum dirigenda sit. Præscribunt autem ordinem in curatione seruandum & mouent quid, quo loco & tempore fieri debeat, præter ipsius affectus speciem reliquæ circumstantiæ, vt magnitudo, qualitas, tempus, locus seu sedes affectuum. Et præter hæc, naturæ robur, cuius consideratio nunquã est negligenda. Magnitudo, vt *extremis morbis extremè exquisita remedia adhibenda sunt: Acutis morbis citò succurrendum:* Chronici moram concedunt & inducias. Quali-
Sect. 1. aph. 6. tas, vt *materia turgens statim inter vitia euacuanda est: Non cocta, non sunt commouenda, sed expectanda est coctio.* Ergo qualitates monent præsertim si vitium
Sect. 1. aph. 22. sit in humoribus, vt semper præmittantur, quæ naturam p̃parent euacuationi, id est, vt ante euacuationem natura ad iuuetur in humoris coctione & separatione. Crassa attenuentur, viscida incidantur & abstergantur, acria obtundantur, tenuia densentur, quæ in motu sunt, sistantur. Deinde materia præparata & cocta, fiat euacuatio. Medicum enim quoad eius fieri potest, oportet imitari actionem naturæ quę in omnibus humoribus tantisper, donec viget valetque, primo experitur coctionem, & inter coquendum subacta ac elaborata, eliciens ac separans, reliquum tandem, ꝙ
Sect. 2. aph. 29. ad vsum corporis reduci nequit, expellit.

Tempus etiã morbi, de ordine curationis multa mouet. *In principiis morborum,* inquit Hipp. *Si quid mouendum, moue, in statu quiesce.* Deniq; alia in principiis, alia in augmento, alia in statu, alia in declinationibus particularibus & vniuersalibus conueniunt. In principiis febrium putridarum, dum

materia

materia adhuc est cruda, nec purgantibus vtendũ est, nec diaphoreticis, nec diureticis nec mouẽtib. sudorẽ. Nec ante euacuationẽ aut diureticis aut diaphoreticis vtendũ est; & sic de cæteris; vt in defluxione humorum, ex quibus, quando constiterunt, fiunt tumores præter naturam, in his præcipuè interest plurimum tempus defluxionum cõsiderare, & vniuersim influxionibus omnibus.

Locus vero & sedes affecta plurima mouent, ad ordinem curationis rectè instituendum necessaria. Nam ex meatibus, qui parti affectæ præiacent & circumiacent atque accumbunt vel cohærent & ex toto corpore impedimenta prius mouenda esse manet, quam offeratur aliquid, vel partis affectæ malum aggrediamur & tentet, siue in ipsa parte sit affectio, siue in contentis humoribus. Quod si non fiet, medicamentum aut non penetrabit ad partem affectam, obstantibus impedimentis: aut si perruperit & p vaserit, secum abripiet & abstrahet eò, quo fertur, sordes omnes in meatibus refertas & morbus augebitur; Aut si expurgati meatus non fuerins, nec patuerint, per quos ab aliqua parte vel ex toto corpore contracti humores medicamento sunt educendi, quod attrahitur de humoribus obstructione inhibitum, nouum gignet periculum. Ita si parti affectæ volueris consulere: non prius exonerato aliquaotulum & euacuato toto corpore vel circumiacentibus partibus præsertim in plethora, & excessu κακοχυμίας, perficies, vt medicando exasperes affectum atque adaugeas, vel maiore agitatione humorum, vel attractione copiosioris materiæ. Cum itaque de affectus specie constitutum sit, & repertus est locus affect⁹ proti-

tredinis attrahantur. Fiet ergo hoc ordine curatio conuenienter, si initio communes viæ omnes, vẽtriculi, intestinorum, Mesaraicarum, fuerint expurgatæ. Postea fuerint vsurpata ea, quæ materiæ vitia emendant, & præparent eam, vt à calore natiuo subigi possit; ita tamen, vt semper misceantur, quæ calorem natiuum excitent & roborent. Tertio si natura iacente materiæ pars præcipuè καθαρτικοῖς fuerit euacuata; tandem si & διαφορητικὰ fuerint exhibita & διυρητικὰ, quę euacuationi nunquam præmittuntur, sicut euacuatio coctionem nunquam antecedere debet. Sic de cæteris. Ita ergo si sit cõstitutum de morbi specie, circumstantiæ reliquæ indicant, quo sit ordine progrediendum, in quo semper hoc spectetur, vt contraria affectui præter naturam opponantur.

DE REMEDIIS ET EORVM generibus.

TErtio, ordine inuento, cogitandum est de remediorum generibus, quibus tota curatio sit peragenda. Monstrant autem remediorum genera; rursus, cum species ipsius affectus præter naturam, id est, affectus morbus vel morbi causa, tum ea, quæ cum essentia morbi coniuncta ordinem curationis pręscribunt; vt magnitudo morbi, qualitas, tempus, sedes affecta. Nam quæ rationem & ordinem curationis, eadem etiam & remediorum vsurpãdorũ ordinẽ ostẽdunt ac generãt. Frigid⁹ affect⁹ calefaciẽtia, calidus cõtra infrigidãtia, viscid⁹ humor incidẽtia & abstergẽtia; repletio euacuantia; inãitio replentia requirit. Obstructio à *Tertia consideratio.*

lento

lento & viſcido humore, incidentia & abſtergentia; à craſſo attenuantia; ab aridis & attenuatis (vt calculus; (rarefacientia, emollientia, & humectātia; à flatibus craſſis, ea quæ diſcutiunt ac diſſipāt flatus exigunt. Et ſemper conſideratio partis affectæ cōprehendenda eſt, eò quod ſimul miſceri oportet aliqua, quæ ſimilitudine ſubſtantiæ & virtutem partis & calorem eius natiuum roborent. Sic quantum ad genus, eadem intentione curatur obſtructio epatis & cerebri, ſcilicet apertione; ſed alia aperientia epati, alia cerebro conueniunt, etiam cum obſtructio eſt ab eodem humore. Item aliter obſtructio in ſima, aliter in gibba epatis regione curatur. Illa enim euacuatur reuulſione impacti humoris, per aluum; hæc depulſione humoris infarcti in meatus vrinarios.

DE QVANTITATE REMEDII *in ſpecie.*

Quarta conſideratio. QVarta conſideratio quærit de quantitate remedii in ſpecie. De hoc decernendum eſt, tū ex magnitudine affectus præter naturam, tum ex conditione partis affectę præter naturam. Magnitudinem affectus ſignorum & ſymptomatum vis atque impetus, & cum à priſtino atque naturali habitu, tum ab eo, qui fuit ante morbum, receſſus & mutatio indicat. Habitum & conſtitutionem corporis ex natura ægrotantium, ætate, conſuetudine & aliqua ex parte cœli & aëris ſtatu ęſtimam⁹. Naturæ appellatione, quæ complectamur, *ſupra* diximus. Cōſuetudine, aſſuefactione vitæ genus, ratione victus, anni tempus, cœli regionis & aëris ſtatum

latum & similia comprehendimus. Quibus o-
nnibus addita consideratio signorum; q̃ propria
ūnt, perdūcit indubitatò ad cognitionem consti-
utionis secundùm naturam in toto corpore, aut
oarte affecta, ad quam si magnitudo morbi ex
nagnitudine symptomatum æstimata conferа-
ur, constabit euidenter, quantum morbus con-
titutionem naturalem mutarit, atque à pristino
iabitu dimouerit atq; euacuarit; & quàm valida
lecernenda sint remedia. *In morbis minus periclitan-* Sect. 2. aphor.
ur, quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni 34.
mpori, morbi magis congruunt, quàm vbi nulli congru-
nt. Et in talibus omnibus minus validis reme-
ijs opus est. Idcirco vnus & idem morbus, &
na & eadem febris biliosa in frigido & humido
orpore; plus refrigeratiõuis, quàm in calido &
cco: In sene etiam plus, quàm in juuene re-
uirit; Etsi propter imbecillitatem virium pau-
atim id fieri oporteat; & hyeme plus; quàm æ-
ate. Ita in partibus si tendo aliquis inflamma-
one occupatur ex defluxu humorum aut vlcere,
cciora remedia, quàm caro requirit. Vniuersim
utem omni affectioni præter naturam eò vsque
ontraria adhibenda sunt remedia, & toties ite-
anda & continuanda, donec in naturalem aut il-
im saltem; qui præcessit; habitum; reducatur.
Iedicamentum omne eo ipso; quod morbo ad-
ersatur, & illi vim infert, simul agit in naturam,
amque afficit & immutat, eò, quòd aut intempe-
e aut tota substantia illi contrarium est, & tanto
uidem fortiùs immutat, quantò ipsum validius
t, & pars affecta natura imbecillior aut rarioris
: laxioris substantiæ. Ergo danda est opera, vt ita
 tem-

temperetur medicamenti vis, ne dum morbū impugnat, simul naturā expugnet, frangat, aut deijciat vehementia sua, viribus dissolutis. Cumq; in omni operatione medicamenti, natura ipsa cum medicamento, cujus vim primò excitet, luctetur, dirigens eā à sese, quantū fieri potest in morbum, pstandum, ne in tantum intendatur aut acuetur medicamenti robur, vt ab eo natura victa superetur & succumbat, aut insigni afficiatur detrimēto. Vniuersim igitur cùm affectus præter naturam reducitur ad habitum naturalem, fit id, aut semel & vniuersim, aut sensim & paulatim, ab inferioribus ordiendo & paulatim progrediendo ad vsum fortiorum; & vtrumq; quidem aut pari cōtrario, aut impari, sed iterato & paulatim adaucto vel roborato. Mitior & lenior affectus pari cōtrario semel vniuersus submoueri sine incommodo & nocumento corporis potest, quod tale medicamētum nullam viribus corporis insignem noxam infert. Sect.1 aph.6. *Extremis etiam morbis extremè exquisita remedia adhibere*, jubet Hipp. quod nisi fiat, virtus opprimitur Sectio.1.aph. 22. & extinguitur. In quibus etiam morbis à principio materia turget furitque, & agitata fertur cum impetu, valente medicamento eam euellere atq; eijcere vtile est; Vel si fiat hoc cum nonnullo virium dispendio, priusquam materia in principem aliquā partem irruat, & eâ occupatâ protinus aut vires oēs prosternat, aut pſens vitæ periculum intentet. Mediocris affectus, qui nec subito irruit, nec viribus extrema minitatur & intentat, tutius lentè ac paulatim dissoluitur. Nam vniuersim repentè demoliri sine graui periculo nō licet, quod naturā affligere necesse est cōtrariâ fortis medicamenti

nenti violentia tãtoq; magis, si corpus ipsum aut
pars affecta rariore constet textura & exquisitiore
sensu. Sitq; semper in conspectu Aphor. Hippoc.
Vniuersim & repente euacuare, vel replere, vel calefacere 51.sect.2.
vel frigefacere, siue quouis alio modo corpus mouere, pericu-
losum. Omne n. nimirum naturæ inimicum: sed quod tardè
& paulatim fit, tutũ est, cùm aliàs ab altero ad alterum fit
transitus. Quod n. lentè & sensim fit, morbo & na-
turæ debitũ pstat. Morbum n. frangit paulatim &
indé abigit, naturæ verò quam minimum damni
aut detrimenti infert. Id verò expeditur & peragi-
tur duob. modis; *aut iis medicamentis, q̃ pari vi excessui*
aduersantur, aut quorum vis languidior est & infirmior.
Ila modica quantitate exhibita aut applicata nõ
subito, sed paulatim morbum discutiunt, vt in ca-
lida intemperie *modicũ opii, mandragoræ & hyoscya-*
mi &c. calorẽ ẽt extinguunt vehementẽ; Hæc aut
repetita, aut majore administrata copia, *vt cicho-*
rium, intybus satiuus, plantago, acetosa, scammonea & δ...
...διον, bilem: Colocynthis aquosum humorem
modico pondere extrahunt; Rhabarbarum iti-
dem bilem: Agaricus phlegma ducit; sed nec
rhabarbarum iteratum scammoneam, nec aga-
ricus colocynthida; nec cichorium opij vires
sequitur & adæquat, quantocunque adaugea-
tur pondere. Tutissimum est autem ordiri cura-
tionem (nisi morbi sint extremi) à mitioribus &
blandioribus & his insistere, quod illa fortiora,
quantumuis exigua quãtitate, noxam semper in-
ferunt corpori. Nec ad fortissima transeundum
vnquam, nisi euidens cogat necessitas, id est,
vehementia & violentia morbi acceleratio-
nẽ flagitet. Leuia enim & blanda remedia

initio vſurpata, ſi res poſtulat paulatim progreſſu adaucta tandem etiam morbum eximunt, ita vt nullam labem naturæ imprimant aut inducant. Quare vniuerſim in ijs morbis, qui otium & moram concedunt, præſtat curationem inchoare à mitioribus, quæ & viribus & pondere & quantitate ſint leuiora; ea tamen lege, vt Hippocr. præceptum ſemper obſeruetur, vt, *ſi omnia recta ratione gerantur & fiant, tamen non eueniat, quod ratio promittit, nec ſucceſſus ſtatim reſpondet, ne protinus mutetur ratio curationis.* Etſi enim non ſtatim inter initia, & nonnunquam etiam aliquanto poſt, manifeſtè ſeſe vis & efficacia remediorum promit atque exerit; non tamen temerè à concepta firmiter & rationibus fulta curationis methodo diſcedendum eſt. Materiam remediorum variare licet, quod ſæpe quæ primo aſſumpta ſunt, minus congruunt, aut minus efficaciter hoc præſtant, quod intenditur. Ratio curationis ipſa & inſtituta cum ratione methodus, nunquã temerè mutetur, niſi cauſæ euidentes hoc fieri cogant. Deniq; ad eum modum dirigatur ac adminiſtretur tota curatio, vt neque morbi veſtigia relinquant, quo ad ejus fieri poteſt, neque vi medicamenti contrarium morbi genus exuberantia ex exceſſu immodicæ virtutis, corpori infligatur.

Sect. 2. Aph. 52.

QVID AD HANC CONSIDERAtionem natura partis affectæ præſtet.

PLurimum verò confert ad definiendam remediorum quantitatem, etiam conſiderare partis affectæ

affectæ structuram, id est, conformationem & contextum, positum, præstantiam & acumen sensus. In contextu & conformatione, vt diximus supra, perpendendum, raranè laxaq́; & an densa & compacta ac solida sit substãtia. In situ summove loco corporis & versus exteriora, atque adeo ipsam superficiem, sit constituta, an verò demersa in profundum & abdita, & an procul absit ab ore, ventriculo, intestinis, & vniuersim ab eo loco, cui medicamenta applicantur. In præstantia videndum, earum ne sit partium, quæ principes vocantur, & corpus vniuersum gubernant, vt sunt jecur, cor, cerebrum; an ex illis, quæ præstant aliquid, quod commune est & necessarium toti corpori, vt sunt lien, ventriculus, intestina, renes, vtraque vesica, & quæ his subseruiunt, venæ & arteriæ. In sensu perpendendum, acutine sit, an hebetis sensus. Hæc considerata quantitatem remediorum variant hoc modo: Pars densior & solidior medicamenta desiderat validiora & subtiliora, quæ penetrent fortius; Laxior & rarior, multò mitiora, si vtraque eodem sit obsita affectu; Renum solidior est substantia. Post hæc epatis, quæ tamen, quàm renum substantia rarior est. Ideo quotiescunq; fiant euacuationes ex epate, venis, aut habitu totius corporis per καθαρτικά, præstandum, vt Catharcticis misceantur astringentia Epati congrua, quibus Epatis substantia ceu contrahatur & constringatur, ne subtilior vis Catharctici penetret & eam dissoluat. Rara textura constant, pulmo, lien, musculi, glandulæ mammillarum, & in quauis alia parte corporis.

[Margin: 1. (beside "supra"); 2. (beside "In situ"); 3. (beside "In præstantia"); 4. (beside "In sensu"); *I. Contextus.* (beside "Hæc considerata")]

II. Positus. Affectus in summo corpore expositi tactui, pene paribus remedijs aboleri & obteri possunt. In profundo fixi valentiora multò exigunt, & tanto quidem, quanto sedes affecta longius abest ab eo loco, cui remedia applicantur. Inflammatio abdominis mitioribus curatur pharmacis, quàm Epatis instammatio; & quæ assumpta, vt Epatis curent obstructiones, leuiora vt sint oportet, quàm quæ ad renes diriguntur. Quæ ex ventriculo euacuant, mitiora esse oportet ijs, quæ vel ex Epate, vel ex capite, vel ex venis distributis in habitum totius corporis, vel ex articulis & juncturis, aliquid educunt. Ita quæ doloribus ischiadicis adhibentur & imponuntur, fortiora necesse est vt sint, quàm quæ reliquis articulis. Quæ enim longiore via, & per plures alias partes diriguntur medicamenta, paulatim progressu ipso dissoluuntur, & languefiunt & permiscentur humoribus aliis, in quibus vim præcipuam absumunt, & paulatim etiam ab ipso calore natiuo retunduntur in ea lucta, quæ est naturæ cum medicamentis. Acriora itaque & vehementiora talia vt sint oportet; in quorum permixtione ac præparatione tamen semper hoc præstandum vt partes, quas permeant ac penetrant, contra acredinem & vehementiam illorum accuratè muniantur, ne damnum, quod in transitu sine tali cautione imprimere ac ceu inurere partibus possent, à quibus deducuntur vel transmittuntur, fiat majus illo, quod est abigendum & arcendum.

III. Præstantia. Præstantia partis semper remedia exposcit mitiora, quod partes nobiliores vehementibus offenduntur & dissipantur. Ideo cauendum, ne vnquam

nquã parti principi laborãti remedium adhibeaur, ꝙ quacunque qualitate excedat, aut ſit nimis iolentum; ſed ſemper deligãtur talia, quæ corroorandi facultate ſint p̃dita; vt in affectionibus eatis, quibus ineſt aliquid aſtrictionis; In calidis, *Cichoreum, endiuia, ſandalorum genera*: In frigidis, *bſynthium & Eupatorium*: In cerebri calidis, *Roſæ*: n frigidis, *Betonica, maiorana, ſaluia, ſtœchas*. Quibus mnib⁹ ineſt vis roborandi partes cum aliqua adrictione. In ſpleneticis affectionibus *Polypodium, upuli, Glyzyrrhiza*, & ſimilia, quibus ineſt vis humectandi & aſtringendi cum apertione.

Acumen ſenſus reſpuit acria & vehementia emedia, vt in oculis & oſculo ventriculi experinur. Mordicatione enim acrium irritatur & læditur ſenſus. Hebetior ſenſus facile fert acria, neue his læditur. Ex his ergo & morbi magnituine, adhibita conjectura erudita & rationibus tentè definiet Medicus, quàm validum eſſe meicamentum oporteat, & quo ordine, & quibus raduum viribus p̃ditum, & quo ſit pondere offeendum, vt affectum pręter naturã ſemel deſtruat demoliatur; aut quoties admouẽdum, & quoſq; adaugẽdum ſit, ſi lentè & paulatim morbum onueniat eradicare. Semper autem priſtinus haitus in conſpectu ſit, & eouſq; promoueatur cuatio, donec ad illum fiat reditus; eo enim vltimus urationis ſcopus ducit, vnde fuit morbi initium; tiam deteriorem habitum priſtinum tantiſper, onec morbus aliquis affligit, emendare ne tenes, niſi aut morbi cauſa ſit, aut impediat curaonem. Morbo demum ſublato & refectis rooratiſque viribus incumbe, corrigendo vitio, *IV. Acumen ſenſus.*

quod longo tempore paulatim contractum est. Quæ n. paulatim & longo tempore collecta sunt, ea sensim ét & longo temporis spatio emendare conuenit; quæ breui breuiter, vt generationis tempori destructionis tempus proportione respondeat. Nec de quantitate remediorum plura regulis comprehendi & explicari possunt, quod in erudita Medici coniectura posita sint vniuersa, quem consilium instituendæ & administrandæ curationis capere oportet ex re præsenti.

Restitutionem pristini habitus nũquam posse sperari.

Quæ de reductione ad habitum pristinum dicuntur, ita sunt accipienda, vt sperari nunquam debeat restitutio illius habitus, qui tot⁹ sit secundùm naturam omnibus consideratis. Qui verò sperari debet & potest, ita se habet. Sæpe morbus subitò erumpit commouente & exerente se causa, quæ longo tempore paulatim collecta & coaceruata radices in corpore egerat, quanquam morbi cum is actu fatigat corpus, causa est continens. Qui enim morbus causam continentem habet, ille longo tempore paulatim introductus est, sc.q; causa antecedens paulatim genita & adaucta, tandem cœpit fieri continens, & morbum inferre actu, vt in febribus putridis, in tumoribus p̄ter naturã, quorum origo ex defluxionib⁹, in apoplexia, epilepsia & similibus. In talibus, ergo etsi morbus sublata causa perfectè tollitur, & corp⁹ reducitur non modo ad habitum pristinũ, sed multò meliorẽ eo, qui erat ante morbũ, (vt fit in febrib.) nunq̃ tñ vlla arte restituitur in eam integritatem, q̃ fuit ante morbi causam. Eodem modo morbus etiam, qui est sine continente causa, nunq̃ ita extirpatur, vt restituatur pars affecta illi vigori, quem habuit

Codex alter habet morbus.

ante morbum. Semper n. ex affectu pter naturam pars aliquid noxæ & vitii contrahit, q̄ diu postea retinet, etsi in iuuenibus quandoque vigore ætatis & virium robore corrigitur, aut si paulo sit insignius, perpetuo imbecillior redditur & obnoxia cum aliis incommodis pluribus, tum verò maxime fluxionibus, sicut experiuntur ægri omnes, quibus partes aliquæ semel insigniter læsæ fuerunt.

Quinta consideratio constituit de modo vtendi remediis, quo complector & modum exhibitionis atque applicationis, & locum & tempus. Remedia, quibus φαρμακευτικὴ vtitur citra opem χειρουργίας, alia immutant aliquid in substantia, vel temperie partium, vel contentorum, alia vacuant. Vacuantia respiciunt ea, quæ in corporibus præter naturam continentur. Immutantia affect⁹ præter naturam, cum in iis, quæ continentur, & causarum rationem habent; tùm verò maximè in continentibus, id est, partibus ipsis, quæ sunt propria subiecta & sedes morborum. Vtraque autem foris adhibentur aut assumūtur intra corpus; quæ tamen immutant, ea siue exteriora siue interiora sint parti affectę, quam proxime adhiberi oportet. *Quinta consideratio.*

His, si foris erunt adhibenda illitione, cōtactu, fomento aut similibus, locū adhibitionis demonstrabit, vel pars ipsa obuia oculis, si fuerit externa, aut summo corporis proxima; vel cognita ex doctrina Anatomes collatio connexioque & conformatio, si intus latuerit. Eligatur autem externæ applicationi ea semper sedes, ad quam repit, vergit & ꝓpendet pars affecta, quæue directo loco affecto ita incumbit, vt eam contingat vel coalitu

aliquo illi cohærescat, vel respondeat alioqui societate aliquarum actionum, quas ab ea accipit. In epatis inflammatione dextro hypochondrio; in splenis sinistro; in renum affectione regione lumborum; in colicis doloribus circa vmbilicum; in affectionibus matricis dissimiliter, pro affectus natura & diuersitate, aut supra vmbilicum altiore loco, aut infra hunc, aut in ipsum vmbilicum; In dysuria ex affecto pene, aut collo vesicæ, pubi accommodentur remedia. In paralysi manus ex læsione spinæ, non manui, sed spinæ; in pedum paralysi ex defluxu catarrhi in os sacrum; vel affectione eiusdem per consensum, vt fit quãdoque in dolore ischiadico & calculi, ossi sacro, & coxendici, aut regioni lumborum applicentur pro natura affectus primarii. Si intra corpus sit sumenda remedia, locum modumque exhibitionis ostendit sedes partis affectæ & consensus eiusdem cum aliis διὰ κοινωνίαν, ὁμιλίαν, σύμφυσιν, sicut dictum est, id est, ex communicatione mutua vltra citraque rerum certarum ex contactu & coalitu vel immediato, vel interuentu aliarum partium, &, tertio, viæ ad partem affectam directæ quæ omnia ex doctrina anatomes diligenter cognosci oportet. Cerebro succurrunt & medentur maximè, quæ foris coronali suturæ, aut illi, quæ ὀβελιαῖα dicitur, in syncipite, adeoque ipsi syncipiti applicantur, maximè versus anteriora & suturam coronalem, quod ea parte & cerebri suturæ magis hiant, quam alibi, & ossa ipsa syncipitis tenuissima sunt, & pluribns peruia meatibus. Conferunt etiam cerebro, quæ in nares indun-

induntur vel ſubſtantia, vel ſuffitu, & quæ collutionibus, aut manſu, aut anagargariſmis in ore & faucibus agitantur, vt ſunt ἀποφλεγματισμοί, ἀποκλύσματα, ἔρρινα. Eorum enim quæ in ventriculum deglutiuntur,& tardior eſt,& imbecillior in cerebrum actio affectioque. Pectori, arteriis, & pulmoni medentur tum quæ foris imponuntur, linimenti, emplaſtri, fomenti, aut liquoris forma; tum quæ hauriuntur inſpiratione, & delinctu tardiuſculo in ore diſſoluta ita liqueſcunt, vt paulatim illabantur in aſperam arteriam citra impeditionem reſpirationis. Ventriculo, Epati, Lieni, eodem modo proſunt & foris admota & aſſumpta deglutitione & alia quidem aliter applicata, ſi affectio conſiſtat in gibbâ Epatis regione, aliter ſi in ſima. Oſculum ventriculi ſuperius affectum vomitu purgatur conuenientius, fundus vero ventriculi affectus alui deiectione, quæ cienda eſt pharmaco aluum ſubducente. Inteſtinis inferioribus affectis enemata; ſuperioribus potiones ſunt conuenientiores. Renibus & aſſumpta & foris applicata & infuſa in inteſtina, vt enema proſunt. Veſicæ & vtero ſimpliciter conueniunt externa aſſumpta & immiſſa; In veſicam quidem catheteres, in matricem per ea, quæ vocantur μητρεγχυτά, & alioquin ſubdita, ſi ſint ſolidiora, ſicut peſſarium. Euacuatio eorum eſt, quæ in corpore, ſicut dixi, præter naturam continentur. Continentur autem

tem ſpiritus, ſub quibus omnia genera halituum complector, quorum diſcrimen multiplex eſt, & humores atq; excrementa, quæ differunt coctionibus, quarum in corpore humano tres eſſe conſtat. Excrementa ſunt, quæ nulli vſui ſeruiunt in corpore, & nihil aliud requirunt, niſi, vt maturuerint à natura minus coctionibus occupata, egerãtur & excernantur, vt ſunt alui feces, vrinę, & quæ à cerebro & pulmonibus redduntur, atque alia horum ſimilia, quæ in habitu totius corporis coaceruantur. Humorum alii ſunt περιτλώματα κατὰ τὶ, quos vt græci χυμοὺς nominant, ſic Latini ſuccos appellare poſſunt ; Alii ſunt περιττώματα ἁπλῶς, id eſt; humores ſuperuacui ſimpliciter, qui à puriore & meliore ſanguine ſegragati, ad nutritionem corpori nihil conferunt aut præſtant, etſi inter excernendum natura iis ad alia officia vtitur; è quorum genere eſt pituita, quæ ex prima coctione reliqua, ventriculi & inteſtinorum tunicis adhæreſcit; Flaua bilis, quæ poſt ſeparationem à ſanguine deponitur in folliculum fellis ; Melancholicus humor, quæ eſt in liene. Succi vlteriore coctione & immutatione in corporis ſubſtantiam, conuerti & ipſam nutrire ſolent, inſtaurato eo, quod à calore natiuo depaſtum atque abſumptum deceſſit, quibus annumerari poſſunt & ii, quos ſecundos humores nominant, id eſt, ſucci confecti tertia coctione, quæ fit in venis. Sed & halituum & ſuccorum & excrementorum genera rectius diſtinguuntur ſecundum coctiones; qua de re, qui volunt, videant meos commentarios de diuinatione.

DE

DE EVACVATIONIBVS ET *earum differentiis.*

SEd tam humorum, quam excrementorum adeoque spirituum singuli & vniuersi, alias secũdum naturam se habent, cùm & mole & quantitate ac temperie & qualitatibus naturæ legibus cõsentiunt ác congruunt, tuenturque corporis sanitatem; aut præter naturam cōsistunt, cũ aut quantitate modum mensuramque naturæ congruam excedũt, aut qualitatum dyscrasia, aut substantię immutatiõe degenerãt à suæ speciei natura. Quicquid autem horum à mediocritate, q̃ natura adornat & exigit, & à iusto modo, & ea specie, quam natura instituit, deficit, quando morbos, si intra corpus commoretur, ciet, si nequeat aliter emendari, & ad eam, quæ congruit naturæ, mediocritatem reuocari, protinus excindendum est & aufe-endum. Hæc autem illius expulsio & euacuatio dministrabitur & peragetur ritè, dextrè & fæliciter si hæc considerata & præstita fuerint: Primo uid sit euacuandum: Secundo ex quibus locis: ertio per quos ductus aut vias euacuatio debeat it possit fieri: Quarto, quibus remediis, aut quo orum vsu & quo exhibitionis modo, & quo tẽ-re: Quinto qua qualitate. *Quid in euacuationibus considerandum.*

Primo quid sit euacuandum, comparandum atque cognoscendum ex contentorum habitu que conditione, quam semper oportet esse præ-naturam. Requirit aũt euacuatio πλεονεξίαν seu indantiam humorum, siue boni sint, & secun-n naturam, sed naturæ oneri, seu vitiosi. Est e-omnis πλεονεξία, aut κατὰ δύναμιν, quæ natu- *Quid sit euacuandum.*

ram

ram grauat; aut κατὰ τὴν ὑποδεχομένην χώραν, vel κατὰ τὸ ἔγχυμα, cum loca & vaſa continentia humores copia diſtenduntur, cum periculo ruptionis, vel alio aliquo. Etſi quæ κατὰ δύναμιν eſt πλεονεξία vt maximè initio poſſit eſſe ſine vitio, perdurare, tamen ſine vitio & corruptione diu non poteſt. Contenta diſtinguimus coctionibus; In
1. prima coctione, quæ fit in ventriculo, contenta præter naturam ſe habent, ſi aut redundent citra inſignem aliquam labem vel noxam, quæ ſecundum naturam gignuntur, aut ſi etiam mala coctione aliquid vitii contrahant, quod eſt vel qualitatum intemperies, re ſubſtantiæ corruptio, id eſt, q̃ vel diſcedit à ſpecie rei, q̃ gignitur ſecundũ naturam, vel qualitatibus alienis modum menſurãque
2. naturæ conuenientem excedit. Et ſecũda co-
3. ctione producta contenta, efficiunt aut πληθώραν aut κακοχυμίαν. Tertiæ coctionis vitioſa contenta in habitu corporis totius, aut ὄγκον efficiunt, aut καχεξίαν; ὄγκον præcedit in venis πληθώρα, καχεξίαν κακοχυμία. Primi generis πλεονεξία colligitur ex prima coctione in ventriculo, inteſtinis, venis
1. meſaraicis & cerebro. Secundi, in ramis venæ
2. portæ intexentibus gibbatu epatis, & inde diſtri-
3. butis in totum corpus, & in cerebro propter halitus, qui ex epate, dum fit coctio & ex venis in cerebrum efferuntur perpetuo. Tertii generis πλεονεξία eſt in habitu totius corporis, id eſt, venis inſertis in membra nutritionis cauſa membris ipſis, muſculis, membranis muſculos veſtientibus, poris corporis & cutis, & quibuſcunque vacuis & cauis ſpaciis, & in quacunque regione corporis. Quæ autem ex prima coctione in prædictis locis

colli-

colligitur reduntantia, ferè horum locorum tantũ est, quæ in venis & habitu corporis, aut est vniuersalis & fusa distributaque in totum corpus, sine certo & definito loco; aut particularis est & loci certi, quæ tamen ferè sine vniuersali est nunquam: Idcirco etiam verenda nunquam est, nisi vniuersalis præmittatur. Primum omnium autem, cum est euacuatio facienda, constituatur, cuius coctionis aut succi aut humores aut excrementa sint educenda. Multa enim monebit hæc consideratio, atque inprimis de modo & ordine euacuationis, sicut dicetur. Vt si ex ramis venæ cauæ moliemur euacuationem plethoræ vel cacochymiæ, nunquã nisi in extremis casibus necessitate vrgente ordiemur ab ipsius Plethoræ aut cacochymiæ eductione, sed prius amouebimus, quæ in officina primæ coctionis de humoribus aut excrementis reliqua sunt. Si etenim retinentur, aut vi pharmaci in venas adducerentur, aut postea attraherentur in locum euacuati. sic si in tumore corporis aut καχεξία aut hydropicis aut diaphoretis aliquid p̃ poros sit dissipandum, nũquam id tentabimus, nisi vtramque officinam præcedentium duarum coctionũ accurate, quoad eius fieri potest, expurganerimus Ideo semper præmittatur eductioni superfluorum ex vltimę coctionis officina, expurgatio membrorum seruientium duabus præcedentibus. Et si coctionis secundæ superflua sint euacuanda prioris coctionis officinæ ante omnia euacuetur. Quid igitur sit euacuandum, præter cætera argumenta & indicia, quæ de partibus affectis testantur, sicut *supra* diximus, ostendent etiam consideratæ officinæ singularum coctionum. Ex ventriculo educimus

Prima coctionis vitia.

educimus, aut quod in eo tanquam primæ coctionis officina præter naturam nascitur, aut quod infunditur. Quod colligitur in ipso ventriculo, aut quãtitate tantum excedit, vt Chylus iusto copiosior, Phlegma coaceruatũ maiori copia ex cibis phlegmaticis; aut simul qualitate peccat, vt cum Chylus alienæ qualitatis vitio afficitur & vel aduritur, vel corrumpitnr, Phlegma adustum, salsum, viscidum, acidum, vitreum, *porraceus humor ex corrupto Chylo qualem* pueri & intemperantes vomunt. Quod infunditur, aut foris immittitur, aut ex reliquis corporis partibus eò deriuatur. Foris immittitur, vt sunt haustis venenati, potiones medicatæ, quas ventriculus respuit, ingurgitatio, immoderio cibi & potus influunt ex reliquo corpore ex capite catarrhi, iique multiplices; ex epate & venis totius corporis, humores diuersi; sanguis rarò; bilis crebrius, & huius diuersa genera, vt flaua, vitellina, porracea, æruginosa, exquisitè atra; Ex liene, succus melancholicus, ex intestinis quandoq; regesta & regurgitata excrementa. Ex intestinis euacuamus præcipuè feces, quæ sunt recrementa primæ coctionis, deinde cum ea, quæ in intestina naturæ ductu demittuntur & folliculo fellis & liene, tum ea, quæ eodem confluunt ex hepate & venis totius corporis, humores diuersi, rarò sanguis; bilis crebrius & huius diuersa genera; vt flaua vitellina, porracea, æruginosa exquisite atra, vt fit in dysenteria & hydrope, & cum ex capite delabentes catarrhi colicos dolores commouent. Ex venis Mesaraicis euacuanus, quæ vel ex Chyli partibus ibi substiterunt & adhæserunt, vel ex iis omnibus, quæ per ventriculum in intestina descen=

descenderunt, eodem abrepta sunt. Ex capite euacuamus, tùm quæ in venis capitis præter naturam continentur, tùm quæ extra venas coaceruantur ex halitibus in humorem condensats, qui non tantùm ex ventriculo, epate & venis totius corporis, tanquam coctionum officinis, interea dum fit coctio, sed tùm ex his ipsis malè affectis, & vitioso humore obsitis, tum verò etiam ex reliquis partibus vniuersi corporis inferioribus in id tanquam in tectum fumosæ domui impositum efferuntur, vt ex matrice, liene, & intestinis. In quibus diligenter considerandum est, quæ pars cerebro aliquid communicet, vt non solùm ex cerebro illud euacuetur, quod communicatione eò translatum est, sed prohibeatur communicatio euacuatione ejus, quod communicatur ex ipso fonte. *Nunquam autem ferè* πληθώρα vel κακοχυμία *venarum cerebri est sine* πληθώρα & κακοχυμία *totius: Nunquam ergo inde emolienda est euacuatio, nisi præmittatur, aut simul fiat diminutio eorum, quæ in toto redundant.*

Secundæ coctionis vitia, quæ in venis continentur, sunt, vt diximus, πληθώρα & κακοχυμία. *Secundæ coctionis vitia.* Nam venarum sanguis nequaquam simplex est, & vniusmodi, sed pituitæ, bilis vtriusque & puri sanguinis missione constat. Totam igitur ex succis omnibus compositam massam consueuerunt sanguinem appellare, abusu vocabuli *Sanguinis.* Ea est autem ratio & proportio mixtionis horum succorum in homine bene temperato, vt minus bilis, quàm succi melancholici, & hujus minus, quàm pituitæ, & pituitæ minus, quàm puri sanguinis. Cùm ergo omnes humores seruant justam *Proportio humorum in sanguine.*

inter sese & corpori conuenientem proportionem, nihilque in sese habent vitii, nihil, quod à temperie & constitutione suæ speciei sit alienum, is sanguis censetur optimus. Quantitate peccat sanguis, cùm vel sincerior ipse ac purior sanguis solus, vel cum puriore sanguine reliqui succi omnes in temperie & qualitatum mediocritate positi, nullaque infecti labe alienâ, ita redundant, vt in iustam & naturæ congruam excedant mensuram, proportione æqualiter aucti & accumulati. Hæc redundantia etsi bonis & vtilibus humoribus corpus implet & imbuit, tamen non est sine periculo. Si enim tanta sit, vt impletis vasis tensionis sensum inferat, & habitum vniuersi corporis tumefaciat, minatur pericula ruptionis, vel violentæ apertionis vasorum, & effusionis humorum, & præcipitationis in loca humidiora, & discrimen imminet, ne vel distenta vasa dehiscant ac disrumpantur, vnde partium inflammationes eueniunt, atque αἱμοῤῥαγίαι; vel ne oborta vniuersalis obstructio ex humorum in angustiores meatus infarctum incendat alieni caloris flammam in toto corpore, quæ calorem natiuum restinguit, & repentino strangulatu cordis mortem infert. Si verò hæc redundantia tanta quidem non sit, vt distenta vasa tumefaciat & rumpat, maiore tamen mole vrgeat, quàm à natura viribus impare regi gubernarique, & in vsus conuerti necessarios possit. Talis igitur redundantia, quæ premit & grauat naturam imbecilliorem, quanquam ab initio purissima est, tamen diu permanere non potest, sed destituta regimine natiui caloris, paulò post corrupta degenerat,

tat, fitque morborum causa. Vocatur autem πλῆθος πρὸς δύναμιν, eò, quod ad vires refertur, & ex harum robore æstimatur. Sed cùm vt plurimum in plethora humoribus redundantibus insit aliquid vitii, rectè distinguitur in *PVRAM* & *IMPVRAM*, cuius distinctionis fundamenta Galenus ostendit 2. *Aphorism. decimaseptima parte.* Pura constat exuberantia omnium succorum æquabili proportione adauctorum. Impura κακοχυμίας particeps est, cum, qui redundant humores, non copia tantum infestant, sed alieno etiam qualitatis vitio; scilicet si tale hoc sit, vt parte aliqua superflui decisa & exempta, reliquum sua vi possit natura emendare & restituere; si verò tantum sit vitium, vt nequeat natura post detractionem alicuius partis, reliquum coctione ad bonitatem adducere non πληθώρα amplius, sed κακοχυμία est. Et quidem hanc impuræ κακοχυμίας speciem collocant sub ea, quæ vires respicit, πληθώρας specie.

Qualitate peccat sanguis, cùm vel ipse sincerior sanguis, vel cum illo permixti succi reliqui mutata temperie desciscunt ab ea, quæ secundùm naturam est, mediocritate, quod fit duorum modorum altero; Vel ipsis per se succis citra admixtionem aliorum humorum degenerantibus, vel permixtum aliorum vitiosorum humorum.

Vocatur autem, sicut dixi hoc humorum in venis vitium κακοχυμία, cuius vna species mitior est, cùm vel humores superuacui, qui separari consueuerunt, immodicè cumulantur, vel succi in sanguine recedunt à mediocritate & proportione.

Altera deterior est, cùm vel humores superuacui, qui separantur, vel qui nutriunt corpus succi, à temperie naturali in præternaturalem prolabuntur, mutatione substantiæ aut intẽperiei: Quarum illa sine putredine fit, vt in magnis adustionibus aut infectionibus; hæc cum putredine, aut citra eandem contingit. Substantiæ enim mutationem temperiei, alteratio accedit & consequitur, sed non è conuerso: *Alteratio omnis, quæ est mutatio qualitatum & temperiei, substantiæ conuersionem efficit, & substantiæ corruptionem alterationes semper præcedunt,* & à paruis orsa initijs augentur eo vsque, donec à suæ specie substantiam deijciant, atque in alienam commutent. Tertiæ coctionis vitia sunt, ὄγκος, seu tumor totius corporis, & καχεξία. ὄγκος respondet plethoræ. Fit enim musculis, membranis, & vniuerso habitu corporis, boni nutrimenti copia nimia impletis, & hujus accretione & conformatione adauctis in molem præter naturã tumori similem. Καχεξία respondet cacochymiæ, eisdem vitiosi nutrimenti copia imbutis, & velut inflatis, & tumefactis. Estque harum inter se coctionũm ratio talis, *vt nunquam vitia in præcedentibus admissa, sequentes coctiones emendent.*

Tertiæ coctionis.

Ὄγκος.

Eisdem] scil. musculis.

AN ILLVD, QVOD EST EVACVandum, quiescat, & de loco ac modo euacuationis.

Secunda cõsideratio. Ex quibus locis.

POstquam perquisitum & cõstitutum est, quid sit euacuandum, ac quale sit, sequitur altera consideratio, qua in corpore illud sit conditione: an quiescat, an verò sit in motu totum, an verò aliqua ex

qua ex parte; Vel an ex toto alicubi cõſtiterit, vel etiã, an extra corpus effundatur, & de loco, ex quo fieri debet euacuatio. Hanc enim conſiderationẽ ſecundam poſuimus, cui ſubjunximus tertiam de meatibus, per quos debet fieri euacuatio; & quartam de modo, in quo & locum complectimur, ad quẽ humoris educendi debet fieri tractio: Ex his diſcrimina euacuationum deinceps extruemus.

Quale ſit id, quod euacuandum eſt, diſtincta ſpecies ſecundùm coctionum genera τῆς πλεονεξίας monſtrat. Corruptio vel ſubſtãtiæ vel intemperie eorum, quæ ex quacunq; coctione naſcuntur, ſemper requirit corrupti eductionem. Hoc tamen attentè obſeruandum eſt, ne vnquam aggrediamur euacuationem, ijs caſibus exceptis, de quibus *ſupra* diximus, niſi prius tentata emendatione vitij vnà cum natura, eo, quem natura ſeruat, ordine, id eſt, juuemus naturam intentam còctioni confortando ac fouendo natiuum calorem & materiam viribus ac robori naturæ adaptando. Natura enim ſemper ante expulſionem incumbit in materiæ exæquationem & conformationem, quam ſi non aſſequitur in tota maſſa corrupta, tamen partes jam elaboratas explicat ex reliquis & ſeparat, & vitioſas etiã, quæ ſubigi exactè nequeunt, aliquo modo excoquit. Poſt ſeparationem vtilis ab inutili & noxio, tota ſeſe ad expulſionem noxij cõuertit. Hanc ergo qñ molitur, juuanda eſt euacuationibus. *Tunc enim fœliciter procedit euacuatio, quando fiet medicamento trahente & natura pellente.* Sed diſſimilis eſt ratio πληθώρας vtriuſq; puræ & impuræ & ὄγκυ. In quibus etſi nulla ad modum opus eſt præparatione materiæ, tamen hoc caueatur.

tur, ne nisi summa vrgente necessitate, perinde vt in κακοχυμίᾳ, instituatur euacuatio ante expurgatas præcedentium coctionum officinas accuratè. Quod nisi fiat, succedet in locum, euacuatio id ꝙ in illis officinis ex præcedentibus coctionibus reliquum substitit. Cùm ergo quæ peccant temperiei vitio, euacuanda sint, si moram concedant, ne moueantur ante præparationem & maturitatem, de qua inquit Hippo. *Concocta medicari & mouere, non cruda, neq; in principiis, si materia non turgeat. Plurimum autem non turget.*

Sect. 1. aph. 22.

Quantum autem ad contentorum, quæ euacuanda sunt, sedem attinet, vniuersa contenta insunt vel amplis cauisque spaciis trium distinctorum velut alueolorum corporis, vt capitis, thoracis & imi ventris; Et extra hos etiã particularium mẽbrorum quorundam, vt articulorum iuncturis, cauernis ossium, cauis interstitiis inter membranas & musculos, iisque aut omnibus simul, aut aliquibus, vel ductibus venarum & arteriarum, qui in corpus vniuersum distribuuntur, vel minutis etiã sensum fugientibus poris, quibus tota corporis & singularum partium substantia, ceu pertusa cribri instar, quauis patet & peruia est, continuo effluxu tenuium halituum.

Contentorum conditio.

Quantum ad conditionem contentorum, aut quiescunt sine motu aliquo, aut impulsa feruntur & ruunt vel vago adhuc incertoque impetu & motu, vel ad certas ac definitas metas intra vel extra corpus, aut ex fluxu in aliqua corporis parte jam constiterunt, aut partim constiterunt, partim adhuc fluunt; & secundùm coctionum discrimina, quæ ex prima coctione colliguntur crassiora,

ſiora, aridiora, & magis terrea; quæ ex ſecunda tenuiora, liquidiora, exactius ſubacta & emollita; quæ ex tertia, adhuc magis aërea ſunt & exactius maturata.

In prima coctione. Hæc intelligenda ita ſunt: In prima coctione fit commixtio diſſimilarium partium nutrimenti, de quibus quantum exæquari inter ſe & cogi aliquo modo & commixtione vera ad mutuum coalitum in vnius humoris certi ſpeciem dirigi poteſt, hoc ſecernitur à reliquis, qui extenuationem, exæquationem & commixtionem talem non admittunt. Hoc ipſum tamen adhuc valde craſſum eſt, id eſt, inelaboratum, & conſtat multis craſſis partibus terreis inelaboratis, cum craſſo humido aqueo non ſatis elaborato, confuſis verius, quàm exactè commixtis, vt nondum exactè coaleſcant, & mutuo complexu cohæreſcant, profuturo ad ſoliditatem, quæ nutritioni neceſſaria eſt, ad quam natura tendit. In hac coctione, quæ melioribus ſeparatis relinquuntur, prorſus craſſa, terrea & exucca ſunt, cum aqueo crudo temerè confuſa. Hæc craſſities intelligenda eſt, non de ſoliditate & denſitate ſubſtantiæ, quæ ſemper augetur coctionibus ſequentibus, vſque ad extremum momentum veræ nutritionis; ſed de ruditate inelaboratarum partium, & ſine firmo coalitu inter ſeſe confuſarum, quæ cum humido ſubigi in maſſam ſolidam nequeunt. Sic in ſecunda coctione eodem modo calor elicit & colligit, interque ſe commiſcet & complicat, quod maximè ſimilitudine ſubſtantiæ in maſſam vnam ſimplicem veram & ſolidam ſubigi poteſt. *In ſecunda coctione.*

 Reli-

Reliquum rude, quod extenuationem non fert, & commixtionem directam, ac solidum coalitum rejicit ac repellit. Ita rursus inelaboratum quiddam & rude remanet, quod liquidius quidem est primò, eò, quia humidum cum sicco est commixtum exactius, sed tamen vltimo crassius & magis terreum. In vltima coctione q relinquitur, postquam substantiæ membrorum nutrimentum exactissima, qua fieri potuit, soliditate accommodatum & conformatum est, multò est liquidius excremẽtis pcedentium duarum coctionum, i.e. minus habet partium crassarum & inelaboratarũ & temerè sine commixtione & coalitu forti humidi & sicci confusarum, sed tamen in substantia solidius. Propterea natura singulis his excrementis educendis conuenientes meatus comparauit quasi vias quasdam, qui cum contentorum ipsorum receptaculis congruunt. Horum autem meatuum, alij sunt velut communes & publicæ regiones destinatæ sordibus expurgandis, alij sunt arctiores, & certarum partium vsui seruiunt. Communes ac publici meatus comparati ac accommodati sunt excrementis euehendis, quæ ex toto corpore confluunt, aut latè sese diffundunt. Publicorum meatuum tres sunt differentiæ seu ordines. Prima est à gula & faucibus & oris hiatum iniens, per ventriculum & cauam epatis partem, ac multiplicem venarum mesaraicarum sobolem & longos intestinorum flexus, aperitur & dehiscit in anum. Altera ex medio jecinore in tenuissimas & minutissimas singularum partium venas, quas capillares vocant, excurrit & comprehendit conuexa Epatis, renes,

In vltima coctione.

Publicorum meatuum tres differentia.

1.

2.

renes, omnemque cauam venã, qua illa ſeſe digerit ac diſtribuit, & illi comitem arteriam & quicquid earum etiam incidit inter inguina & axillas. Exonerat autem ſeſe vel in primam illam regionẽ imi ventris, vel p renes in veſicam, vel extra corpus per apertas *aut ſponte aut arte venas*. Tertia muſculos, oſſa, membranas, omnemque complectitur habitum corporis, qui ab ingreſſu extremarum venarũ & arteriarum in partes ſingulas & cutem ipſam deducitur & expanditur. III.

Particulares meatus excipiendis & euehendis deſeruiunt excrementis, quæ nec latè dimanant, neque in vniuerſum corpus diffluunt: Tales ſunt, qui cerebro, pulmonibus, renibus & vtero ſeruiũt. Et horum omnium quidem aliqui lacunis ſimiles, amplis cauitatibus excipiunt & reuomunt ac reiiciunt excrementa: Aliqui cauitatibus ſimiles ſunt, qui à lacunis deriuantur, ſicut venarum & arteriarum ductus: Aliqui reſpondent foraminibus aut poris terræ, quibus hæc deriuatos ex fontibus aut lacunis per riuulos liquores admittit, & imbibit.

Vacuationum igitur, quas Hipp. & Gal. ſimpliciter vocant κενώσεις, diuerſo reſpectu, differentiæ ſunt plures. Primum quantum ad locum & ſedem τῆς πλεονεξίας ſeu redundantiæ, alia eſt vniuerſalis, alia particularis. Vniuerſales ex vniuerſo corpore aliquid ſubtrahunt, per ſe, vel per accidens. Euacuationum vniuerſalium per ſe differentiæ ſunt plures reſpectu coctionum. Quantum ad primam coctionem; vomitus & alui deiectio. Quantum ad aliam κενεαγγεία, quæ eſt vel ſanguinis pfuſio, vel κάθαρσις vel φαρμακεία.

Particulares Euacuationũ vniuerſaliũ per ſe differentia plures:

1.

2.

I. *Sanguinis profusio.* Sanguinis profusio fit aut per phlebotomiam aut scarificatu, præsertim crurum circa imos talos: aut prouocatione fluxus narium, vel hæmorrhoidum vel menstruorum, 2. *κάθαρσις.* κάθαρσις vel φαρμακίη, id est, purgatio vel medicatio, fit medicamento trahente vel educente humorem vitiosum.

Quantum ad tertiam, est διαφόρησις, quæ efficit ἄδηλον τῇ αἰσθήσει διαπνοήν, & ἱδρώς, id est, perspiratio & sudor, quæ efficiunt aut assumpta intra cor- 3. *διαφόρησις,* pus, διαφορητικὰ καὶ ἱδρωτικά; aut foris adhibita, exercitia, balnea & frictiones. Harum euacuationũ etsi quælibet vnam regionem proximè & primò validissime, cæteras tamen simul quadam constrictione exonerat, etsi paulo parcius: *Vomitus.* Vomitus primo ac per se ventriculum, deinde si perduret, vi- I. *Alui deiectio.* scera ac venas maiores, postremò & corporis habitum; Alui deiectio primò & abundè intestina, Viscera, primas venas (puta mesaraicas.) deinde maiores, tandem minimas in habitu corporis his II. *Sanguinis profusio.* maioribus cohærentes. Sanguinis profusio proximas venas exhaurit & arterias perpetua ἀναστομώσει cum his conuenientes, deinde molem corporis & ipsa viscera vsque ad primas venas, adeoque ipsum ventriculum, quem ex nimio sanguinis profluuio singultu corripi experientia docet.

Quæ per cutem fit digestio atq; dissipatio, pri- *Διαφόρησις.* mum habitum corporis dissoluit atque attenuat. III. *Digestio per cutem.* Secundo ex insertis huic venis minimis, & consequenter ex maioribus, tandemque ex profundo *Per accidens.* corporis allicit atque attrahit. Inedia per accidẽs exinanit corpus. Nam exinanitionem per sese efficit perpetuus effluxus atque exspiratio eorum, quæ à calore in halitus funduntur, ad quam si inedia

edia

ędia accedat, corpori detrahitur id, quod debebat fieri, instauratio absumpti, fit inedia, causa euacuationis per accidens, propter impeditam scilic. absumpti instaurationem.

II. *Particularis euacuationis differentia duæ.*

Particularis euacuatio partem tantum aliquam onere excrementorum, aut alleuat, aut liberat. Huius duæ sunt differentiæ quantum ad sedem affectam: aut enim qui educendus est humor, cōtinetur intra vasa aut extra vasa, Qui intra vasa latet, & horum apertionem & eorum meatuum, per quos duci debet humor, expurgationem exigit; vt in pleuritide, phrenitide & similibus. Qui extra vasa est, requirit, vt illæ viæ præcipuè pateant, per quas fieri debet eductus. Expurgamus aūt particulariter cerebrū quidē per palatum & nares & cranii suturas; Pulmonem & pectus per asperam arteriam; Renes & vesicam, prouocatione vrinæ; osculum ventriculi superius vomitu; intestina superiora deiectione alui; Inferiora glande, aut Clystere; matricem iis, quæ μητρέγχυτα vocantur; Ex locis vergentibus ad summa corporis, ea, quæ per cutem fit eruptione. Et harum quidem euacuationum vnaquæque aut sponte fit, aut arte. Sponte fit cum citra medicationem aliquid ex corpore effunditur, idque fit interdum natura gubernatrice & victrice secernente & excutiente aut superflua aut cum vitio noxia, estq; naturalis, cōueniens & salutaris, & vulgo vocatur κριτική. Interdum fit natura lāguente aut prostrata cum scil. continere & regere humores neq;t, sed derelictos fieri sinit suopte motu & impetu: Aut nō lāguēte quidē sed irritata humorū aut copia aut acredine, intm̄, vt hos è vasis & receptaculis suis prorumpe & exilere sinat, estq; p̄ter naturā, & irrita & semp mala, etsi nō semp letha-

Intra vasa. *Extra vasa.* I. *Cerebrum.* 2. *Pulmonem.* 3. *Renes & vesicam.* *Sponte.*

lethalis, vocaturque συμπτωματικὴ & nocet corpori eò, quod benignnm & vtilem pariter cum noxio egerit: aut est naturæ victæ & deiectæ ac succumbentis indicium,

Artificiosa ope medicinæ peragitur. Natura enim euacuationem non externa ope, sed suis viribus & maximè expulsione, molit & perficit. Medicus externis vtitur præsidiis, iisq; multiplicibus, quibus naturam vel irritat vel adiuuat. Ad profusionem sanguinis venas aperit aut scalpello aut hiruudinibus aut medicamentis quæ ἀναστομωτικὰ dicta, oscula venarum aperiunt. καθαρσιν seu purgationem medicamentis molitur, quæ humores noxios eliciunt atque extrahunt, ac deinde foras vel vomitu vel deiectione alui vel vrinę profluuio pellunt. διαπνοὴν & sudores prouocat exercitiis, frictionibus, æstu, omni motu, balneis pręsertim medicatis, vt nitrosis, sulphureis, salsis, bituminosis, decoctis herbarum. Cerebro succurrit ἀποφλεγματίσμοις, ἐῤῥίνοις & aliis, quæ applicantur suturis cerebri. Pectus & pulmonem arteriacis & βηχικοῖς; Renes & vesicam διουρητικοῖς vterum ὑστερικοῖς Aluum glandibus & enematis; In partibus ad summa corporis vergentibus collectos è coaceruatione & affluxu humores euacuat digerentibus, suppurantibus ἀμυκτικοῖς, καυστικοῖς; actualibus, vt ferro candente; potentialib. vt corrodentib. aut vrentibus, Cantharidibus & iis, quæ ex cineribus & metallicis formãtur, lapidũ aut puluerum forma; cucurbitis, scarificatu. Diligenter aũt hoc obseruetur in hac distinctione, ne vlla vnq̃ instituatur particularis euacuatio ante vniuersalem, siue intra vasa sit materia, quæ euacuanda est, siue extra.

DE

DE VLTIMO EVACVATIONVM omnium Scopo.

QVãtum ad motum & quietem attinet humoris euacuandi, omnis euacuatio siue ea vniuersalis sit, siue particularis, est aut simplex euacuatio, id est, κένωσις ἁπλῶς; aut ἀντίσπασις, id est, reuulsio: aut παροχέτευσις, id est, deriuatio; Aut ex his mixtis constat. Euacuatio simplex eorum est humorum, qui citra motum aliquem & agitationem peccant. Reuulsio eorum, qui à qualicunque parte in aliam partem impetu feruntur ac irruunt. Deriuatio eorum, qui ex fluxu iam constiterunt in aliqua parte ipsi quodammodo impacti. Cum simplici euacuatione reuulsionem coniungimus, cum partim in motu est materia, partim adhuc quiescit. Cum reuulsione deriuationem coniungimus, cum materia partim in motu est, partim ex motu resedit & conquieuit in aliqua parte. Quandoque coniũgimus omnes has differentias simul, pro ratione materiæ, & eius conditione vt in pleuritide. Simplici ergo euacuatione purgant ventriculum quidẽ vomitus; intestina clyster; & viscera & mesenterium purgatio; venas maiores phebotomia; habitum corporis euaporatio & sudor: caput ἀποφλεγματισμοὶ ἔῤῥινα, σιαλισμοὶ & cauteria; pectus arteriaca. Reuulsio motum humorem respicit, qui vel per vasa fertur, vel extra vasa. *Estque humoris impulsi & ruentis in aliquam partem retractio in contrarium & quidem semper ad remotissimam.* Contrarietas cum humor inclusus est venis, Medicis posita est in recto ductu, processuque earum venarum, per quas humor fertur secundum fibrarum rectitudinem, ita vt *Reuulsio quid.*

ita vt positu è directo respondeat vena, ad quam debet fieri retractio illabentis humoris semper ad remotissima καθ' ἴξιν & κατ' εὐθεῖαν, id est, secundum rectum vasorum & rectarum fibrarum situm, quarum est trahere. Nam vena aperta, exempli causa, Primo exilit is sanguis, qui foramini proximus est, deinde allicitur huic vicinior & tandem remotior, idque peragitur & completur rectarum fibrarum ope, quibus non trahentibus sanguis sua spõte ad rectitudinem fibrarum fluit. Et quanquam nomine contraria sunt, dextrum sinistrum, intus, foris, sursum deorsum, ante retro; tamen non semper constituunt eam cõtrarietatem, quæ in reuulsione respicienda est, nisi accedat venarum fibrarumque è directo respondens collocatio. Si extra vasa sit humor, rectè contrarietas constituitur ex prædictis terminis. Itaque nisi locum fluxioni obnoxium, à quo fieri debet reuulsio humoris influentis, vena reuulsionis directè respiciat, sed transuersim & oblique, nihil aut parum refert. Quicũque autem in partem aliquam inuaserit humor, reuelletur aut præsidiis externis aut assumptis intra corpus; si sanguis confertim irruat in partes supra furculas collocatas, reuellet eum secta è regione in cubito humeraria seu cephalica validius ac celerius; tardius & segnius vena, quæ est inter pollicem & indicem. Si ex grandioribus venis in angustiores & vniuersas eas partes, quæ inter furculas & renes cõtinentur, influat, præstabit reuulsionem celerius & validius secta brachii vena interior seu basilica ex latere eodem, & nunquam aduerso; tardius, quæ inter annularem & minimum digitum porrigitur. Ex utrisque reuellit vena media. Si

Qua contrarietas in reuulsione obseruanda.

dia. Si in eas partes deferatur sanguis, quæ renibus & femoribus interiacent, sistitur fluxus, si corpus sit πληθωρικον; Primo interioris venæ brachii incisione, deinde vel venæ poplitis, vel saphenæ in malleolo; si non sit plethoricum, solius saphenæ sectione. Si reliquorum humorum quicunque influat in aliquam partem, reuelletur purgatione. Si extra venas fluxerit humor aliquis, & enematis & deiectionibus alui per καθαρκτικὰ reuellitur. Foris autem siue sanguis fluxerit, siue alius quicunque humor intra vel extra venas, reuulsionis causa adhibebuntur fortes ligaturæ, frictiones, καυςικὰ actualia & potentialia, Denique vniuersim ea, quæ aut dolorem cient aut calefaciunt. Si ad suprema contenderit vel halitus, vt sæpe ex matrice, ex ictibus venenatarum bestiarum; vel humor, vt in phrenitide, cum bilis sursum rapitur, reuellentur deorsum. Si ad inferiora decubuerint humores, vt in fluxionibus alui, sistentur retracti sursum. Si ac exterioribus ad interiora, fiat reuulsio ad exteriora sicut in Anthracibus pestilentialibus, & ictibus venenatarum bestiarum illitis alexiteriis, aut cucurbitis impositis cum sacrificatu. In quibus semper hoc obseruetur, vt quando retractionis causæ aliquid applicatur venenatis aut humoribus aut ictibus, siue calidum tantum, siue dolorificum, misceantur, quæ veneni vim retundant ac frangant. Nec sunt plura ad reuulsionē organa, q̄ *phlebotomia quidē* vel vniuersim venę apertio sanguine fluēte in venas; Purgatio intra corp⁹ assūpta, fluētibus relliqs humorib. intra vel extra venas; Adhibitio extra corp⁹ eorū, q̄ calefaciūt & dolorem *Reuulsionis organa.*

dolorem inferunt, quicunque fluat humor & per quaſcunque vias, & fiat ſemper ad remotiſſima, eâ, quâ dictum eſt lege, vt directo ſitu reſpondeat parti, quæ fluxioni obnoxia eſt, & in venarũ fluxione ad eum modum, vt ſequatur rectum fibrarum contextum, quarum munus eſt allicere & attrahere humorem, etiam ex longinquioribus quadam conſecutione. Quæ rectitudo ſi non obſeruatur, attrahetur humor non ille, qui fluit, ſed alius quietus ex aliqua parte, & accidet, vt cõmotis & agitatis humoribus augeatur fluentis ante humoris impetus. Vena vero ampla multum vicina celeriter & expedite trahit; anguſtior & remotior minus & tardè: In magna ergo & vehemẽti inflammatione & periculoſa, ſi ea ſit ex maligna humoris præcipiti fluxu, & locus, in quem decumbit humor, ſit nobilis, magna vena propinquo loco ſecetur, vtpote quæ plus, celerius & efficacius ex ipſo loco affecto reuellit; ſi mitior ſit affectus, præferatur vena anguſtior & remotior, vt reuulſio ſenſim fiat & lente.

Deriuatio quid.
Quod modis fiat.

Deriuatio reſpicit humorem, qui iam obſedit partem & ipſi quodammodo impactus eſt. Eſt enim *illapſi & ceu infarcti iam humoris tractus in latus vicinum.* Fit autem ſimiliter tribus modis. Primo ſi ſit fluxio intra venas, aperta ea vena, quæ in partem affectam inſeritur, qua & haurit illa nutrimẽtum, & idem ſi ſit ſuperfluum, cum valet, repellit à ſeſe ad aliam vicinam. Si extra venas, medicamentis trahentibus humorem. Si extra vel intra venas ſit fluxio quæcunque, foris adhibitis iis, quæ calefaciunt aut dolorem inferunt. Si ergo in venis vehitur fluens humor, opportunè diuertetur & trãsferetur

ferettur, poſtquam reuulſione præmiſſa, fluxionis impetus ſedatus atque repreſſus reſtitit, neque influit aliquid amplius, neque nouæ fluxionis ſuſpicio eſt, & humor hic adhuc liquidus eſt ac fluidus, & ad motum idoneus. Si verò qui conſtitit humor ex infarctu inflammatus cœperit areſieri & dureſcere, vt fit in confirmatis & inueteratis inflammationibus, fruſtrà loco moueri tentabitur, ſed digerentia tunc & emollientia experienda erunt, quorum hæc emolliant & diluant humorem, ac reſolutioni præparent; illa, quæ emollita ſunt & fuſa, reſoluant ac diſſipent, Si enim humor diſſolui hoc modo nequit, ſuppurantia experienda erunt, quorum erit vis & efficacia maior, ſi cum reſolutione emollitio humoris præceſſit; pus verò euacuatur medicamentis rarefacientibus cutem, vel ſi ſit opus ſcalpello viâ factâ. Si verò neque locus eſt inſignis, neque dolor valde vrget, antè maturationem etiam partem affectam incidere & diducere licet, indeq; elicere concluſum humorem, & tunc maximè, cum contagione inficit vicinas partes, vt in bubone & anthracibus peſtilentialibus & gangrænis. Quandoque vna eademque vena ſimul deriuat, reuellit & euacuat, vt eiuſdem lateris venæ ſectio in pleuritide, in quo minimè audiendi & ſequendi ſunt Arabes, qui præcipiunt, vt in pleuritide, cum πληθώρα adeſt, cauſa euacuationis ſaphena pedis, reuulſionis cauſa oppoſita brachii baſilica, deriuationis cauſa eiuſdem lateris baſilica aperiatur. Falſa eſt hæc opinio, ſicut ſuo loco dicemus. Et quorſum opus eſt tot phlebotomiis, cum omnia præſtet vnica, quæ fit è directo lateris affecti. In oculorum lipitu-

pitudine extremi aurium ambitus ſcalpello inciſi deriuant humorem influentem extra vaſa cerebri. Humores quicunque cerebri partem anteriorem obſederunt, per nares ἐῤῥίνοις, qui ſummam partem, per commiſſuras cranii, qui partem imam, ἀποφλεγματισμοῖς per palatum; qui latera, plerunque per aures; oculorum ἐπιφορὰς & lachrymæ, per coronalem commiſſuram deriuantur. Interiora, quæ per neruos opticos influunt in oculos, per occipitium, vel cõmodius per illud caminum, quod eſt penes radicem infimæ auriculæ. In auribus cõngeſti humores per aures ipſas expurgantur. Pulmones, latera, & vniuerſim interiora pectoris, purgat excreatio. Ventriculi pars ſumma vomitu iuuatur, ima deiectione. Iecinoris pars gibba per vrinam; caua & lien totus & omnis inteſtinorum implexus per aluum ſoluitur. Renes & veſica per vrinam: teſtes & ſpermatica vaſa per παραστάτας; Vterus per ſuam ceruicem opportunè euacuatur. His generalibus præmiſſis, nunc in ſpecie quædam addemus de iis affectibus, in quibus reuulſione vti conuenit.

De iis affectibus, in quibus reuulſio conuenit.

Capitis affectus iam ex plethora tam externos, quàm internos reuellit aperta vena humeraria, alias cephalica; largius & expeditius, dextros dextra, ſiniſtros ſiniſtra; lentius paulò illa, quæ inter pollicem & indicem excurrit. Verùm deriuant ſcarificatus ſcapularum & humerorum, & cucurbitæ impoſitæ, & profluuium ſanguinis narium, vt in phrenitide, apoplexia & ſimilibus. Vertigines inueteratæ ſoluuntur inciſis arteriis, quæ penes aures ſunt, ſicut & inueterati capitis dolores ex cauſis calidis. Humores, qui

qui mouent dolores capitis anterius, poſt reuulſionem deriuantur patefacta vena frontis; qui occiput & poſteriora infeſtant, cucurbitis cum ſcarificatu ceruici aut humeris impoſitis, aut rupta vena cutis. Humores, qui inflammationes in oculis & acres lachrymas cient in fluxu ſuo & decubitu, reuelluntur inciſa vena humeraria, deriuantur autem apertione venæ, quæ in alterutrum angulum oculorum inſeritur. Aurium inflammatarum & parotidum materiam reuellit humeraria, deriuat, quæ ſub aure eſt. Gingiuarum, maxillarum & dentium materiam poſt reuulſionem ex humeraria deriuat vena aperta, quæ ſub labiis eſt; ſicut in angina, poſt retractionem ex humeraria diuertit inciſa vena ſub lingua. Pulmonum inflammationem, ſputum ſanguinis, palpitationem cordis, pleuritidem, vel ad membranam ſuccingentem coſtas, vel ad muſculos excitatam, inflammationes diaphragmatis vena inciſa interior lateris eiuſdem ſimul & reuellit & deriuat. E iecinore inflammato dextri brachii interior vena validius; quæ inter annularem & minimum excurrit, imbecillius reuellit. Ex liene ſiniſtri brachii eadem vena inciſa reuellit. Deriuant verò, quod in cauo Epatis continetur, ad aluum, quod in gibbo ad renes, quod in liene ad aluum ducunt. In renum inflammatione ſi adſit plethora ex interiore brachii vena dextra, ſi renem dextrum, ſiniſtra, ſi ſiniſtrum inflammatio occuparit; ſi nulla adſit plethora, ex vena poplitis aut malleoli tutius fit reuulſio. Menſium ſuperfluum fluuium inhibet & coërcet cæſa interior cubiti vena, ſi adſit plethora; ſi non

adsit, cucurbitæ subter mammas vel ad vmbilicum affixæ suppressos menses prouocant & proliciunt venæ aut poplitis aut malleolorum, quib⁹ apertis fit, vt sanguis cum impetu pcipitetur deorsum, & eo impulsu clausa orificia venarum matricis perrumpat ac reseret. Vtero inflammato initio incisa interior cubiti vena reuellet: deinde aperta vel vena poplitis, vel malleolorum deriuabit & euacuabit. Nimis largè affluentes hœmorrhoides vena cubiti interior incisa retinet, suppressas commouebit secta vena in malleolo. Inflammationem coxendicis, quæ vocatur ἰσχιὰς cubiti vena incisa reuellet, deriuabunt poplitis aut malleolorum venę. Sic inflamationibus ani, pudendorum, vesicę, inguinum, cubiti veńę reuulsionis ratione; Poplitis aut malleolorum vena deriuationis ratione medebitur. In cruribus inflammatis si adsit plethora, præcedat incisio venæ cubiti, postea pedum venæ aperiantur. Si plethora nulla adsit, sufficit apertio venarum, quæ ad poplitem & malleolos porriguntur.

Phlebotomia unde cau[s]etur. Phlebotomiæ omni causa adfert vel vtilitas vel necessitas. Vtilitas præcipuè in præseruatione à morbis humoribus adhuc quiescentibus; Necessitas semper in curatione, humoribus aut fluentibus, aut in partem aliquam iam delapsis. Si ergo ex plenitudine metuantur morbi, si oborti nondum sunt, detractio sanguinis auertet & arcebit illos. In qua diligenter obseruetur, vt quantò plethora fuerit impurior, tantò minus sanguinis emittatur; Quantò fuerit purior, tantò plus. Incipientes morbi si ex plenitudine nascantur, hac decisa submouebuntur & excludentur ne fiant.

Prohi-

Prohibebitur enim, ne quid gignatur amplius; & quod iam genitum est, natura exonerata sua vi cõcoquet, euacuabit & excutiet. Sic febrium ardentium principia antequam in flammã exardescant durentem & confirmatam, sæpè sola apertio venę extinguit, & omne inflãmationum genus, præsertim interiorum, profusionẽ sanguinis flagitat. In augmento & statu tàm febrium, quàm inflammationum cum in febribus putridis manifesta signa coctionum conspiciuntur, inflammationes verò tendunt vel ad resolutionem vel ad suppurationem, minimè sanguis ducendus est, sed in febrib⁹ humor coctus medicamento deriuandus & eiiciendus est, postea quod reliquũ est, vrinæ profluuio & sudoris effusione consumendum est. In tumoribus maturanda puris coctio & euacuatio, & sic de reliquis. Sed cauendum, ne vnquam circa principia particularium accessionum in febribus atque iis diebus, quibus fiunt accessiones, nisi vrgeat summa necessitas, vena resecetur. Etsi enim natura valens vigensque circa initia paroxysmorum vomitus, circa declinationem & finem, sudores ciet, interdum & alui deiectiones: Tamen nec alui deiectionem pharmaco purgante, nec profusionem sanguinis apertione venæ moliri conuenit; quod ea nón molitur natura, sed si quæ incidunt morbi, feruore & impetu fiunt, quibus natura irritatur. Neque vlla potest institui vtilis euacuatio in tanta humorum agitatione & perturbatione, & virium omnium, præcipuè cordis languore, & calefactorũ spirituum feruore. Quãtum ad horam diei attinet, si morbus concedit potestatẽ deligendi tẽpus idoneum venę sectioni, *Qua hora vena secanda.*

 con-

conuenientius eſt ſemper matutinum tempus pomeridiano & ſecunda vel tertia ab exortu Solis hora, ſed non torpeat adhuc ſopore & veterno æger, ſitq́, ventriculus cum venis omnibus & inteſtinis à corruptis & crudis humoribus & cibo ſemicocto liber. Hoc fiet, ſi purgatus prius leuiter fuerit, ſi cibum præcedentis diei bene coxerit, ſi excrementa prius egeſſerit. Morbi valde acuti, vt angina, pleuritis, immodicus ſanguinis feruor, extrema plenitudo vaſorum minitans vel iam inferens pericula, de quibus iam dictum eſt his legib⁹ non tenentur. Et in febribus intermittentibus, ad tempus quietis potius reſpiciendum eſt, ſi venæ inciſionem plethora flagitat.

Quantum ſanguinis emittendum.

De quantitate magis educendi, cōſtituendum eſt ex morbi magnitudine & virium robore. Vehemens & magnus morbus conſtante virtute detractionē ſanguinis largā exigit, vel vſq; ad animi deliquium; mediocris moderatā ēt cōſtante virtute, q̄ non tàm neceſſaria eſt quàm vtilis, & ſanationē magis promouet & maturat, quam in p̄ſentia efficit. Exigu⁹ verò modicæ aut nullius euacuationis ope indiget. Si natura exiſtente imbecilliore morbus ſit magnus, qui largā requirat euacuationem, potius paulatim & iterato, quā ſemel & vniuerſim ſanguis ſubtrahendus eſt. Hanc iterationē vocant ἐπίκρεσιν. Viribus p̄ſtratis nulla, quantumuis poſtulante morbo, tentanda eſt ſanguinis eductio. Cùm in parte aliqua ſanguis impetu delapſus ſubſiſtit, qui nec retrahi ἀντισπάσεῖ, nec deriuari παροχετεύσεῖ poſſit, & ſit ex ipſa parte euacuatio facienda, fiat appoſitione hirudinum, ſcarificatu & cucurbitis. Hirudo trifidum vulnus facit & ſugit, donec

nec impleatur, & ferè illud tantum, quod ſubter cutem ſummam decubuit, exhaurit rarò ex vicinis partibus, nunquam ex profundo aliquid attrahit. Scarificatus ſcalpello ſummam cutem, & interdum ſubtenſam veram cutem vulnerat & lacerat, quandoque & orificia venarum aperit, præſertim ſcalpello adacto vehementius, & impreſſo profundius. Si ſummã cutem aut alteram ſubtenſam ſauciat, patefacit exitũ humori ſub cute collocato, rarò aliquid ex longinquo allicit, ꝙ eatenus affluit, quatenus in locũ euacuati ſuccedit, aut quatenus ratione doloris attrahitur. Si ſcarificationi adhibeatur cucurbita, fit attractio vehemẽtior ex alto vi flãmæ & caloris. Si ſine ſcarificatu cucurbita adhibeatur, attrahit quidẽ è profundo ad cutẽ, ſed tñ illud, quod tenuius eſt digeſtum, in halitus reſoluit ac diſſipat, reliquũ non educit, ideoq; cõmodè adhibetͬ fluxionibus irruentibus, & ſanguinis profuſioni, ſi loco è directo cõtrario illi, à quo eſt profuſio imponatur. Impactum enim partibus humorem deriuat, altè infixum euocat, & vterum præcipitatum ſiſtit.

Purgatio vitioſum humorẽ & qui qualitate peccat, euacuat, in quacunq; ille cauitate corporis cõſiſtat. *Qualitatis aũt nomine complector non tantum primas qualitates, ſed & ſecundas, vt craßitiem, lentorẽ, acredinem, ſalſedinem, & corruptionem ſubſtantiæ, vt cum ex inflammatione putreſiunt humores.* Et differt à phlebotomia, quod illa ſanguinem profundit permixtum cum reliquis humoribus tantùm ex venis: hæc reiicit ex corpore & quacunq; corporis parte, quod vitio aliquo affectum eſt, niſi ſit immoderatior. Eſt autem purgatio omnis, ſicut & ſanguinis profuſio, aut vniuerſalis aut particularis;

Purgatio.

Quomodo differat à phlebotomia.

Purgationum differentiæ.

Et vtraque aut ſponte fit, aut arte & ope medicamenti dextrè adhibiti. Denique omnis purgatio aut eſt ſimplex κένωσις, aut reuulſio, aut deriuatio. Vniuerſalis totum corpus aut partes præcipuas omnes expurgat & exonerat à recrementis, fitque aut deiectione alui aut vomitione. Et alui deiectio cietur medicamento aut aſſumpto per os, hauſtu vel deglutione, aut ſubtus in inteſtina infuſo, enematum forma. Trahit autem medicamentum purgans quoduis, non ſolùm caloris vi, etſi pleraque calida ſunt, neq;, vt Auerrhoes cenſuit, ratione vacui, conſecutione quadã ſeſe inſequentibus humoribus, vno, qui medicamento ꝓximus eſt, moto & educto, ne ſc. aliquid relinquatur vacui in corpore; ſed & totius ſubſtãtiæ ſimilitudine & proprietate, q̃ eſt nõ à materia, ſed à ſpecificis medicamento & formis & quidẽ proxima, cuius oſtendi ratio & cauſa in mixtura & temperie primarum qualitatum non poteſt. Vtuntur aũt cæteris qualitatibus, quib. prædita ſunt, ceu miniſtris facultatibus, *ſicut hæc alibi explicantur.* Sic Agaritus *pituitam tenuiorem totius ſubſtantiæ ſimilitudine:* Rhabarbarum *bilem tenuiorem*, cùm tñ aſtringit; Turbith & colocynthis, *pituitam craßiorem:* Scammoneum *bilem craßiorem*: lapis armenius & lapis Cyanus, quem vulgo *lapidem Lazuli* vocant, *atram bilem* trahit. Eſt enim cauſa tractionis in ſimilitudine ſubſtãtiæ, ſuntq; καταρτικῶν gradus tres: Vnus eorum, q̃ ꝙ longius à temperie alimenti & corporum noſtrorum abſunt, diuerſitate ac diſcrepantia totius ſubſtãtiæ cõtinent aliquid viroſitatis, cui, ſi ſint intra corpus dãda, emendatione opꝰ eſt, & infrenatione, vt colocynthis, ſcamoneũ, diacrydion grana

Vniuerſalis.

Purgantia omnia trahere & quomodo.

Quidquid-uis purgans trahat.

Purgantium gradus qui & quot.

grana tripodii, tithymallorum, helleborus albus. Alter benignorum eſt quæ ab alimenti mediocritate minime receſſerunt, cuius generis ſunt; Primo manna arabum, viola, ſerum lactis, medulla caſſiæ fiſtulæ. Tertius eſt mediocrium, intra quæ ſunt rhabarbarum, agaricis, ſenæ folia, aloë, quinque mirobolanorum genera, cardami ſemen. Horum mediocrium eſt talis conditio in corpore, vt in robuſto ſed inedia exhauſto, medicamenti benigni parua portio vertatur in nutrimentum; mediocrium ſui generis propter ſimilitudinem vi viroſorum in putredinem venenatam. Et niſi mitia & mediocria tali proportione miſceãtur, vt vi validiore humorem, quem petunt, ſupererit, deuicti & ſubacti in corporis abripiuntur nutrimentum & mutati in humorem cognatum, eundem adaugent. Hæc vero proprietas ſeu ſimilitudo ſubſtantiæ, non actum, ſed potentia tantum medicamentis ineſt, quæ potentia vi caloris natiui intra corpora excitatur & ad actum reducitur. Quæ cum ſeſe medicamento & calore natiuo ceu foto & emollito exerit ac diffundit extenditur per emiſſos ex medicamento halitus in vniuerſum corpus & ad eum humorem, cui conformis eſt, ſimilitudine ſubſtantiæ, ſique ſit humore potentior, deuictum trahit ad locum, in quo medicamentum hæret. Non enim ex ventriculo & inteſtinis per venas in totum corpus medicamentum ſpargitur in tenues particulas comminutum, ſed reſidet in ventriculo & inteſtinis, vim ſuam præter editos halitus diffundens atque ea vi allicit & adducit ad ſeſe quod ſuæ naturæ cognatum eſt & conforme. Si

ergo exuſcitato & extimulato medicamento à calore natiuo, & eodem hoc modo medicamento trahente humorem purgandum natura eundem protrudat ſimul atque propellat, perficitur purgatio eo, quo conuenit modo, ſcilicet vt euacuentur talia, qualia conuenit euacuari, vt eſt apud Hipp. Si natura vel medicamentum non impellat, vel humorem motum non propellat, non procedit purgatio. Si robuſtior ſit virtus naturæ, quam medicamẽti, diſſoluitur hui⁹ vis atq; efficacia & diſſipatur. Si contra medicamentum naturæ vires ſuperet, vel affligit, vel languefacit, vel proſternit eam, eò quod naturæ imbecilliori & nec gubernare, nec dirigere, nec coërcere medicamenti effrenum impetum valenti, ſubtrahit & velut extórquet violenter vtile cum inutili pariter & reſoluit natiuum calorem. Inde fiunt, quæ vocantur ὑπερκαθάρσεις. Si medicamenti quantitas humoris euacuandi quantitatem excedat, aut ſi non præparato humore, neque à cæteris ſeparato, medicamentum exhibeatur, non ſui generis humorem tantũ, ſed & alios trahit, quo fit, vt ſæpè alterius generis humores educantur ex corpore, non ſine inſigni ægri offenſione & virium læſione. Tantum autem ad ſe humorem allicit medicamentum & ad eum adducit locum, in quo hæret, reliquum natura peragit, ſcilicet quæ irritata & à medicamento & à copia attracti humoris quod confluit ex ventriculo & inteſtinis, vel vomitu vel alui deiectione excernit. Et trahit medicamẽtum vel per patentes & conſpicuos meatus, vel ex capite per Oeſophagum & eos ductus, qui intra cranium pertingunt; Ex venis & hábitu corporis per eas ve-

eas venas, quarum quædam in cauum epatis inseruntur, quædam ex gibbo eius distribuuntur, qui quidem meatus in cadaueribus nunquam ita collabuntur vt prorsus aboleantur; vel per oculos, qui viuo animante caloris vi & spirituum copia distenti patent non ex tenuibus tantum, sed & crassis etiam ac lentis humoribus; extincto eodem concidunt & conniuent, ac sensum fugiunt, quales sunt, per quos aqua hydropicorum & flatus in intestina & sero si humores eorundem per renes οὐρητῆρας ad vesicam retrahuntur: Item per quos ex pulmonibus & ex cerebro sæpè pituita sine manifestis viis deriuatur in vicinas partes, vt in catarrhis. Tales sunt etiam, per quos ὑδράργυρον tumoris articulorum ex morbis gallicis non tantum laxos, sed & scirrhosos ac duros, alias p aluum quod rarius est, alias per saliuam & os resolutos egerunt, colliquato toto corpore, & sic de aliis. Respicit autem purgatio omnis κακοχυμίαν, quæ vt diximus vitium est in prima vel secunda vel tertia coctione contractum, Primæ coctionis κακοχυμία si in intestinis sit, enemate; si circa ventriculum, vomitu; vtrorũ, que κακοχυμία pharmaco etiã ex ea pcipue q̃ in liene, cauis epatis, abdomine & mesenterio cõtinet, purgat. Secũdæ coctionis κακοχυμία pharmaco purgat, cui tamẽ interdũ pmittitur aptio venæ in certis casib. Etsi hæc cũ vitioso humore vtile & bonũ semper exhaurit, neq; vnq̃ κακοχυμίαν sola sicut & purgatio emẽdare potest. Præmittit autẽ φλεβοτομία purgationi; Primo, si in tm̃ excreuerit κακοχυμία, vt minitet pericula vel ruptionis vasorũ vel obstructiõis vniuersalis, q̃ πληθώρα est. Secũdo, si ruptis, exesis, aut alioq̃n aptis vasis hũores vitiosi in aliq̃ partẽ cũ impetu ferãt, φλεβοτομία incitatos reuel-

Primæ coctionis cacochymia quomodo purgetur.

Secundæ.

Quando phlebotomia præmittatur purgationi.

reuellit ac resistet promptius, quam purgatio. Tertio cum suspicio est, ne in principem aliquam inuadat ac decumbat partem, inde etiam phlebotomia reducetur promptius, quam purgatione. Quarto si morbus sit præceps & acris, vt in ardẽtibus febribus, & materia intra venas conclusa sit, neque habeat vias ad exitum conuenientes, tunc etiam etsi cruda erit, proderit eam apertione venę diminuere, vt natura aliquantulum alleuetur, & sufficiat. Quod superest expurgando extra hos casus si biliosus sit sanguis facta phlebotomia magis incendetur & excandescet. Si phlegmaticus aut melancholicus reddetur crudior. Et hi casus quatuor intelligendi sunt de phlebotomia tantũ, cum cacochymia est intra venas. Si ergo extra venas fuerit, nunquã sanguis corporis detrahendus est, vti, catarrhis, in apoplexia phlegmatica absque plethora, In epilepsa. Tertiæ etiam coctionis cacohymia, si non purgatione euacuatio tota, diminuitur tamen ad eũ modum, vt quod reliquũ est, per cutem aut alios meatus possit digeri aut resolui. Sic cerebri & pulmonis pituita; & cachexia discuti debent. Ne autem præpostere per phlebotomiam tentetur humoris vitiosi euacuatio, quæ morbum vel faciat vel augeat, cauendum diligenter; qua in re seruetur regula. Ne vnquam incidatur vena, si cacochymia, quæ morbum facit, aut in cauis epatis, aut in primæ coctionis officina contineatur aut inde deriuetur ac distribuatur ad partes reliquas, vel etiam vniuersum corpus, vt in καχεξία ὑδρῶπι, λευκοφλεγματία, Ictero & aliis similib. affectib. quorum impuritas è iecore aut liene tanquam mali fonte communicatur toti corpori.

Quomodo tertia.

In quibus casibus venæ sectio non sit tentanda, ante purgationem.

Sic in

Sic in febribus intermittentibus & cōtinuis etiāsi redundātia postulet phletomiam, si viscera suspecta sint de impuritate & obstructionibus ex humoribus vitiosis; vel adsit in ventriculo nausea vel vomitus ex cruditate, abstinendum à phlebotomia, priusquam expurgata sint & aperta viscera, alioquin intermittens in continuam vertetur, cōfusis aut loco motis humoribus, & continue exasperabuntur. Eodem modo, si in quacunque parte corporis extra vasa humor fuerit coaceruatus vt in catarrhis, in asthmate ex defluxu catarrhorum, cauenda est phlebotomia : Nihil enim confert, sed nocet morbo plurimum. Sed interdum si accedat ad fluxum extra venas plethora venarum, & efficiant calidam intemperiem, aut si sit aloqn calida intemperies in cerebro & epate, venæ sectio refrigerationis causa vsurpari potest, ratione intemperiei, quæ est in parte, non ratione fluxus: At meatus, per quos educi debet humor peccans, ostendit locus humoris peccantis vterque is scilicet in quo continetur & alter, ad quem fertur incitatus, si est in motu. His locis enim perspectis, meatus simul sese offerūt, natura sese effusis humorib. noxiis extra corpus exonerat per aluum & intestina, aut per ventriculū & fauces & os & palatū: aut p vrinā aut p sudores aut p pulmones aut p meat⁹ cerebri, qui in palatum & nares pertingūt. Hos meatus Hippocrates vocat conuenientes, quorum si vnus aliquis propter morbum idoneus non est transmissioni humorum, deriuetur humor aliò incitatus aut à natura, si ad conuenientes meatus cōtendit, propellatur; si ad insuetos & inusitatos inhibeatur & transferatur aliò. Species humoris, medica-

medicamenti ſpeciem indicabit. Vim eius & quantitatem indicat corporis, humoris & cæli cōditio, ſuntque hæc ſemper coniungenda. Corporis ſtatu quæ complectamur, *ſupra* dictum eſt, præcipue vero temperamentum & partis, in qua continetur humor & humoris ipſius & meatum, per quos duci debet; & ventriculus, quo medicamentum purgans reſiſtit, & vim ſuam exerit; Vires habitus, ſtructura, conſtructio eorundem, ætas, ſex⁹, in quò præcipuè conſideretur conditio prægnantium & vacuandi conſuetudo, vt, exempli cauſa, macilenti, & quibus imæ partes circa vmbilicum & imum ventrem extenuantur, non facile ferunt purgationem; Neq; ii, quorum corpora ſunt flaccida & languida, & quibus abſceſſus ſunt in pulmonibus, liene, ventriculo, iecore, renibus, inteſtinis, & aliis partibus; Item quibus oſculum ventriculi exquiſito ſenſu præditum eſt, ita, vt ſit à doloribus & morſibus metus. Sub humoris conditione complectimur ſpeciem eius, qualitatem copiam: cœli ſtatus conſiderandam monet, regionis, anni temporis, & tēpeſtatum præſentiū naturam.

Qui non facilè ferāt purgationem.

DE MODO EVACVANDI.

QVantitatem purgationis & an vniuerſim ac ſemel, an verò iterato, & pluribus fieri debeat, indicabit copia humoris peccantis, & vires, ad quas reſpiciendum eſt præcipuè. *Nullus autem quātumuis vitioſus humor, ſemel vniuerſus exhauriri debet,* ſicut Hipp. ſæpè præcipit. Etſi enim eo fine inſtituitur purgatio, vt quod vitio aliquo naturam grauat & infeſtat, ſubmoueatur, tamen totum nō debet educi ſemel, ſed iteratis vicibus, per interualla. Ergo euacuandum, quantum & quouſque vires

vires tulerint,& si languefieri hæ ac dissolui videbuntur, interposita quiete, vbi sese natura paululum recollegerit ac refecerit, repetenda purgatio denuò, idque tantisper faciendum, donec omnis materia morbida excindatur. Nam *quæ in morbis relinquuntur, recidiuas facere consueuerunt; & impura corpora, quanto plus nutrias, tanto magis lædes*, inquit Hip. Semper autem inchoanda purgatio est à leuiorib. & mitioribus, & paulatim ad vehementiora, si requirat id morbus, progrediendum. Solent enim non rarò purgationes lipothymias mouere, vel cum acredine pharmaci osculum ventriculi pungitur ac vellicatur, vel in intestinis excitantur tormina ac cruciatus, vel propter venenatos halitus ex humoris corrupti agitatione delatos ad cor & principum facultatum membra; vel ex maligna & venenata pharmaci qualitate; quandoque etiam ex virium resolutione quam efficit purgatio nimium vehemẽs & larga, q̃ omniũ est periculosissima.

Sect. 2. aph. 12.

Sect. 2. aph. 10.

Vnde hypothimia in purgationibus.

Qua occasione medicamenta purgantia commodissimè & opportunissimè possint exhiberi, mouebit materiæ cõcoctio & eiusdẽ impet⁹. Differt aũt à coctione p̃paratio, q̃ vulgo vocat̃ digestio, *Cõcoctio nõ* vt aliq̃ cẽsuerunt, *partim à natiuo partim ab alieno perficitur calore* (etsi & natiu⁹ calor externis p̃sidiis fouet̃, & in ipsa materia sæpè inest calor alien⁹ præter naturalis, q̃ tamẽ ad cõcoctionẽ per sese nihil cõfert, interdũ ex accidẽte aliq̃d cõfert) *sed tota solius naturæ opera & caloris natiui vi atq; efficacia pagitur*, q̃cunq; sit humor, cui dominatur natura. *Præparatio sæpè ab arte tota proficiscitur*, estq; alia corporis alia humorũm, qui sunt purgandi. Corporis præparatio consistit in viarum, per quas pharmaci vis diffundi & humor purgandus duci

Concoctio & præparatio quomodo differant.

Præparatio corporis.

deriua-

deriuarique debet, ex purgatione & apertione. In qua danda est opera, ne ventriculus vitiosorum humorum copia sit grauatus, aut auersetur aut nauseet aut reuomat pharmacum, neue intestina obsita sint atque interclusa vel aridis vellentis ac viscidis excrementis vel flatibus crassis; Itemque vt quæ in mesenterium & viscera ducunt viæ pateant. Vitiosus humor præparatur, cum qui est crassus attenuatur, vt propter angustas vias, si trahatur, labi possit; Glutinosus & viscidus incidatur & detergatur. Tenuis, vt aquosus & biliosus, quãtum ad tenuitatem, præparatione nulla indiget, quod humor quisque, quo est tenuior, eo est fluidior, & crassities motum retardat atque impetum, exceptis catarrhis tenuibus, qui in pulmonem delabuntur; Hos enim densari paululum necesse est, vt impellentis spiritus vi & impetu facilius attolli, adigique in pulmones & excreari possint, qui alioquin sua tenuitate ad impulsum spiritum dehiscẽtes seq; findentes vbi perruperint, illi relabuntur. In reliquis corporis humoribus densatis, talis nulla est tentanda. Sed si humoribus tenuibus adest nimius ardor, restinguendus est is refrigerantib. si acredo nimia ex adustione aut salsedine, obtundenda illa est humectantibus & illinentibus. Sic viscaditas incidenda est & detergenda. Fit autem omnis præparatio per ea, quæ intra corpus sumũtur forma arida aut liquida; vel per ea quæ adhibentur foris vt sunt fomenta, vnguenta. Ab hac ergo præparatione diuersa est coctio, quæ est alteratio, qua humores caloris natiui, vi secundum omnes qualitates materiales & formales, mutantur in quoddam melius & naturæ propius atque cõuenien-

Vitiosi humoris.

Per quæ fiat præparatio.

uenientius. Cuius vna ſpecies eſt prorſus naturalis, cum natiuus calor alimentum initio diſſimile, totum victum & edomitum ſubigit, & tñ de eo, quãtum corpori ex vſu eſt, illi ſimile atq; conforme reddit, inq; ipſius ſubſtantiam conuertit. Alia habet aliquid præternaturale, cùm calor natiuus humorẽ vitioſum & putridum & à natura alienũ ita vincere nequit, vt in ſubſtantiã corporis vertat. Mutat tñ in aliud minus corruptum & minus à natura alienum, & ſubactu atque excoctu melius, atq; expulſioni conuenientius; vt in pure laudabili, in abſceſſibus, in quopiã puri ſimili. In febribus ſuperuacui humores, illi ſcil. quos natura poſt purgationem ſanguinis in Epate ſeparat, ſiue putruerint, ſiue nõ, nunquã excoquuntur in aliquid corpori conforme, neq; in pus, neq; in aliud quippiam puri vicinum deducuntur, ſed duntaxat ex conatu naturæ coquentis coguntur & commutantur in quiddam qualitate & ſubſtantia moderatius, quod alias propius eſt rectè coctis humoribus, aliàs longius diſſidet, & ſi trahant moram in corpore à calore natiuo prorſus deuruntur. Tantiſper enim donec reliqua eſt aliqua actio naturæ & natiui caloris in corpore, omnes, quos hæc humores complexa continet, ſimul ſubigit & excoquit nec aliter in alimentum, aliter in putridum humorem agit. Quòd verò non aſſequitur & præſtat idem in vtroque culpa fit & vitio materię ſubiectæ, quam cum nequeat propter malitiam & corruptionem vincere & corpori exæquatam cõfirmare, mutat eã tñ in pus aut aliquid puri ſimile; & tantò efficit laudabilius pus, quãto natiuus calor eſt fortior, & in humore corrupto minus vitii,

Suppuratio. & alienus calor languidior, qui naturali aduersatur. Idcirco suppuratio quiddam medium est inter putredinem & exactam coctionem.

DE OPPORTVNITATE PVRgandi.

DE opportunitate itaque purgationis docet concoctio humoris purgandi, qui dum coquitur, mitescit fitque fluidior, & explicatur atque secernitur à reliqua massa tum bonorum tum crudorum atq; incoctorum humorum, & à natura ad expulsionem destinatur ac relegatur. Humor ergo concoctus tutissimè ducitur, & exquisitè semper purgari debet p̄paratus, si in ventriculo, mesaraicis & cauis hepatis hæreat, euacuari tutò satis potest & exquisitè: si enim venis, expurgari tutò non potest. Etsi autem facilimè fit expurgatio, qua ducitur humor concoctus: tamen cum sæpe expectari coctio non possit, imò ne quidem præparatio, de purgationis tempore constitui oportet ex humoris specie, situ, motu, & morbi, quem facit, vehementia. Leues affectus naturæ permittantur & diætæ. Cum & vires naturæ deficiunt & ratio viuendi, iuuetur natura medicamentis. Et quātum quidem ad sedem attinet humorum purgandorum, si corruptus humor contineri in ventriculo, & in locis cum hoc coniunctis deprehenditur quiscunque is sit, statim, non expectata coctione, sed præmissa tamen præparatione, si sit opus, eiiciatur. Eodem modo si altius penetrarit, & insederit in epar, lienem & mesaraicas, cuiuscunq; sit morbi causa, similiter educatur, non expectata coctione, sed præmissa itidem præparatione, corporis

Purgationis tempus.

In quibus casibus non exspectanda concoctio.

poris & humoris, & ante hæc omnia, vētriculi expurgatione, quæ fiet & ventriculo leniter deterso, deinde crasso humore attenuato, viscido, inciso, duro emollito. Et post præparationē, vniuerso semel, aut iterato euacuato. Si deniq; vitiosus humor hæserit in maioribus venis vltra epar, aut ciet morbos acutos, sed salutares tñ ac tutos aut dubios & vehementes, de quibus timendum, ne aut deteriores euadant, aut iugulent ægrum ante statum. Si morbi concedant inducias, etiamsi adsit & humoris præparatio, & meatuum, non tentetur tamen purgatio, nisi concocta materia aut integrè, aut aliqua ex parte. Cùm principiū morborum acutorum definiatur *signis coctionis*, licebit vti pharmacis purgantibus, sed mitiorib. & lenioribus, & parti concoctæ materiæ respondentibus post initium augescētis morbi. Validioribus verò sub finē status, aut initium declinationis, si natura non sponte sese exonerat. *Id n. tempus ob peractam coctionem & perfectam purgationem est accommodatißimū; quod morbi materiam in liquidiorem humorem fusam, & à reliqua purioris massæ secretam, natura ad expulsionem cogit.* Circa initium status seu vigoris, quod tunc natura labore coquendi occupatur, estque tota in subactione & separatione humoris vitiosi, turbari & impediri non debet, sicut inquit Hipp. *Vbi morbi inchoant, si quid mouendum est, moue, cum vero consistunt aut vigent, quietem habere melius.* Quod Sect. 2. aph. 29. si ergo apparente coctione perfecta & vehementia vigoris remittente nulla sequitur spontanea euacuatio, prouocetur pharmaco purgante. Id enim vtiliter fiet & commodè, sicut & Hippocr. monet, cum inquit: *Concocta medicari, non cruda.*

Sect.1.aph. 22. Si morbus nō ferat morā, etiam de cruda materia aliquid detrahendum ante coctionē, purgatione. Cùm quidē cruda materia, quæ turgere in acutis morbis plerunq; & oberrare fluctuando sine lege, ac ordine ac fluere & refluere solet, medicamenti trahentis vim non difficulter secutura videatur. Et quandoq; fit, vt talis purgatio seruet ægrum, & morbum alioqui periculosum ac crudū, ad celeriorem maturationem perducat. De his consulit Hippo. cùm inquit: *In acutis morbis inter initia vtendū medicamentis*, & in principiis medicamentis purgantibus vtendum, i.e. cùm morbi incipiunt, mouendūm esse, si quid mouendū videbitur. Et has Sect.1.aph. 24. sententias *alibi* determinat; *in acutis morbis rarò, & in principiis medicamentis purgantibus vtendum & hoc cū præmeditatione faciendum*. Quantò autem acutior est morbus, tantò magis acceleranda est & acuenda purgatio, si & humoris & morbi, & virium condi- Sect.1.aph. 6. tio hæc concedat. *In extremis enim morbis, extremè exquisita remedia vsurpanda sunt.*

Purgationes, quæ præseruationis causa fiunt, cōuenientissimè fiunt: primo verno tempore, de- *Præseruationis gratia quando purgationes instituendæ. Quando in morbis.* inde autumnali. Excessus tempestatum omnes in calore & frigore & subitis mutationibus cauendi sunt diligenter. Tempestas tamen Austrina accōmodatior est, quàm Borealis, quod illa & soluit, & laxat, & rarefacit; hæc astringit, cogit & constipat humores & meatus. In morbis intermittentibus, quietis tempore conuenit purgationibus vti; & potius diebus antecedentibus, quàm sequentibus. In valde acutis morbis, vt epilepsia, apoplexia, licet purgare materiam ipso paroxysmi tempore. Quæ alui emolliendæ aut deiiciendæ aut

ſolius ventriculi expurgãdi cauſa exhibētur ante cibum vna hora, quãdoq; etiã cum ipſo cibo, aut paulo ante aſſumta, tutiſſimè & facilimè quod requiritur, præſtant. Quæ venas cõmunes, epar, totum corpus, pectus, cerebrum, & alia membra expurgare debent, offerantur ventriculo non occupato coctione ciborum & longiore ante cibum mora, & quidem ratione poſitus membrorum, à quibus debet fieri tractio; ſed cum præcipuè medicamentis purgantibus offendatur ventriculus, ad huius conſtitutionẽ vis medicamenti cõparetur. Vehemens καταρκτικὸν omne infeſtũ eſt ventriculo. Et forma liquidior magis penetrat, laxat, fundit & emollit ſubſtantiam, & in reliquum ſeſe corpus facilius extendit, aridior minus penetrat, diutius hæret in ventriculo, & ad remotiora tardius vim ſuã diffundit: Ventriculus aridus prorſus ac ieiunus cùm vim medicamenti ſentit, grauiter & irritatur & offenditur, cùm modicè humectatis eſt, minus. Nimis humidus obtundit humore vim medicamenti imbecillioris. Stomacho ergo imbecilliore & puro quidem, mitius, aut ſi ꝓpter diſtantiã affectus medicamentum acui & intendi oporteat, validius ẽt exhibeatur, ſed in exhibitione tempus obſeruetur, quo nec ieiunus prorſus, nec plenus eſt, ſed cibus tñ magna ex parte percoctus, ac deiectus etiam ſit in aluum. Nec vehemens καταρκτικὸν offeratur vllum, quæcunq; ſit ventriculi conditio, niſi cibo largiore prius aluus, & potu rigetur ac ꝓluatur, & velut illinatur, ne malignitas medicamẽtorum figi & hæreſcere, ac imprimi febris poſſit. Valido ventriculo dentur validiora, & altius penetrantia, liquidâ vel aridâ formâ. Et medica-

Quomodo vomitus assumptus καθαρτικῶν sit reprimendus?

dicamento hausto, si sequatur ad vomitum propensio, (quod accidit iis, quibus ob exquisitum sensum osculum ventriculi abhorret medicamētum, aut quibus agitati humores ad osculum confluunt, vel ex obstructione intestinorum regurgitāt) reprimatur vomitus haustu vini *subausteri, aut aquæ hordei, aut succi de malo punico.* Etsi medicamentum fuerit assumptum aridâ formâ, hauriatur aliquanto post potio ex saccharo detergens. Inter medicamenti aridioris vsum & cibum interponatur ad minimum spatium quatuor horarum, donec odor nullus amplius, & nausea amplius nulla sentiatur, & ventriculi nulla rosio, *sed vel siticula vel cibi etiam appetitus.*

DE PARTICVLARI CVRATIONE.

Cerebri.

PArticularis curatio ex cerebro, pulmonibus & matrice euacuat. Ex cerebro per ea, quæ ἔῤῥινα vocantur & ἀποφλεγματισμοί, collutionum, aut gargarismatum, aut mansus formâ, Βήχικα aut Electuarii forma, aut solidiore, pilularum aut densiorum syruporum in ore teneantur & paulatim liquefacta destillent in pulmones. Sed his nunquam vtendum est, nisi præmissa purgatione vniuersali.

Habitus corporis.

Est & illa euacuatio, quæ tertiæ coctionis superfluitates in habitu corporis coaceruatas educit ac dissipat, duorum generum: Vna vniuersalis, altera particularis, prout vel totum corpus, vel aliqua ex parte euacuat. Vniuersalis alia sudores ciet resolutis humoribus liquidioribus in calidos & humidos halitus, sed tenues, vt perreptare cutis spiracula possint. His ibidem occursu aëris frigidio-

rigidioris condensatis aut coactis in guttulas, alia tenuiorem substantiam & aridiorem in halitus tenues digerit. Sudores cient motus corporis, sub quo exercitia omnis generis complector. Balneum, quo immersionem corporis in aquam calidam. Laconicum, quo intelligitur siccus calor in sudatoriis. Halituum forma digerunt & euacuant, per se quidem frictio, fomenta, vnctiones; per accidens inedia. Particulatim euacuant, fomenta, inunctiones, frictiones, cucurbitulæ absque scarificatu. Sed ne his quidem vtendum vnquam, nisi præmissis euacuationibus & purgationibus vniuersalibus, neque vnquam si corpus sit plenum atq; distentũ cibo, sed ieiuno ventre. Tot sunt ergo in vniversũ distincta genera euacuationum, q̃ differunt cùm coctionis officinis & sedib. in quib. coaceruãtur, q̃ euacuanda sunt; cùm scopis seu intentionib⁹; fiunt n. vt vel exhauriãt quietum humorem, vel sistant fluentem, vel deriuent impactum iam, vel mixtim præstent quædã ex his aut vniuersim. Restant interea capita de intentionibus curatiuis, quæ proposuimus tria adhuc, de tempore, de loco exhibitionis atque applicationis medicamentorum, & de forma. *Sudor.*

De tempore exhibitionis constituendum est ex natura morbi, sede, temporibus, causis facientibus, & omnibus mutationum momẽtis, quæ incidunt & incidere possunt, quibus Medicum diligenter attendere oportet. Affectus diuturnior sæpe variatis necessaria vicissitudine vix tandem medicamentis extirpatur, præsertim si natura sit languidior, & materia morbi contumacior, alia in principiis morborum, vt incipiente fluxione; *Exhibitionis tempus.*

 alia

alia in incrementis, cùm ex parte constitit; alia in statu, cùm tota constitit; alia cum deriuatio materiæ fieri non potest, q̃ fluxit hac transeunte ad suppurationem. Eodē modo in febribus & euacuationibus obseruandum est, quomodo natura moueat, & quo, & qua ratione, vt si deficiat, excitetur medicamentis & iuuetur. Et morborũ aliqui per circuitus exasperantur, quorum quidam regulares & ordinatos, quidam irregulares & vagos seruant; alii continuo sine circuitibus affligunt. Denique & de victus ratione ex morborum temporibus constitui oportet, sicut de his *in 1. part. Aph. & lib. de regim. vict. in morb. acut.* ab Hipp. pertractatur.

Medicamẽtorum forma. Forma medicamētorum omnium alia liquida est, alia solida & densa; Vtra sit præferenda species affectus & affectæ partis natura docebit ac situs; Liquida penetrant altius, solida minus. Quæ intus forisvè adhibentur, vt emolliant, aut extenuent aut detergant ac dissoluant ac digerant, liquida forma efficaciora sunt: quæ pellunt vel attrahunt vel addensant vel infarciunt, vel roborant, solida forma plus præstant. Quæ medias quasdam vires habent, vt pleraque detergentia & emollientia mediam formam amant, vt ἐκλέγματα, vnguenta, & sic de cæteris. Hæc in genere de intentionibus curatiuis obseruandis, in ea parte medicinæ, quæ pharmacis expeditur, meminisse sufficiat. Vsum harum præceptionum ostendemus in particularium morborum declaratione.

Finis Methodi medicandi generalis.

PRACTI-

PRACTICA
Seu
METHODVS CVRANDORVM MORBORVM PARTICVLARIVM, TAM
muliebrium quam virilium, eorundemque inprimis internorum.

Tradita olim & perlecta

â

Præclarissimo ac Excellentissimo Viro

DN. CASPARO PEVCERO BVDISSINO

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINæ D. eximio.

Inque Academia Wittenbergense Professore ordinario primario.

ANNO MDCXIV.

PRACTICÆ
Seu
METHODI CV-RANDORVM MORBO-rum particularium,
CASPARI PEVCERI
PROFESSORIS OLIM WITtenbergensis.

PROOEMIVM.

CVratio omnis adhibetˀ affectui, q est in corpore pter naturā, vt sc. sublato illo & abolito, restituatur ea, q̄ est secundū naturā, cōstitutio, q̄ administrat & pagit actiones corpori & vitæ necessarias. At oīs affect⁹ pter naturā, si ipsius corporis partes occupet, aut morb⁹ est, aut morbi effect⁹, q σύμπτωμα vocatˀ. Si in humorib. cōsistat, vel spiritib. vel cōtentis quibuscunq;, q̄ ex humorum aut spirituum aliquo vitio pter naturā nasci cōsueuerūt, morbi causæ. Σύμπτωμα, vt *in generali methodo* expositum est, p se nullā pbet ἔνδειξιν, neq; curationē exigit aut pscribit peculiarē, sed per accidēs quādoq; partē curationis, ordine turbato, sibi vēdicat; vt in lōgis vigiliis acutarū febriū, & in acrib. atq; in tēsis dolorib. cum periculum est inprimis, ne dissoluantur ac deiiciantur vires naturæ symptomatum sæuitiâ ac violētiâ, quam morbus, à quo proficiscuntur illa ac dependent, attingi possit aut extirpari. Sed talis symptomatum mitigatio morbi curatio non est. Vera autem curatio

si ad

ſi ad morbum dirigatur, θεράπευσις proprie eſt & ἴασις; ſi ad cauſam, προφυλακὴ; ſi ad vtrumque mixtum aliquid ex curatione & præſeruatione. Cum autem, vnde petendæ ſint ἐνδείξεις θεραπευτικαὶ, antea ſit oſtenſum in declaratione methodi generalis, repetitione illlarum omiſſa, hoc in loco explicabimus, quem velimus ſequi ordinem in particulari tractatione.

Tantum autem corporis morbos particulares interiores, hoc tempore perſequemur; De vniuerſalibus interioribus, vt febribus & exterioribus *alibi* pertractaturi; Et de interiorum curatione, eam partem præcipuè, quam profitetur φαρμακευτικὴ, aſperſis quibuſdam ex διαιτητικῇ de ratione victus in ſingulis morbis vt fecit Hippocrates de ratione victus in morbis. In ſingulorum itaque morborum deſcriptione, priuſquam ad curationem acceſſerimus, primò dicemus de appellationibus affectus cuiuſque quarum appellationum quædam tractæ ſunt à partibus, quibus affectus illi inſident, vt ſunt κεφαλαλγία, πλευριτις περιπνευμονία, νεφρίτις, ἀρθρίτις χείραγρα, πόδαγρα, ἴλεος &c. Quædā, & quidē plurimæ, ab aliquo inſigni ſymptomate, vt apoplexia, epilepſia, paralyſis, tremor, κατοχὴ, phrenitis, lethargus, catarrhus, angina & ſimiles. Quædā à cauſa efficiente habent ſuas denominationes, vt melancholia, cholera, calculus ſeu λιθίασις, ἐμπύημα. Quædam denique à ſimilitudine vel ipſorum morborum, vel ex his naſcentium accidentium cum rebus externis, ſicut eſt ἔλεφας ſeu ἐλεφαντίασις, πόλυπος, cancer, catyriſmus, icterus. Secundo de affectu ipſo præter naturam diſſeremus in parte corporis quacunque, id eſt, de morbo, eius cauſis,

Appellationes moborū vnde.

De affectu.

causis, & de eiusdem symptomatis, quæ sunt proxima morborum signa & propria; An sit morbus κατ' ἰδιοπάθειαν vel συμπάθειαν; an κατὰ πρωτοπάθειαν, an δευτεροπάθειαν, an similaris, vel organicus, vel communis; An simplex, vel compositus; an causa, quæ facit morbum, sit antecedens, quæ est προηγουμένη, & locum habet in morbis aut nondum actu infestantibus aut qui fiunt; An vero sit συνεχὴς, & coniuncta causa, quæ in morbis reperitur absolutis iis, qui cum sua causa coniuncti sunt. De signis etiam dicemus, indicantibus affectum & affectus sedem demonstrantibus. Quæ vnde petenda sint & quomodo dignosci debeant, à Gal. *in iis libris exponitur, qui de locis affectis* seu laborantibus inscribũtur. *De signis.*

In hac cognoscendorum morborum methodo vt sese diligenter exerceat, qui vtiliter & fœliciter curare volet, necesse est. *Dimidium enim curationis, morbo exploratè cognito, si vires naturam non destituant, peractum est.* Morbi ignarũ aut hæsitantem aut dubitantem affectu, rectè coniectari de conuenientium remediorum vsu, & vniuersam curationẽ cum ratione instituere ac prospicere non est possibile. Tertio affectui demonstrato ac veluti depicto notis atque indiciis, attexemus curationem qua excindi ille atque extirpari & eiici ex corpore debeat, cum afflictarũ virtutum instauratione ac roboratione, quæ quidem curatio per eà semp administratur ac perficitur, quæ affectui sunt contraria.

CAPVT

* *
*

CAPVT PRIMVM

DE MORBIS CAPITIS: ET primo, de dolore capitis

Morborum capitis nomina, vnde. Eorundem ordo.

CApitis internis affectibus, quotquot cerebri actiones lædere deprehensi sunt, plerisque nomina indita sunt à symptomate. Vniuersi autẽ in tres ordines distribui possunt, sedibus affectis
1. distinctos, quorum vnus membranarum, quæ ce-
2. rebrum vestiunt, scilicet μήνιγγος vtriusque, cras-
3. sæ ac tenuis, & pericranii; Alter substantiæ cerebri; Tertius meatuum ac ductuum omnium affectiones complectitur.

Morbi membranarum. Membranis, quibus solis inest exquisitus dolorum sensus, obsessis aliquo affectum præter naturam, existunt morbi, quos distinguit sensus dolorum loc⁹, eorundẽ, magnitudo ac vehemẽtia, qualitas & duratio; vt κεφαλαλγία, κεφαλαία, ἡμικρανία.

Substantiæ. In cerebri substantia, temperie naturali, vitiata, q̃ fons est & causa interiorum sensuum, φαντασίας, διανοήσεως, & μνήμης, vt φρενῖτις, παραφροσύνη, μελαγχολία, λυκανθρωπία, μανία, λήθαργος, κάρος, κῶμα, κατοχή. Quædam abolitam & extinctam arguunt, vt fatuitas, amentia, μώρωσις, abolita memoria.

Meatuum. In cerebri sinubus ac anfractibus & plicaturis, indeque deriuatis neruis, per quos spiritus animales in organa sensibus motuique destinata distribuuntur, aut venis & arteriis & reliquis meatibus aut poris ac foraminibus comparatis educendorum excrementorum causa, In his ergo affectu præter naturam consistente symptomata fiunt cùm alia, tùm sensus & motus, vt sunt vertigo, epilepsia,

epilepſia, in cubus, apoplexia, paralyſis, ſpaſmus, tremor, catarrhus. Symptomata hæc læſarum cerebri actionum illarum ſunt, quas cerebrum peragit & abſoluit auxilio & ope plurium organorum diffuſis contractione atque impulſione ſui, ſpiritibus animalibus in propagatos ex ſeſe neruos & ſpinalem medullam. Galenus has actiones vocat ἔργα τῆς ψυχῆς ἐν τῷ πρὸς τι. Illa vero ſymptomata ſunt aliarum actionum cerebri læſarum, quas Galenus ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν vocat & cerebrum perficit intra ſeſe, regulata ſpirituum agitatione, non communicans aliquid reliquis partibus vllis; Suntque ſymptomata vel ſimilarium, vel organicorum morborum cerebri, vt priora organicorum tantum.

DE ΚΕΦΑΛΑΛΓΙΑ.

Κεφαλαλγία ergo *affectio eſt capitis præter naturam*; ſic dicta à ſymptomate, nimirum à dolore, vel potius eſt ſymptoma, cuius immediata & proxima cauſa, ſeu vt Gal. vocatur αἴτιον συνεχές eſt morbus. Dolorem Hipp. & Galenus ὀδύνην & ἄλγημα & ἄλγησιν & πόνον promiſcuè nominant. Auerrhoës docet, eſſe *ſenſum triſtem ac naturæ aduerſum & noxium, & ſi vrgeat ac perduret, etiam deſtruat naturam*; ſeu potius *affectionem ortam ex perceptione qualitatum noxiarum.* Excitatur autẽ in organis, cum aliorum ſenſuum, tùm verò præcipuè ſenſûs tactus, cuius ſanitas, integritas ac perfectio cõſiſtit in temperie vel ſymmetria qualitatũ ſenſui tact⁹ ſubiectarum, vt calidi, frigidi, humidi, ſicci, mollis, duri, aſperi, leuis, grauis, lenis, acuti obtuſi; Deniq; carũ oĩum *Cephalalgia quid & vnde dicta.*

quæ

quæ Aristoteli ποιοτήτων παθηκῶν, id est, affectarum qualitatum nomine κατ' ἐνδελέχειαν, καὶ κατὰ δύναμιν, καὶ ἀνὰ δύναμιν distribuntur. Si quid ergo his editum & instructum qualitatibus supra modum mensuramque symmetriæ organi conuenientem, repente & violenter in sensum irruit, dolorem infert vi & efficaciâ suæ qualitatis, præter modum scilicet calefaciendo, aut refrigerando, aut contundendo, aut secando, aut erodendo, aut diuellēdo, aut alio modo; & dolorem illatum alit fouetque tamdiu, quamdiu adest & agit, cum sensu mutationis illius, simul & dolor conquiescit. Estque dolor in sensu tactus, eò sæuior & atrocior quam in reliquorum sensuum organis, quo & crassiore & compactiore materia organum constat, & qualitates sensum tactus efficientes in subiecto hęrent crassiore. Galenus causas doloris refert in alterationem & solutionem continui, quæ sententia recte intellecta vera est. Per se enim & principaliter sola subita, repentina, & vehemens alteratio, ab earum, quas diximus, qualitatum exuberantiâ in organo affecto cum sensu dolorem cōmouent, sed alias sola, alias simul soluendo vnionem, quod quando fit, alteratio ipsa repentina an vehemens doloris causa est. Continui solutio, quę simul ad alterationem consequitur illius doloris, qui est ab alteratione, causa non est, sed fit causa alterius doloris per accidens, qui postea cietur ab alia causa & loco ad sensum à solutione vnionis præparato & attracta causa.

Dolores in genere vndei — *Cur dolor in sensu tactus sæuior.*

Tot igitur sunt causæ doloris, quot sunt obiecta sensus tactus, de his causis & dolorum differētiis alibi dicemus. Quum autem nec cerebrum ipsum

Doloris causæ.

psum, nec cranicum, quod ex octo ossibus coagmẽtatum, galeæ forma cerebrum includit ac munit, sit per sese sensus particeps, eò quod ad sensum præter fontem virtutis sensitricis & spirit⁹ animalis requiruntur comparata ad eam esse organa peculiaria, sed sensus inest solis membranis capitis, q̃ vel interius cerebrum vel exterius cranium ambiunt & vestiunt; Existunt ergo dolores in capite semper læsis aut per sese aut per consensum membranis. Per sese, cum affectus præter naturam mẽbranas ipsas occupat. Per consensum, cum cerebrum laborat aut huius ductus atque meatus sunt affecti. *Quid ad sensum requiratur.*

Κεφαλαλγία ergo seu dolor capitis *symptoma est, quod proximè & per sese nascitur ac dependet ex aliquo capitis morbo, qui est affectus præter naturam aut per se aut per consensum vel totius capitis*, cuius ambitum in hac tractatione basecranii & vertice capitis circũscribimus vel aliquatum partium hoc ambitu conclusarum. Cum autem nulla per se debeatur curatio symptomati; eò quod excisa & sublata causa, morboque, symptoma protinus cesset & euanescat sua spõte; Idcircò qui sint affectus, qui ita dolorem in capite cient, vt p̃ter doloris sensum nulla insignis læsio deprehendatur in reliquis cerebri actionibus propriis ac principalibus & quibus debeatur vera & propria curatio ostendemus. *Cephalalgia quid.*

[*Hos affectus declaratæ causæ dolorum capitis mõstrãt, nimirum: qui sint ipsi morbi capitis tales, vt prater noxam ex dolore alioquin reliquis actionibus cerebri nulla peculiaria & insignia nocumenta infligant:*] Hi verò aut per se aut κατ᾽ ἰδιοπάθειαν, aut per consensum & κατὰ συμπάθειαν caput infestant.

Morbi capitis per ſeſe aut ſimplices ſunt, aut compoſiti. Simplices ſunt aut δυσκρασίαι, eæque vel ſimplices aut compoſitæ, & vtræque aut ſolæ aut cum materia, in quibus cōtinens cauſa cum morbo coniungitur; Aut ſunt morbi organici, vt quorum cauſa eſt vel humorum multitudo, vel ab iiſdem effecta obſtructio; Aut communes vt ſolutio vnionis. Compoſiti morbi capitis ſunt, cum ſimplicium duo pluresvè miſcentur, vt cum redundantes copiâ humores ſimul qualitatum vitio caput lædunt; aut cum humor aliquis præter naturā cerebrum obſedit,

1. *Simplices.*

2. *Compoſiti.*

Cauſæ κεφαλαλγίας.

Dolorum ergo capitis cauſæ quædam ſunt externæ, quædam internæ & antecedentes. Internæ cauſæ ſunt aut q̃ per ſeſe cient dolores aut per cōſenſum. Per ſeſe dolores inferunt, primo ſola & ſimplex intemperies omnis materiæ expers, eaque vel calida, frigida, ſicca, humida, vel ex his compoſita. Calida vel frigida intemperies, acutiſſimos ciet dolores. Sicca mitiores & leniores, & ne hos quidem, niſi in tantum intendantur, vt ob humidi defectum dehiſcente cōpage ſcindi ac rumpi neceſſe eſt continuitatem. Humidum per ſe dolorem non facit, nec comprimendo, nec tendendo. Sic ex complicatis qualitatibus calida & ſicca, vel frigida & ſicca vehementiores multò pariunt dolores, q̃ aut calida & humida vel frigida & humida. Præter has primas qualitates interdum occulta & venenoſa qualitas vel ex ictibus venenatarū beſtiarum, vel ex putridis & venenatis humoribus dolorem mouent.

Δυσκρασία cum humoribus dolorē facit, quando humores, vt ſanguis, pituita, bilis flaua & atra vel ex

vel ex his resoluti halitus nimium calefaciunt, infrigidant aut desiccant, aut pungendo, vellicãdo, aut mordicando infestant, solo qualitatum corruptarum vitio sine excessu quantitatis. *Sola humiditas dolorem non facit.* Multitudo humorum dolores gignit aut sine obstructionibus vel copia distendendo vel qualitatum; vitio alterando aut occupatis & obstructis viis. In πληθώρᾳ sola redundantia dolorem facit cum sensu aggrauationis; In cacochymia præter redundantiam humorum aut halituum, vitium, quod est vel calor alienus vel frigiditas, vel acredo, vel salsedo, vel lentor, vel crassities. Si itaque absit obstructio, sola quidem copia, & distendendo membranas & comprimẽdo pars dolorem facit, quam distensionem, si augeatur, sequitur solutio continui. Si ad copiam accedat qualitatum vitium, tunc si humores vel halitus sunt calidi, calefaciunt; si frigidi infrigidant; si acres, pungunt, mordicant, aut rodunt, si crassi, grauant, si cum impetu agitantur, contundunt, si in vnam aliquam partem incumbant, cum sensu perforationis tendunt; Itemq; pro qualitate, mole & quantitate & motu materiæ aliâs alias dolorũ differentias cient, cum aggrauationis, vel tensionis, aut exulcerationis, aut pruritus aut diuulsionis sensu. Obstructio, quæ est *meatuum ab infarctu humorum aut alterius materiæ effecta conclusio & impeditio*, si sit mediocris, ciet dolores cum sensu grauitatis ac tẽsionis; si sit magna, ciet vehementes cum diuulsionis & tensionis sensu, & solutione vnionis. Vnionem soluunt & erosiones ab humoribus acribus & nimiæ distensiones à copia humorum & inflammationes. *Obstructio quid.* *Vnionem soluentia.*

Per consensum, à toto corpore, à parte.

Per consensum affecto capite existunt dolores nocumento communicato, vel à toto corpore, vt in febrib⁹ & phletora; vel ab aliqua parte. Et à parte quidē tripliciter; vel διὰ ὁμιλίαν, vel διὰ σύμφυσιν, vel διὰ κοινωνίαν.

1. Διὰ ὁμιλίαν quidem, ratione vicinitatis & contactus, vt cerebro affecto, gingiuis, dentibus, auribus, dolorem percipiuunt membranæ cerebri.

2. Διὰ σύμφυσιν, affectis iis partibus, quæ longius à capite distitæ cerebro alligantur annexu propaginum, quæ vel â cerebri membranis deducuntur, vel à neruis ꝑpagantur, quorum origo est ex cerebri substantia, vel spinalis medullæ; ꝑpter hunc coalitum neruis in quacunque parte compunctis, aut venenato ictu sauciatis, aut lęsa spina communicatione doloris per quandam ceu nerui alterationem, cerebrum mirabilibus corripitur symptomatis.

3. Διὰ κοινωνίαν, communicatis vel halitibus vel humoribus præter naturam cerebro, iisq; aut per venas & arterias, vt ex corde, epate, liene, matrice, habitu & ambitu totius corporis. Aut per alias vias & regiones, vt ex ventriculo & intestinis, per œsophagum, ex pulmone per asperam arteriam. Et talis communicatio sæpissime causa est dolorum capitis. Aut nocumento per alterius partis affectionem cum cerebro cōmunicato vt fit in doloribus renum.

Externa. Externæ causæ dolorum capitis sunt ἔγκαυσις seu vstulatio, quæ est caliditas capitis præter naturam permanens & confirmata, contracta ex obuersatione longiore sub Sole verno vel æstiuo; ex frigidiore vento & aëre refrigerato, ebrietas, & vini me-

ni meracioris largior ingurgitatio, cõtusio aut cõquassatio capitis, ex ictu aut lapsu. Occupat aũt lor capitis & huius causa, quæ morbus est, vel ea tantum, quæ extra cranium sunt & pericranium, musculos & cutem, quæque in tres partes distribuuntur, vasa; vel ea, quæ intra cranium concludunntur vel vtraq; & quidem oĩa, vocat̃ q; κεφαλαλγία, à qua differt κεφαλαία, *quæ est inueteratus & solutu atque extirpatu difficilis & diuturnus dolor capitis*, & leuibus occasionibus grauissimè irritatur atque exasperatur, quo qui obnoxii sunt, nec strepitum quidem vllum, sed quietem expetunt & loca obscura ob doloris vehementiam, ne externis causis exacerbetur. Quidam eorum velut malleo sibi pertundi videntur. Quidam velut contundi aut distendi ea, quæ circum caput sunt, sentiunt; quibusdam ad oculorum radices vsque dolor extendit̃. Infestat autem dolor talis quandoque & in aliquibus continuæ, sine vlla vel intermissione vel remissione; quandoque & in quibusdam per interualla recurrit & recrudescit; & interualla quidẽ aut ordinata & regularia, aut inordinata & incerta sunt. Desinunt enim quandoque exacerbationes & paroxysmi dolorum capitis velut in comitialibus affectibus & quietem ꝓrsus & partem insignium dolorum, refricati ali quaoccasione post rursus insurgunt. Cephalea quid.

Causæ κεφαλαίας eædẽ sunt, q̃ κεφαλαλγίας, scil. rationẽ imbecillitatis cerebri, aptitudo ad ꝑpatiẽdum & causæ, quas dolores capitis ciere, s̃. ostẽdimus. Sed maiora diuturniora, vehemẽtiora & cõfirmatiora sunt omnia in κεφαλαία, quod & morbi & morborum causæ, à quibus illa oritur, radicib. Causæ κεφαλαίας

 actis,

actis, prorsus insederunt & inueterarunt. Si dimidiam capitis partem dolor occupat, dextrā vel sinistram, dicitur ἡμικρανία, Si vel antica vel postica cerebri sola, vel interiora vel exteriora solum, vel ex interioribus, aut membranas solas, aut cerebrū ipsum, aut arterias, venas, vel neruos obsideat morbus, à quo dolor existit, κεφαλαλγία generali nomine censetur, eatenus, quatenus non ex læsione peculiarium actionum cerebri nomen peculiare sortitur. Difficilimum est autem cognoscere & constituere, quæ sit pars capitis præcipuè affecta & morbo illi obnoxia, à quo dolor ille excitatur; & requirit ea res hominem exercitatum, qui & rationes sequi in coniectando cōsueuit, & crebra inspectione ægri, ac momentanearum mutationum diligenti obseruatione naturam ægri exploret ac perdiscat, & quæ antecesserunt omnia longo tempore, accuratè exquirat. Et tm̄ de causis & differentiis, quoad locum capitis affectum.

DE SIGNIS DISCRIMINANTIB. *seu discernentibus dolores capitis.*

Signorum differentia. διαγνωστικά. QVæ morbos indicant & declarant signa, quędam sunt ἀναμνηστικὰ, quædam διαγνωστικὰ, quædā προγνωστικὰ. Et horum διαγνωστικὰ morbū ipsum præsentem, ceu suis expressis notis & characteribus demonstrant.

ἀναμνηστικά. Ἀναμνηστικὰ ea redigūnt in memoriam, quæ repetita ex præteritis, coniecturas de morbo & cōstitutione confirmant; Morbum vero ipsum, qualis sit, non exprimunt.

προγνωστικά. Προγνωστικὰ vero de cōsecuturis ex morbo symptomatis; de morbi ad naturam & vires ratione & pro-

proportione; de ſpe reſtitutionis, & vniuerſim de morbi exitu coniecturas ſuppeditant. Sunt autem tam διαγνωστικὰ quam προγνωστικὰ, quædam παθογνωμονικὰ, quædam συνεδρεύοντα, vel συνεζευγμένα q̃-dã κρίσιμα vel κριτικὰ συμπτώματα. Παθογνωμονικὰ cũ ipſo ſtatim naſcuntur & inuadunt morbo & mox inter principia ſeſe produnt atq; exerunt, & morbi eſſentiam (vt ita dicam) conſtituunt ac declarant, nec diſcedunt, niſi euulſo & ſublato morbo, ſicut ſunt læſæ actiones, dolorum proprietates, propria quædam ſymptomata ἐκκρινόμενα, quæ reſpondẽt naturæ aut morborum, aut partium affectarum.

Παθογνωμονικα.

Συνεδρεύοντα vel συνεζευγμένα, id eſt, aſſidentia aut annexa, neque ea morbo neceſſitate cohærent, vt ſeparari nequeant, neque eius conſtituunt eſſentiam, aut referunt & declarãt, ſed mores morbi & magnitudinem & conditionem oſtẽdunt, nimirum an ſit de genere ὀξέων vel κατοξέων vel χρονικῶν, vel εὐηθῶν vel κακοηθῶν; quanta vitæ pericula, quaque vehementia intentãtur; an ſit ſolutu extirpatuque facilis, an vero rebellis ac contumax. Eorum quædam ſimul cum morbo irruunt, quæ propriè συνεδρεύοντα vocantur. Quædam primum inſultum aliquãto poſt conſequuntur, atq; ἐπιφαινόμενα aut inſequentia aut poſt apparentia nuncupantur. Cuiuſmodi ſunt ſigna ἐνδεικτικὰ πέψεως ἢ ἀπεψίας, id eſt, coctionis & cruditatis in ſputo, vrinis, ſudoribus, excretionibus alui, mucore narium.

Συνεδρεύοντα.

Ἐπιφαινόμενοι.

Παθογνωμονικὰ vero quædã propria ſunt, q̃dam communia vni affectui cum plurimis aliis.

Κρίσιμα luctam atque conflictum naturæ cum morbo præcedunt, & eam quæ hoc certamen cõ-

Κρίσιμα.

 ſequitur,

ſequitur, mutationem præſagiunt, quæ ipſa mutatio eſt inter κρίσιμα ſigna. Ex his diſtinctis ſignorum generibus, ea aſſumemus ad ſingulorum membrorum demonſtrationes, quibus opus erit.

Si itaque dolor capitis ſit à cauſa externa, cùm ἀναμνηστικὰ & cauſam & affectionem, à qua eſt dolor, patefacient; tùm διαγνωστικὰ, quæ ad cognitionem habitus & conſtitutionis ægri deducunt Medicum, conſideratione præſenti. Si ſit dolor ab affectione κατὰ συμπάθειαν, διαγνωστικὰ inprimis & his adiuncta ἀναμνηστικὰ repetita ex hiſtoria vitæ, conſuetudinis, victus, ætatis, conſtitutionis ac temporis, quod præceſſit, fontem doloris proferent. Diſcernunt enim διαγνώστικα inter morbum κατ' ἰδιοπάθειαν & κατὰ συμπάθειαν. Et quę pars κατ' ἰδιοπάθειαν affecta ſuum capiti nocumentum communicet, aperient. Eodem modo ἀναμνηστικὰ cum διαγνωστικοῖς coniuncta declarabunt, an cerebrum primariò & per ſe ſit affectum in quocunque corporis dolore. Dolor itaq; capitis oīs (vt dixim⁹ *in mēbranis* exiſtit, q̄ ſi nēq; ab æſtu excitat⁹ eſt, neq; à frigore, neq; ab ictu lapſuve aut aliis cauſis externis certū eſt, q̄ cauſā habeat interiorē, q̄ vel intēperie ſola afficit mēbranas, vel ſimul aut mordicat atq; erodit, aut ferit aut diſtendit aut diuellit aut pulſat. Cauſa ergo, p̄ter ſigna cętera παθογνωμονικὰ exprimit p̄cipuè p̄prietates doloris. Dolor cū grauitatis ſenſu multitudinē humorū ſign. aut craſſitiē halituū atq; ſi ſimul rubet ac ęſtuat facies venis tumētib, à calidis eſt & ſanguineis; Si ad pallorē vergit flaueſcentē à bile; Si ſine rubore & æſtu eſt caput, à frigidorū & pituitoſorū humorum copia. Si æſtu facies cum febre putredinem aut inflammationem

Dolor capitis vbi exiſtat

tionem humorum in capite significat ardens quidem febris humorũ calidorũ, vt in phrenitide, mania; Lentior & mitior frigidorum, vt in lethargo. Dolor cum mordicationis sensu ab humoribus est, vel vaporibus acribus & biliosis, quæ mẽbranas acredine sua infestant & pungunt. Dolor pulsans est aut à tenui & bilioso sanguine, vel etiam à spiritu redundante, quorum vtroque venæ arterięque impletæ ac distentæ, vehementius pulsando, membranas concutiunt; aut ab inflammatione, quàm è vestigio calor febrilis consequitur, quo discernitur inflammatio à priore causa. Dispensionis in dolore sensus si sit absque grauitate & pulsu arguit flatuum aut humorum etiam tenuiorum copiam, qui intra caluã & pericranium vel inter caluam & crassam cerebri membranam sese insinuando membranas eas ab ossibus cranii deducunt. Si sit cum pulsu, sed sine febre, vt antea, venarum & arteriarum à tenuibus humoribus vel spiritibus repletionem. Si cum febre, inflammationem indicat. Distensio cum grauitatis sensu crassiorum vel halituum vel humorum inter membranas collectorum redundantiam designat. Si adsit tumor faciei & rubor, & suffragentur aliæ notæ indicantes plethoram, repletio est intra vasa, & grauitatis sensus à compressione seu aggrauatione membranarum oritur. Dolor pericranii in superficie hæret, & compressu capitis exacuitur. Interiorum membranarum cerebri dolor profundior est, & ad compressum capitis mitescit. Vtrarumque membranarum dolor, quandoque ad radices oculorum pertingere potest eò, quod sicut oculi tunicæ de cerebri membranarum

Dolor mordicans vnde.

Pulsans.

Distendens.

Pulsans sine febre.

Cum febre.

Distendens cum grauitate.

Dolor pericranii.

rum propaginibus contextæ ſunt: Ideoque membranis iiſdem cohærent, ſic pericranium oculorum cauum ſuccingit. His ſignis pathognomonicis addantur alia, quæ ſingulorum in capite vel toto corpore humorum exuberantiam demonſtrant. Quotieſcunque autem humorum vel vaporum in capite multitudo deprehenſa fuerit, ſtatim ratiocinandum eſt, aut à totius eam corporis peruenire repletione, aut ſi talis non adſit, à cerebri imbecillitate, quà fit, vt in ſeſe generet & coaceruet ſuperflua cerebrum, ob caloris natiui debilitatem; vel tranſmiſſos ex reliquo corpore humores aut vapores ſuſcipiat; ſuſceptos cùm nec diſſipare nec excoquere queat, impletur.

Frigida itaque intemperies cerebri frigidis & craſſis humoribus caput replet per ſe, quos ſi calor alienus occupet, fit, vt tandem contracta viſciditate hi lenteſcant. Calida per ſe calidis, acribus & mordacibus humoribus cerebrum replet, per accidens frigidis, cùm ſcilicet alieno calore plus attrahitur ex reliquo corpore, quàm cõſumi poſſit aut diſcuti, hi tandem copia aucti, obtundunt calorem natiuum & denſantur atque lenteſcunt.

DE CVRATIONE CEPHAlalgiæ à cauſis calidis.

1. cura. Caput lædentia.

A quacunque cauſa caput per ſe & primaria affectione doleat. Prima ſit cura, *vt vitentur omnia ea, quæ caput offendunt læduntve, intus vel foris:* vt omnia, quæ calefaciunt nimium, aut nimium refrigerant, & inprimis quæ caput replent, ſicut allia,

allia, cœpæ, nasturtiũ, sinapi, raphanus sylvestris, lac, pleniora vina & cereuisiæ, somni post cibum, præsertim longiores, & quæ fiunt corpore composito ad somnum. Altera sit cura, *vt ante omnes medicationes, quæ capiti adhibentur, ventriculus à vitiosis humoribus expurgetur & aluus aperiatur.* Tertia sit cura, *vt consideretur constitutio corporis totius*, an sit plethorica vel cacochymia, quis humor redundet maximè. Zinziber, crocus, absynthium, myrrha & omnia odoramenta mirabiliter replent caput, quare *in dolore capitis suffitus planè interdicendi sunt.* II. III.

Aluum lenientia, in præsentia humorum calidorum.

Ad alui lenitionem plurimum conferunt enemata euacuationis & reuulsionis ratione. Ventriculum expurgat hiera picra, à quocunque is infestetur humore, cui addantur flores cassiæ aut mannæ, aut julepus violarum, aut syrupus rosarum solutiuus, aut decoctum florum & fructuum cordialium aut pectoralium, si humores fuerint calidi. Electuarium verò lenitiuum aut aliquid de confectione Diaphænicon, vel potius aliquid de Agarico vel Hiera ipsa cum Agarico, si humores fuerint frigidi phlegmatici. Si melancholici, Diacatholicon, vel decoctum foliorum Senæ. In plethora venæ sectio adhibeatur, & si fuerit opus, iteretur.

Frigidorum.

Melancholicorum.

In cacochymia verò post præmissam præparationem purgatio corporis totius.

Curatio Cephalalgiæ ab intemperie calida cum materia.

Si ergo κεφαλαλγίαν excitarunt causæ calidæ, intemperies quidem simplex & sola, siue illa sit adustione à Sole, siue aliundè, simplici & sola infrigidatione; Non sola, sed coniuncta cum mate-

materia dissimiliter curabitur. Si enim intemperies calida attraxerit ex reliquo corpore halituum copiam ad caput, conuenient inter initia ἀποκρουστικὰ ex infrigidantium & leniter astringentium genere, quibus & repellentur halitus, qui irruunt in cerebrum; & hoc roboretur, ne effumantes halitus recipiat, & alteretur, ne plures attrahat. In processu verò his miscenda erunt, qui dolorem leniant & concoquant materiam. Ad extremum διαφορητικὰ oportebit adiungi copia maiore, quibus collecti halitus discutiantur. Infrigidantia autem maximè sint tenuium partium, vt facilius penetrent & applicentur non occipiti (quæ pars propter spinalis medullæ & neruorum exortus atque distributiones quouis frigore facilimè offenditur) sed fronti ac temporibus anterius, superius βρέγματι seu syncipiti, qua ossa syncipitis & inter sese committuntur, & cum osse frontis coalescunt: commissurà suturæ coronalis, quæ pars capitis propter ossium syncipitis tenuitatem ac raritatem, & propter laxitatem suturæ coronalis, promtissimè ac tutissimè vtrorumq; medicamentorum tam calidorum quàm frigidorum vim trãsmittit ac distribuit. In tali ergo casu intendatur primò retractioni materiæ ascendentis & euaporantis, quæ commota & agitata & tracta à capitis calore, sursum effertur, & simul repercussioni ei9, quod irruit. Deinde digestioni ac dissipationi illius, quod influxit, & alterationi impressæ intemperiei. Retractio fiat intus quidem per καταρτικὰ lenia, ore assumta, & per iniectos subtus clysteres. Foris verò frictionibus & lotionibus crurum & brachiorum: Exempli causa;

A capite retrahenda.

℞ Pruna

℞. Pruna damasc. num. 12.
Tamarindorum ℥ j
Quatuor sem. commun. frigidor. maior. ana ʒ ij
Fiat decoctio in s.q. aquæ, cuius ℞ ℥ iiij ß, post colationem, in qua macerentur Cortices de Myrobalanis citrinis ℥ v, per noctem vnam, (corticibus antea oleo amygd. dulc. confricatis) manè lento igne coquantur & colentur, addito saccharo q. satis est. *Potio.*

Vel si sit opus ℞ *Florum cass. recens tractæ* ℥ ß. vel in delicatioribus, *Mannæ electæ* ℥ j. vel, *Syrup. rosat. solut.* ʒ ij, (alii ℥ ij) vel *Syr. violar.* ℥ ß. *Fiat cum diluto conueniente, potio*, pro ratione habitus, ætatis, constitutionis & virium illius, cui exhibetur, & propinetur mane.

Clyster vsurpari potest talis, *Enema.*

℞ Herb. maluæ,
Altheæ,
Betæ,
Violariæ, ana M j
Florum Chamomel. P j ß
Tamarind. ℥ ß

Coquantur ad tertiam in s.q. aq. fontanæ & colo transfundantur. De Colato ℞ ℥ xv, *in quibus dissoluantur cassiæ recent. extractæ* ℥ j. *Mellis rosati colati* ℥ ij, *Olei viol. & Chamom, ana* ℥ j ß. *Commixtis omnibus fiat Enema.*

Lotio pedum fieri potest *decocto fol. salicū, & fol. & flor. Nymphea.* *Lotio pedum.*

Capiti conuenient *Ol. rosar.* & maximè quod ex oleo crudo sit, vocaturque ὀμφάκινον & ὠμοτριβὲς, deinde *ol. Chamom.* quod & in progressu, cum discussione opus est, & inter initia etiam in iis corporibus, quæ vehementius refrigerare veremur, sicuti *Localia.*

uti ſunt mulierum & puerorum corpora,& illorum quæ molliore habitu conſtant ex albi coloris & mollioris ac laxioris carnis indicio, vſurpandum eſt.

Conueniunt etiam *portulaca, ſemperuiuũ, lactuca vtraq; ſatiua & ſylueſtris, pſylium, polygonum, ſolanum etiam*, ſed parcius & vſu minor. *A papaueris & mandragoræ ſucco* abſtinendum, quoad eius fieri poteſt. Fugienda & ea ſunt, quæ cum refrigerandi vi vehementius aſtringunt.

Fugienda.

Ex reliquis pro vſu, ratione, & commoditate parari poſſunt inunctiones, cataplaſmata cerata, perfuſiones, embrochæ. Poterit itaque fieri vnguentum, fronti & temporibus ad aures vſque illinendum tale:

Vnguentũ.

℞ *Ol. roſati,*
Aqu. roſa.
Aceti vinacei ana ℥ ij

Miſce. In progreſſu addatur *ol. chamom.* Vel:

℞ *Aceti vinacei* ℥ iij
Mucilaginis ſem. althea,
Pſylii ana ℥ ij. *Miſce.* Vel:

℞ *Succi Chamomel.*
Semperuiui,
Portulacæ, ana ℥ j
Aceti ℥ ß. *Miſce.*

Si feruor ſit magnus, oportet aliquantum camphoræ in linimentis diſſolui, & ex iiſdem embrochæ parari poſſunt, ſed omnia actu frigida applicari oportet. Semper autem mementote regulam traditam in generali methodo: *Affectionem ipſam monſtrare ἔνδειξιν & auxilia.* De quantitate verò ſingulorum medicamẽtorum & differentia materiæ particu-

particuiaris constituendum est ex ægri temperamento & particula affecta, ita vt non negligatur consideratio virium, ætatis, ambientis nos aëris, cuius variant qualitates iuxta regiones & anni tẽpora, & prædominantem aëris constitutionem.

Curatio doloris ex plethora totius corporis & capitis.

Si dolor capitis fuerit à plethora totius corporis & capitis, quę est redundantia omnium humorum æquabilis in venis, præmittatur lenitio vẽtris cum clystere vel pharmaco, quæ in quouis capitis dolore diligentissimè semper præstanda est cum aliqua retractione materiæ, effumantis sursum.

Lenitio ventris.

Postea fiat euacuatio sanguinis cum reuulsione per phlebotomiam; Primò omnium incisa cephalica, vel etiam, si videbitur, vena interiore ad malleolum pedis, & educatur sanguis pro ratione morbi, plethoræ, ætatis, & virium. Postea, si non remittat dolor, aperiantur venæ narium, & prouocetur fluxus sanguinis narium immissis setis porcinis. Cephalicæ apertio tùm euacuat, tùm reuellit, quod sursum ad cerebrum tendit, sinistra lateris sinistri, dextera vtriusque lateris & totius capitis materiam.

Venæ sectio.

Narium venæ apertæ deriuant & euacuant ex ipso capite quamcunque partem dolor acceperit. Si ad interiora vergat dolor, occipitis venæ dolorem leuant, si appareant, teste Gal. 5. *Aphor.* 68. Si non appareant, præstabunt cucurbitæ cum scarificatu intra scapulas defixæ, aut sanguisugæ post aures positæ.

Si ad posteriora dolor tendat, vena frontis incisa conferet, teste Hipp, 5. *Aph.* 68. *Dolenti capitis parte posteriore, recta frõtis vena incisa prodest.* Cõmendãtur & incisiones venarum, q̃ sunt in temporib⁹, dextris

dextris quidem, si sinistra pars sit affecta; sinistris, si dextra.

Ex his omnibus plurimum accedet commodi, & pręstabitur iuuamenti cerebro in talibus doloribus. Sed cephalicæ apertio semper præmittatur sectioni venarum capitis. Nam etiam vtilius est id, & tutius.

Localia. Post euacuationem adhibeantur capiti repercutientia, alterantia, & confortantia, eo ordine & ex iis medicamentis, quæ ad humores in capite euacuandos vsurpantur, & misceantur ea, quæ respiciunt caput quadam proprietate, & vim pharmacorum simul deferunt ac cerebrum roborant, *Cephalica frigida.* qualia sunt; Ex frigidorum genere, *rosæ, violæ, salicum flores & folia, myrti folia, Nymphea vtraque, papauer, camphora.* *Calida.* Ex genere calidorum, *Betonica, maiorana, serpillum, saluia vtraq;, ruta, calamentum, satureia, pulegium, hyssopus, melilotus, chamomelum, stœchas vtraq;, pæonia, aristolochia, flores lilii conuallii, lauendula.* Et ex aromaticis, *Cubebæ, nux myristica, cyperus, acorus seu vulgo calamus aromaticus, castorium,* *Vitanda.* *galanga, ambra, moschum.* Vitentur autē omnia ea, quę dolores capitis quadam proprietate mouent, & suâ naturâ caput lædunt, sicut est, *absynthium,* & *succus absynthii, semen viticis seu agni casti, lac* (de quo Hippoc. *5. Aph. 64. Lac caput dolentibus non est dandū*) *glandes, iuglandes, auellanæ, eruum, myrrha, thus, corymbi, crocus, peucedanum, styrax, cyclaminus, zinziber.* Si sit itaque dolor capitis à plethora; quod totius corporis & faciei cōstitutio indicabit, cum agendis reliquis hís, quæ dicta sunt, peractis, reliquum expediatur per epithemata, fomenta, odoramenta, embrochas & alia, ex ea frigidorum materia, de qua

de qua monuimus *in tract. praced.* Item per frictiones & lotiones extremorum.

DE CAPITIS DOLORE ex bile.

SI à bile sit dolor capitis, & ea simplici, post ventris lenitionẽ cum medicamento purgante vel clystere, si præsens plethora aut motus materiæ per venas ab inferioribus ad superiora id requisiuerit, fiat aliqua sanguinis missio seu detractio. Si nulla adsit plenitudo, nec talis materię impetus, præparetur bilis ad euacuationem iis, quæ acredinẽ eius obtundunt & feruorẽ restinguunt, refrigerando & modicè humectando. Consistit enim præparatio bilis in eo, vt edometur & naturæ reddatur obsequens, quo trahi conuenientius possit per idonea loca à medicamento purgante, & à natura pelli; postea euacuetur, & his ritè peractis applicentur topica ex refrigerantibus & leniter humectantibus, *& nunquam, à quacunq; causa, sit κεφαλαλγία, omittatur post factas euacuationes ἀντίσπασις illa, quæ fit per frictiones & lotiones extremorum. Item lotiones, quæ præstent alterationem, præsertim si deprehendatur motu materiæ ab inferioribus dolor capitis augeri*, quod necessario fit in κεφαλαλγίᾳ biliosa, trahentibus ab imo sursum materiam calido feruore bilis & dolore. Conueniunt autem & balnea tẽperata in aqua dulci & embrochæ, vnctiones & alia, totaq; victus ratio sit humidior & boni succi. **Obseruandum.**

Præparatio tali modo fieri potest:

℞ *Oxysacchari, syrupi violacei, de succo acetosæ vel acetosi simplic.* vel, *de Endiuia*, vel, si sit opus maiore **Potio præparans.**

 refrige-

refrigeratione, *de nymphaa:* Aut si summa, *de papauere ana* ℥ j. *aqu. endiuiæ, cichorii, buglossi ana* ℥ iiij. vel *decoctionis quatuor sem. frigidor. commun.* aut *decoctionis communis florum cordialium & pectoralium*, Misce: vel fiat decoctum tale.

Syrupus alterans. ℞ *Sem. comm. frigid. quat. ana* ℥ ß,
Flor. Violarum,
Nymphea,
Rosar. rubearum àna M ß
Herb. Endiuiæ,
Scariolæ,
Lactucæ ana M j
Summitatum papaueris albi ʒ ß.

Fiat decoctio in aqua font. q. s. decocti colati ℞ ℥ viij. *misceantur vino granatorum* ℥ iiij. *aceti* ℥ j. *fiat syrup. dilutior*, de quo exhibeantur ℥ iiij vna vice. Euacuetur deinde bilis cum electuario de succo rosarum

Potio purgans. solutiuo. Elect. de prunis: Vel:
℞ *Rhabarb. electi* ʒ j
Spicæ Gr. v
Tamarindorum ℥ j.

Macerētur in aqua endiuiæ & modico albi vini per noctem minutatim concisa, deinde validè exprimātur & colentur, & adiectis ℥ ij. *syr. ros. sol. fiat potio purgans:* Vel:

Alia. ℞ *Flor. Caß. rec. extractæ* ʒ vj
Elect. de succo ros. ℥ iij aut iij.
Syr. ros. solut. ℥ j. *Fiat potio cum* ℥ iiij. *decocti*

Bolus. *prunorum acidorum, trium florum cordialium, & hordei, vel ex eisdem fiat bolus.* Aut, ℞ *Caß. recens extractæ* ʒ vj.

Bolus. *Rhabarb.* ʒ ß. *Elect. de succo ros.* ʒ j ß. *saccha. q. s. fiat bolus.*

Pilulæ. Vel: ℞. *Pil. aggreg.* ʒ j. *vnde formentur pilulæ cum syrupo de endiuia:* & exhibeantur catharctica, ante cibum horis quinque. Gal. commendat *decoctum absynth.*

& hieam

& hierampicram. Et vſum *ſcammoneæ*, quam *in elect. de ſucco roſ. & catapotiis ex aloë* exhibemus. Sed his vti precipuè conuenit, ſi bilis ſit craſſior, & ob lentorem pertinacius adhæreſcat, vel ſi ſit bilis mixta cum modico phlegmate. *Topica.*

Poſt euacuationem Topica adhibeantur, quibus ſeruiunt in omni calida intemperie, aqua & oleum roſarum cum aceto, mucilago pſylii, à quibus pro conditione morbi & ægroti, progredi ad fortiora licet, vt ad aquas & ſuccos portulacæ, lactucæ, ſolatri, ſemperuiui, &c.

Si magnitudo doloris, vt fit quandoq; in κεφαλαλγίᾳ, à bile, mitigari & ſedari nequeat his mitioribus, ſed exigat ναρκωτικὰ, id eſt, inducentia ſtuporem, cõueniet vnguentum de alabaſtro cum opii gr. iij. aut iiij. prout opus erit, aut modico croci, aut vnguentum populeon, vel ſolum vel cum grano opii, & modico croci, aut lac papaueris, in quo ſit diſſolutum modicũ opii, & his oblinatur frons tota cum temporibus. Sed abſtinendum ab his eouſq;, donec euidens neceſſitas vſum extorſerit. Et indantur in nares, quæ ꝓhibent, ne nimio ſtupore cerebrum afficiatur, ſicut eſt errhinon, quod fit ex puluere cinnamomi, modico caſtorii, & ſucco maioranæ. *Narcotica.* *Stuporem nimium corrigentia.*

Vnguentum de alabaſtro mirificum eſt περιηγορικὸν lenitiuum, quorumcunque dolorum capitis, & conſtat *ſuccis recentibus chamæmeli, roſarum, rutæ, betonicæ, altheæ, oleo roſarum, & exactiſſimè trito alabaſtro.* De his ſuccis ſemper memineritis etiam in biliosa κεφαλαλγίᾳ topicis aliquid miſcendum eſſe, ſi bilis ſit paulò craſſior. *Vnguentum alabaſtrinũ.*

DE CVRATIONE DOLORIS CApitis ex causa frigida.

Curatio doloris frigidi sine materia.

SI à sola perfrigeratione sine materia dolor extiterit, submouebitur solis calefacientibus, prętertim si non sit suspicio de capitis magna repletione. Quod si talis deprehendetur adesse, ex somnolentia, pigritia, sensuum omnium languore & inertia, excrementorum copia defluentium in nares & palatum, oris humiditate, pallido tumore faciei, & inprimis sensu grauedinis, fomentis calidis purgatio accurata pręmittenda est. *Estq; perfrigeratio capitis curatu difficilior, quàm calefactio nimia.* Conuenient autem infrigida intemperie fomenta, odoramenta, embrochæ, inunctiones, ex moderatè calidis, & in humiditate & siccitate temperatis. Fiant ergo fomenta sicca quidem, ex calefactis pannis solis, aut sacculis confectis cum milio & sale. Humida verò ex decocto chamæmeli, serpilli, amaraci, stœchados vtriusque, rosmarini, origani, & similibus parari possunt, quæ vel instillentur, vt embrochæ, vel applicentur spongia intincta in decoctum, atque expressa. Illinitiones fiant ex vnguento alabastrino, aut succis vel oleis prædictarum herbarum, vt oleo chamomælino & amaracino. Et si sit calefactione maiore opus, rutaceo, laurino, & de euphorbio etiam; Illinatur autem his frons ad tempora vsque & fomenta (vt dictum est) vertici imponantur. Vngi possunt & nares oleo Irino, amaracino, nardino, vel succo expresso ex radice illyricæ aut rutæ. Hæc est curatio κεφαλαλγίας ex sola intemperie frigida.

Si do-

Si dolor verò sit à materia phlegmatica frigida, quæ crassa plerunque est cum aliquo lentore; Primò euacuetur præcipua pars materiæ ex toto corpore & capite ipso, sed præmissa præparatione & materiæ & meatuum, ad quos & per quos educenda est materia in capite collecta & euacuetur, non confertim semel, sed aliquoties iterata purgatione, & paulatim ac per vices & interualla. Detrahitur etiam pars materiæ à summis ad ima, frictionibus & lotionibus extremorum. His omnibus ritè peractis post tandem vsurpentur topica, quorum aliqua fronti & syncipiti applicentur, aliqua indantur in fauces & nares, alia atque alia forma. Et si hæc non proficiant, sicut fit in κεφαλαίᾳ, aut etiam inueterata κέφαλαλγία, deriuetur & euacuetur materia καυστικοῖς, aut ceruici impositis, aut suturæ coronali, potentialibus vel actualibus, prout opus erit. Misceantur aut omnibus his aromatica roborantia, quæ denium post exactas purgationes sola confortandi causa exhibeantur. *Doloris frigidi ex materia phlegmatica.*

Primò omniū itaq; eæ regiones & viæ, per quas materia, q̃ euacuanda est, duci debet, & ventriculus, cuius calore vim pharmaci excitari atque dirigi oportet, & purgetur clystere subtus, pharmaco lenitiuo desuper, quod ita paretur, vt semper aliquam materiæ exuberantis partem secum ducat & iterari potest ante præparantium vsum.

Clyster parari talis potest: *Enema.*

℞ *Maluæ,*
Altheæ,
Bliti, ana M. j

Chamomæli,
Meliloti,
Stœchados vtriusque
Betonicæ,
Serpilli, ana P. j.

Fiat decoctio in s. q. aquæ fontanæ. decocti colati ℞ ℥ *xv. aut plus minusve, dissoluantur in eó cassiæ extract. pro clysteribus* ℥ j. *electuarii Diaphœnicon aut hieræ simpl. aut electuarii lenitiui* ℥ ß, *aut pulueris hieræ simpl.* ʒ ij. *aut* ʒ j. *pulueris hieræ compositæ, olei chamomæli* ℥ iij. *vel ij. parum salis, fiat clyster.*

Potio lenitiua. Pharmacum lenitiuum potionis forma fiat ex *decocto vuarum passularum, liquiritiæ, hyssopi, maioranæ, chamomæli aut stœchados aut betonicæ ana q. s. In huius decocti* ℥ iiij. *dissoluantur cass. recens extractæ* ℥ ß. *vel* ʒ iij. *electuarii de hiera simpl.* ʒ ij. *mellis rosat. colati* ℥ j ß. Et si erit opus, *oxymel. simpl.* ℥ j. fiat haustus.

Pilulæ. Aut formentur pilulæ ex massa pilularum: *Azaiareth cum agarico redacto in trochiscos*, vel *de hiera cum eodem agarico addito melle rosato*, & deglutiantur, vel cum puluere cinamomi; vel cum melle rosato. Post hæc præparetur materia, & euacuetur. In quo hæc seruetur vicissitudo, vt si ritè administrata & peracta purgatione, nec materię precipua pars sit exhausta, nec dolor remittat: Idem ordo repetatur eodem modo, adauctis, si fuerit opus, medicamentorum viribus eousque, donec magna ex parte materia euacuata videbitur, à qua dolor extitit. Præparatio autem fiat vel decoctis vel syrupis, quales sunt *syrupi de betonica, de stœchade, mel rosarum, oxymel simpl. & compositum*, & quod vehementius attenuat & incidit, *scylliticum*, præsertim si phlegma sit crassum & lentum, & infarctum

farctum cerebri meatibus aut lacunis membranarum cerebri & ossium cranii. Decoctiones si suppetant herbæ, semina, & radices recentes syrupis præstant, si his destituamur recentibus; aut si subito sint expedienda præparantia assumantur syrupi.

Fiat ergo decoctum tale vel simile: *Decoctum.*

℞ *Rad. Acori,*
Cyperi ana ℥ ij.
Fœniculi,
Petroselini,
Glycyrrhizæ rasæ ana ℥ ß.
Herbar. Saluiæ,
Hyssopi,
Maioranæ,
Betonicæ,
Stœchados arabicæ,
Flor. Rosmarini ana M. j.
Sem. Fœniculi,
Anisi,
Seselios, ana ℥ ß.

Cubebarum aut cariophyll. aut macis aut nucis myristicæ omnium aut aliquorum, scilicet pro cognitione morbi, *ana ʒ j. vuarum passul. mundatar. ab arillis ℥ j. aceti ℥ ij. mellis & sacchari ana ℔ j ß. fiat syrupus, vel fiat ex his decoctum, cuius ℞ ℔ j ß. & cum saccharo fiat potio lõga & clara*, quæ si superfundatur *aromatis aut pulueri nuc. myrist. vel cariophyll. ʒ j. spec. diamoschi dulcis aut similiũ*, erit efficacissima. Potest interdũ medicamento p̃paranti si exegerit id materiæ & morbi cõditio, misceri aliquid de purgãtibus simpl. vt de *agarico*, aut de *semine carthami*, de *polypodio*, vel etiã de *Turbith*, aut fiat ex syrupis talis potio:

Potio. ℞. *Syrup. de stœchade* vel *de Betonica* ℥ iiij. *Oxymel simpl.* & si phlegma sit valde crassum, *compositi:* Si valde viscidum, *scyllitici, mellis rosati colati ana* ℥ j ß. *decoctionis stœchados, nucis myristicæ & saluiæ ana* ℥ vij. *misceantur,* & exhibeantur vicibus sex. Facta præparatione purgetur phlegma. Commẽdantur autem in capitis purgatione seu euacuatione pilulæ, quæ quidem offerendæ sunt mole maiore, *vt longiore mora in ventriculo validius & efficacius materia ex longinquo attrahatur.* ℞ *Pil. Alephangin. aurear. de aloë & mastiche ana* ℈ j, pro vna dosi, *syr. de stœchade, q. s. formentur pilulæ magnitudine cicerum aut paulò minores, conspergantur puluere nucis myristicæ aut cinnamomi.*

Cur pilulæ cephalicæ debeant esse maiores.

Pilulæ.

Alia. Vel ℞ *pilularum cochiarum* ℥ ß, *de hiera cum agarico, Azaiareth ana* ℈ j. *Formentur pilulæ cum melle ros.* Si verò fortioribus sit opus: ℞ *Pilul. cochiarum* ℈ ij, *pulpæ colocynth. bdellii, ana* ℈ j, *fiant pilulæ cum aqua saluiæ:* vel, *fiat infusio aloës aut agarici.* Vel:

Bolus. ℞ *electuar. Diaphœniconis* ℥ ß, *hieræ simplicis, aut hieræ logodii* ℥ ij, *sacchari quantum sufficit, fiat bolus, aut dissoluantur hæc in decoctione stœchados nucis myristicæ, & saluiæ.* Vel:

Haustus. ℞ *Agarici candidi* ℥ j.
Turbith boni & gummosi ℈ ij.
Zinziberis ℈ j.
Salis gemmæ ℈ ß.
Herb. Maioranæ,
Stœchados ana M ß.
Rad. Cyperi,
Calami aromatici ℨ ij.

Fiat decoctio secundùm artem, in aqua font. q. s. decocti colati ℞ ℥ iij, *misceatur mellis ros. colati* ℥ j ß, *fiat haustus.*

Theriaca. Commendatur autem & Theriacæ vsus in hoc casu,

casu, si scil. secundo aut tertio die post purgantis pharmaci vsum assumatur drachmæ vnius pondere: & plurimum valent in hoc casu clysteres, qui acui & intendi possunt, ꝓ vt videbit͛ futurũ ex re & vsu ægroti. Et iterari debẽt crebro, tãtoq; magis, quanto ab inferiorius plus ad superiora ascende-rit.

Ab his tãdem veniendum ad topica, quæ ex ꝓpinquo trahant & euacuent, quorum q̃ narib. induntur solidiore forma aut puluerum ẽt, ἔῤῥινα vocant͛ vulgo Nasalia; Quæ liq̃da fluida, ac fusili forma ῥινεγχύτα; quæ vnguenti forma, διαχρίσματα; q̃ sternutamenta cient πταρμικὰ nominantur; Quæ ad fauces trahunt, ἀποφλεγματισμοὶ dicuntur; Et à collutionis vsu γαργαρίσματα; à regurgitatiõe ἀναγαργαρίσματα; à mansu διαμασήματα, id est, masticatoria vocãtur. Foris capiti adhibentur perfusiones ἐμβροχαι, cataplasmata, emplastra, fomẽta, vnctiones etsi sit opus, dropaces & synapismi, id est, rubrificantia medicamenta & picationes. Quibus si nihil ꝓficiatur, causa ἀντισπάσεως καυστικὰ ceruici, παροχετεύσεως eadẽ suturæ coronali adhiberi possunt. Sed in his omnib, seruetur regula Galeni: *Cõuenit non statim ab initio fortißima adhibere, sed à mitißimis inchoandum est & leuißimis & ipsa ẽt fortia medicamẽta admixtione mitiorum tẽperata fiũt & moderatiora.* — *Topica.* — *Regula Galeni.*

Fiant itaq, ἔῤῥινα ex puluere nigellæ torrefactæ, aut succo maioranæ, ireos Helenii, aut puluere hieræ picræ, excepto succo maioranæ, vel radicis iridis Illyr. maceratæ in succo maioranæ, vel ex succo rutæ admixtis elect. aut hierę simpl. aut benedict. laxatiuæ aut aureæ Alex. vel: — *Erthina.*

℞ Succi maioranæ,

Betæ an ℥ j ß,
Vini Albi ℥ j,
Zinziberis,
Pyrethri an ℈ j,
Misceantur & fiat errhinon,

Commendantur & quæ fiunt ex myrrha *moscho & castorio.* Fortiora fiunt ex *semine nigellæ, sale ammoniaco, & puluere cucumeris asinini, exceptis cum succo Ireos.* Item ex *cyclamino & iride & illyrici, nitro exceptis cum succo cucumeris asinini*, vel *succo cyclamini*; item *puluis ex cyclamino, borace & rhoe* (quod est sumach officinarum) item *oleum ex pulpa colocynthidos*, & *solus succus plurimum valet.*

Ptarmica. Ptarmica fiāt ex *pyrethro, pipere albo, castorio, Myrrha*, & si sit opus fortioribus *radice cucumer. asinini & succo eius; Helleboro albo, nitro, euphorbio.*

Diamastimata. Διαμασήματα fiant itidem ex *pipere albo, pyrethro, staphisagria, cardomomo, quæ in pulueres comminuta excipiuntur vel farina & melle*, vel *caricarum aut vuarum passularum carne & redigantur in formam pastillorum, & mitissimum omnium remedium est mastiche.*

Gargarismi. Ex iisdem fiant & Gargarismi, & ex aliis, vt *hyssopo, ruta, thymo, origano, saluia, stoechade*, quibus addi potest aliqđ *agarici & oxymellis* vel *simplicis vel cōpositi.*

Fomentum aridum optimum fit ex *Milio & sale* vel fiant sacculi ex *Betonica, serpillo, mariorana, stoechade, roremarino, ruta, foliis lauri, anetho, calamētho, vel* humida & his fiant fomenta, aut embrochæ. Ex eisdē conficiantur & cataplasmata, emplastra, & vnguenta. assumptis scil. aut herbis & seminibus, aut succis, aut oleis ꝓ vt opus erit. Ideo cōmendatur vnguētum de alabastro. Cataplasma cōfici potest ex *farina hordei, herba & semine rutæ, calamentho, puluere Ireos,*

Fomenta Sacculi. Cataplasmata.

re Ireos,pulegio,castorio cum oxymelle. Synapismi conficiantur ex euphorbio, *semine synapis, pipere, borace vel nitro subactis cum aqua maioranæ vel stercore columbino.* Item ex *myrrha, euphorbio, sale ammoniaco, borace vel nitro.* Item ex *euphorbio, myrrha, aloe, gummi arabico, castorio, croco, sarcocolla, costo & thure, addito modico opii cũ aq. rutæ, quæ misceri possũt,* ꝓ conditione ægroti & morbi, & applicari debent capiti raso ad coronalẽ suturã. De synapismis aũt seruet̃ regula Galeni, q inqt: σφόδρα χρονιζόντων, id est, *si vehemẽter sint longi & diuturni dolores,* συνάπιζε τὴν κεφαλὴν, *tunc vtere synapismis ad caput,* ὡς ἔθος, *vt consuetum est; præmissis sc. & pertentatis omnibus aliis, si illa nihil conferant & dolores sint diuturni ac pertinaces.* Etiã hæc vniuersalis regula semp sit in memoria, de eductione sanguinis ex mẽbro affecto in quouis morbo chronico, q̃ est apud Gal. *De tractiones sanguinis ex partibus affectis in longis & diuturnis doloribus conuenire in cõfesso est, apud omnes Medicos.* Quare in diuturnis dolorib. capitis etsi materia non videbitur contineri intra venas tamen diminuatur sanguis euacuatione ex capitis venis, quæ fient apertis venis narium, aut venæ frontis, aut cucurbitarum ad occipitium defixarum, cui quidem loco deriuationis ratione etiam καυστικὰ conferunt & poterimus vti tali caustico ad ceruicem ℞ *Fermenti acris* ℥ j ſ. *mucilaginis sem. altheæ, lini, an* ℥ j *olei lini* ℥ ij *cantharidum præcisis alis & capitibus noxii, aceti parum. Fiat emplastrum crassum.* Interdum licebit & cauteriis actualibus vti, vt ferro ignito.

Synapismi.

Regula in vsu synapismorum obseruanda.

Cauterium

DE

DE DOLORE CAPITIS AB HVMORE melancholico.

Signa.

SI dolorem capitis commouerit humor melancholicus, qui suis etiam à phlegmate notis discernitur, quod ferè mentem tentet ac rationem, & pauores infert atque cum obscuritatis & tenebrarũ seu caliginis sensu est, & insomnia, præmissa ventriculi ex purgatione & apertione alui, cum diminutione materiæ & si sit opus venæ incisione, fiat materiæ præparatio cum *syrup. de stoechade, de betonica, de epithymo, de lupulis, de pomis*, qui est optimus, *& oxymelle simpl. cum scyllitico*, vel *cum decocto*, quod recipit *florum borag. buglossæ anthos ana.* ℥.j.

Decoctio.

Herbæ saluiæ, maior, Beton. meliß. fumiteræ, stoech, ana Mj. *Sem. Anisi. fœniculi, Basilici, an* ℥ ß. *Radicum cyperi, acori, fœniculi, an* ℥ ß. *Vuarum passularum exemptis vinaceis* ℥ j *fiat decoctio in s. q. aq.. ad consumptionem medietatis. Decocti colati* ℞. ℔ j ß. *condiatur saccharo & aromatibus supra dictis, & clarificetur.* Postea fiat purgatio humoris Melancholici cum *Elect. Diacatholiçon. & Hamech*, vel *hiera Ruffi & hiera logodii* vel *pilulis Indis, cochiis & fiant reliqua eo ordine*, quo antea expositum est. Sed in hoc dolore intentio præcipuè dirigatur ad cerebri humectationem quam præ cæteris omnibus optimè præstat somnus, & post somnum diæta conueniens, ex cibis humectantibus, & balnea atque embrochæ. Medicamenta etiam ita tẽperentur, vt cum incisione & attenuatione humoris, eundem simul ceu emolliant ac cerebrum imbuant ac rigent. Et hæc dicta sint de euacuatione materiæ in morbis frigidis.

Præcipua intentio humectatio cerebri.

Post

Post euacuationem caput roboretur, cum iis, quæ intra corpus sumuntur, tum quæ foris vel applicantur vel naribus admouētur aut imponuntur. Ex horum sunt genere ea, quæ inter Topica sunt connumerata, & adhibentur occultæ resolutionis ac sedandi doloris causa. Intra corpus conueniunt confectiones *diacoron diamoschum dulce & amarum, phrisarcoticon, diacastorium* & similes : Ex simplicib. aūt *nux myristica & expressum ex hac oleum macis, caryophyll. cubebæ. Nec vnquam negligendus est vsus theriacæ aut mithridatii in cerebri morbis frigidis.* Foris conueniunt odoramenta, linimenta, emplastra, Embrochæ, pomum odoriferum, vel nodulus fieri talis potest.

Interna confortantia.

Externa.

Nodulus.

℞ *Maioranæ,*
Spicæ an ℥ j,
Caryophillorum,
Nucis myristicæ,
Ligni Aloes an ℈ j,
Moschi Gr. j,
Styracis liquidæ vel,
Ladani,
Galliæ muscatæ an ℥ ij *Ceræ q. s. fiat pomum.*

Succinum suffitus habet in frigidis affectionib. cerebri vim mirabilem, dum scilicet omnes humorum superfluitates in cerebro consumit.

Si sit à crassis flatibus dolor capitis, vsurpentur ea, quæ dicto sunt cōuenire cephalalgiæ à phlegmate crasso, admixtis iis etiam, q̄ flatus incidunt ac dissipant. Post expurgationem vero Topicis misceantur, quæ validius incidunt, attenuant ac discutiunt flatus, sicut sunt *Carum, Anethum, Feniculum, Anisum, Ammi, Cuminū, Radix Galangæ, Rutæ succus &*

Curatio doloris à crassis flatibus.

Cuminum fortiter discutit flatus & creber eius vsus inducit pallorem. Ideoq; apud Ouidium legitur: pallentis grana cumini.

cus & folia, fructus & folia lauri, confectiones diacimini & diagalangæ. & si sit opus fortiori discussione, vsurpetur *confectio diacalamenthi.* Nunc dicemus aliquid de cephalalgia externa & ita claudemus hanc tractationem.

Si fuerit dolor capitis à contusione, ex ictu vel casu, cum vel sine vulnere, oboritur is ab affectione, quæ nõ discrepat ab inflammatione ex humorum affluxu, sicut inquit Galenus:

Εἰδέναι χρὴ τὴν τοιαύτην διάθεσιν οὐκ ἄλλην οὖσαν ἢ φλεγμονὴν διὰ ἐπιρροὴν χυμῶν. Si sit ergo sine vulnere vel cum vulnere etiã, si ætas id & virtus ægroti ferat, & concedant aliæ circumstantiæ, fiat initium curationis semper à venæ sectione, qua, qui affluit ad locum læsum sanguis, reuellatur & euacuetur. Prouocetur & aluus, reuulsionis & euacuationis causa, propter eos humores, qui extra venas continentur vel in cerebro vel in reliquo corpore, & ratione dolorum atq; inflammationis sursum rapiuntur, & tanto quidem fortiore clystere, si venã incidere non sit tutum. Postea accedendum est ad vsum eorum, quæ consueuerunt applicari inflammationibus, quorum alia conueniunt incipientibus, alia augescentibus, alia constitutis instatu, indeclinationibus alia, super crescẽtibus alia. Cum autem in contusione semper aliquid sanguinis exprimatur ex venis, vel compressu venarum adigatur ad externitates, in quibus protinus vel concrescit & inflãmatur vel etiam corrumpitur ac putrescit, statim adhibeantur initio non ea tantum, quæ naturam ad locum affectum affluentem repercutiant, sed simul etiam, quæ expressam iam aut in venas

nas infarctam digerant ac discutiant. Coueniet autem hoc emplastrum: quod *Emplastrũ.*

℞ *Chamomali,*
Meliloti,
Furfurum an. M j,
Farinæ fabarum,
Lupinorum, *Lupinus resolutionis causa usurpatur.*
Hordei an. ℥ ij,
Myrtillorum,
Nucum cupressi, aut si hæc desint,
Gallarum orientalium N. X V.

Pistanda pistentur & cũ sapa ac lixiuio ferueant donec coeãt in formã ceroti, cui in fine, si putrefactio absit *misceãtur olei chamõali, anethini, myrtini an ℥ j. Iterũ ferueãt.*

Si sit cum vulnere cõtusio, q tamen non perrũpat pericraniũ, primum licinia, q̃ Græci μότον, Germani *vvickel*, vocãt intincta in modicũ aq. rosarũ, in qua albumen oui cũ vitello agitatione sit dissolutum, imponatur in vulnus & desuper ponatur præcedens emplastrum; sequenti die in idem vulnus licinia indatur immersa in hoc abstersiuum: q *Licinia.* *Linimentũ.*

℞ *Terebinthina clariß. ℥ j,*
Syrup. rosf. ℥ vj,
Aq. plantag. ℥ ij,
Vitell. oui nr. j,

Bulliant vsq; ad aq. consumtionem.

Deinde addatur farina hordei q. s. Croci parum & fiat linimentum, quod inditur vulneri. Foris vero super imponatur vnguentum mixtum ex *Aegyptiaco & Apostolico ana q. s.* Post impeditam inflammationem & præstitam mundificationẽ, vulnus obducatur cicatrice, quod fiet, si eluatur hoc decocto.

Terebinthinã verã nos nõ habemus. In Italia nulla colligitur. In Gallia paucissima. Nostra Terebinthina est resina ex larice collecta. Falsificatur autẽ qua ex inferiore Italia fertur Venetias.

Decoctũ cicatricẽ induũt.

℞ *Vini nigri,*
Aq. cinerum plantag. an. quant. suff.

Rosarum

Roſarum rubearum,
Myrtillorum,
Balauſtriorum,
Aluminis rochæ,
Fiat decoctum, quo vulnus abluatur.

Ita abſoluimus κεφαλαλγίαν κατ' ἰδιοπάθειαν factam à cauſa interna vel externa. Interna vel intẽperie ſola, vel cum humoribus calidis aut frigidis.

DE DOLORE CAPITIS PER *conſenſum á ventriculo,*

SI per conſenſum ſit dolor capitis à ventriculo, inde oritur, quod vẽtriculus cerebro per Oeſophagum communicat copiam halituum ex humoribus vel calidisernbilioſis, vel craſſis phlegmaticis, iiſque aut ſalſis aut acidis, & vtriſque vel imbibitis in tunicas ventriculi, vel natantibus in laxiore eius cauitate, quorum qui bilioſi ſunt, fere propter leuitatem ad oſculum ventriculi vſque efferuntur, idque cum mordicatione quadam infeſtant; Qui phlegmatici ſunt, fere ſubſidunt in fundo. Et quibus ex ventriculo caput affici conſueuit, iis ſimul adeſt aut imbecillitas virtutis concoctricis, aut oſculi ventriculi, ἀδυνία vel ἐυαισθησία id eſt, exquiſitus & acutus ſenſus & capitis aptitudo ad halitus recipiendos. Vtrunque ergo præſtãdum eſt, & ne tranſmittat ad cerebrum halitus tales ventriculus, & ne cerebrum tranſmiſſos recipiat. Non tranſmittet ventriculus bene purgatus à vitioſis humoribus, & poſtea corroboratus, ne vel nouos gignat vel aliunde appulſos admittat, & vt con-

Ne ventriculus halitus ad caput tranſmittat.

constrictione sui cibos exquisitè complectatur, atque osculum superius contrahat, ne laxe hiet. Biliosi humores vomitu facile euacuabuntur in iis, qui prompte vomunt; si ad vomendum facilitas non adsit, medicamento purgante deiiciendi erũt. Phlegma semper purgetur, nisi id natura sursum agat. Biliosi si sunt valde acres & mordaces, præparentur *syr. de succo rosꝭ & de endiuia.* Postea euacuentur cum *Rhabarb. Et myrobalanis citrinis:* vel si sint crassiores, cum *hiera simpl.* crassi & viscidi incidantur, extenuentur & abstergantur *syr. de mentha oxymel. simp.* & *mel. rosꝭ. colato.* Euacuẽtur *pilulis de hiera simp.* aut *puluere huius,* aut *elect. aut pilulis de Azaiareth,* postea roboretur osculum ventriculi adstringentibus præsertim post cibum, vt exactius claudatur nec halitus ad cerebrum transmittat. Ante cibum conuenit *saccharum rosat.* & alia similia, quæ vel foris applicata vel intro assumpta ventriculi imbecillitati opitulantur.

Caput etiam præmuniatur, ne halitus recipiat.

Eodem modo, si ab aliis partibus affectis dolor capitis oriatur per consensum, præcipua curationis pars dirigatur ad partem affectam cum cerebri roboratione ac premunitione.

Dolori capitis, si cum febribus protinus inter initia inuadat, medendum est in hunc modum. Primo omnium ventriculus mundificetur & aperiatur venter Enematis. Quod si non remittat dolor, certum est, dolorem non esse à consensu, sed κατ' ἰδιοπάθειαν in cerebro, & quidem à plenitudine. Quare nisi quid obstiterit aliud, & adfuerit bona corporis constitutio cum virium robore, *Curatio dolor capitis cum febre.*

 vena

vena aperiatur post primum vel ad summum alterum paroxysmum in febribus intermittentibus aut sub remissionem primam, si febris sit continua Quod si multo post, vt sub paroxysmum septimũ cœperit dolor capitis aut etiã quartum, quod de materia sursum rapta ad cerebrum existit, reuellatur hæc acutioribus clysteriis & fortioribus frictionibus extremorum. Caput vero, si materia sit calida, oleo vel aqua rosacea & aceto; si frigida chamomęlino oleo & aceto inungatur & aliis huiusmodi de quibus *antea* diximus.

Curatio cephalaeæ & hemicraniæ.

Eodẽ modo curant' κεφαλαῖα & ἡμικρανία q̃ quãto sunt vehemẽtiores & cõfirmatiores, tanto pertinacius instãdum est medicamẽtis, iisq; fortiorib. etsi per interualla circuitus affligant, qetis tẽpore προφυλακτικῇ curatione præstãdum, ne cõcurrant; q̃ tota consistit in acurata euacuatione materiæ, & capitis roboratione, quãtũ ad medicamẽta; in cõueniẽte vero ratione vict⁹, quãtũ ad diętã attinet. Estq; in oĩ dolore capitis, sicut initio monui, cõsiderandum diligenter, an subiectũ doloris sit intra cranium in mẽbranis, q̃ cerebrũ proximè ambiũt ac vestiunt, an vero extra cranium in mẽbrana, q̃ vocatur περικράνιον, an vero in musculis tẽporalib. *Interni dolores tactu leniuntur, interni exasperantur.* Vidẽdum & hoc, an humores q faciunt dolorẽ, intra venas contineãtur, vel extra has, in alueis cerebri, aut cauis, intra vel extra cranium, spaciis, sicut dixi. Et sic habetis hanc primam partẽ methodi particularis, quæ tractat omnium dolorum capitis curam ab externa vel interna causa obortorum.

Signum dolores internos ab externis distinguens.

DE

DE PHRENITIDE
Cap. II.

HActenus de affectionibus capitis diximus, q̃ fiunt, membranis præcipuè affectis dolore sine læsione actionum, quæ sunt propriæ animæ rationali, quæque ἡγεμονικαὶ & λογιστικαὶ vocantur, & si deprauentur, mentis perturbationem adferunt ad alienationẽ. Nunc de iis dicemus morbis, quorum appellationes sumptæ sunt à symptomatibus læsarum actionum cerebri illarum, quib. mẽs cõstat & ratio, quas vt dixi, Gal. appellat ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν. Principio igitur sciendum est, *neq; deprauari has vnquam, neque mentis erratione euenire vllam, nisi affecta & vitiata substantia & temperie cerebri, ac spirituum animalium, quoniam cerebrum harum functionum propria & proxima causa est spiritus sunt primũ & proximum organum*, vtpote ꝗ spirituum vibratu & agitatione regulata cerebri motu & temperie affecta, formantur cogitationes intra cerebri alueos. vocarunt aũt generatim Græci q̃uis alienationẽ mentis seu rationis aberratione παραφροσύνην & ἄνοιαν, Latini desipientiã & delirium, siue per sese cerebro affecto accidit, siue per cõsensum. Fitq; alias sola cogitatione delirãte, ꝙ ꝓprie est παραφρονεῖν. Alias accedit ad aberratiõẽ cogitationum, sermonis etiã aberratio, (quod ꝓprie est παραλεγεῖν) & actionum externarum. Ideo Hipp. tres differentias
facit παραφροσύνης; Vnã mitiorem reliquis, q̃ fit cum παραφροσύνης tres differentiæ.
risu. Alterã periculosissimã oĩm cum ad errorem
mentis accedit insignis deformitas in gestib. & a- I
ctionib. externis, coniuncta cum turpitudine aut II.
feritate, quam θρασεῖαν aut θηριώδη & μανιώδη & παρα- III.
φροσύνην Gal. & Hipp. vocant. Tertiam me-

diam, quæ fit μετὰ σπουδῆς coniuncta cum studio & sollicitudine multa dicendi aut disputandi, aut ꝑcurandi aut constituendi. Est igitur παραφροσύνη ꝑprie *symptoma, quod sequitur deprauationem seu perturbationem functionum propriarum animæ rationalis ad cerebri affectionem ab intemperie vel sola vel cum materia, siue per se cerebrum sit affectum, siue per consensum.* Cumque omnes actiones lædantur tripliciter vel quod hebetantur ac diminuantur, vel deprauantur, vel quod prorsus abolentur, παραφροσύνη existit ex deprauatione functionū ꝑpriarum animæ rationalis: sicut diminutis his & hebetatis fit μόρωσις seu fatuitas & stupor ingenii & rationis; Destructis vero & abolitis iisdem ἄνοια, id est, amentia. *Omnis itaque παραφροσύνη est symptoma cerebri affecti vt κατ' ἰδιοπάθειαν vel κατὰ συμπάθειαν.* παραφροσύνη per consensum consequitur ad febres ardentes & acutas, aut alioquin ad inflammationes membrorum nobilium, quæ cum febribus semper coniunguntur vt ad περιπνευμονίαν, pleuritida, inflammationem diaphragmatis, cui inde nomen est tributum τῶν φρενῶν, buod facilime & promptissime suis affectionibus tentet ac infestet cerebrum. Item ad affectionem osculi ventriculi, vocaturque hæc παραφροσύνη proprie παρακοπὴ & παραφορά. Et qui sic delirant, aut in rationando hallucinantur propter aliarum partium affectiones, cerebro laborante, dicuntur παραφρονῆσαι & παραχθῆναι (vt alii habent παρέπτηξα) παραπαῖσαι παρακόψαι παραληρῆσαι. Per se cerebro affecto, fit παραφροσύνη aut cum febre aut sine febre. Quando cū febre est, Et ea quidem continua vocatur & est φρενῖτις, quæ hoc differt ab alienatione mentis in ardentibus febribus, qꝫ in phre-

[Margin: παραφροσύνη quid.]

[Margin: παρακοπή. παραφορά.]

in phrenitide delirium est continuum, cum febre continua, & symptoma vtrumque simul cũ morbo inuadit, & continuo cum morbo perdurat, hoc augescente augetur & remittente remittit. In παρα-φροσύνη ardẽtium febrium præcedunt febres tanq̃ causa, sequit᷑ deliriũ tanq̃ symptoma & nõ est cõtinuũ. Quando sine febrium est delirium fit παρα-φροσύνη melancholica, cuius differẽtiæ plures sunt. φρενῖτις ergo sicut ab Hipp. describitur est *delirium continuum, cum acuta & ardente febre.* Hæc descriptio sumpta est ex duobus accidentibus propriis & ꝓximis illius affectus, qui delirii in cerebro proxima causa est, quorum symptomatum vtrumque παθογνωμόνικον est & συνεζευγμένον; & phrenitici vocantur Hipprocrati semper ὅσοι τὰς φρένας βεβλαμμένοι εἰσὶ διηνεκῶς σὺν ὀξεῖ καὶ διηνεκεῖ πυρετῷ. Galenus & alii non à symptomatibus definiunt phrenitidem, id est, mota & turbata ratione cum febre continua, sed affectu cerebri, qui causa est symptomatis vtriusque. His ergo phrenitis est inflammatio, vel erysipelas, vel aliquid ex his mixtum id est, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης vel ἐρυσιπέλας φλεγμονῶδες, consistens aut in cerebri membranis intra cranium aut in ipsius cerebri corpore incendens & fouens continuam & acutam febrem, quæ tamen ferè de tertio in tertium exasperatur, sicut tertianæ continentes, & perturbans ac deprauans functiones criminales omnes, cerebri temperie vitiata, sed illas proprie, quibus mens continetur & ratio.

Phrenitidis & ab alienationis mentis differentia.

Paraphrasini melancholica.

Phrenitis quid.

Materia autẽ est *sanguineus humor, aut biliosus, vel ex vtroque mixtus.*

Causæ efficientes eædem sunt, quæ inflamma-

tionum & erifypelatum in partibus aliis externis vel internis, de quibus disputat copiose Gal. *lib.13. Methodi magnæ*, suntque semper vel à coaceruatione, vel ab affluxu humorum, siue humores ab internis causis, vt est calor attrahens in cerebro vigiliæ calefacientes cerebrum, communicentur siue ab extrinsecis, vt ictu calore solis.

Signa phrenitidis exquisita.

Cum ergo de essentia morbi constet, quæ signa hunc demonstrent constituere non est difficile. Præcedunt autem tanquam signa προηγούμενα & ἀναμνηστικὰ vita, curis, laboribus, & animi occupata intentionibus; Ætas iuuenilis aut consistens, continuæ & longæ vigiliæ, cum multo studio, constitutio corporis sanguinea aut biliosa cum plenitudine, caput imbecillius & fluxionibus obnoxiũ, quæque sunt eiusmodi. Propinquam vero & iam

Mox futura.

iam oborituрã phrenitidẽ arguunt hæc signa, præcedunt interdum vigiliæ, interdum etiam somnus qui tamen interrumpitur aut turbatur visionib. aut imaginibus manifestis, ita vt exclament in somno; nonnulli ceu territi visis spectrorum & exiliant; interdum accedit obliuio præter rationem, vt laborãtes cum matulam petunt mictionis causa, mingere obliuiscantur, aut emittant vrinam non petita matula: Interdum horridius & asperius respondent cum conuitiis & indignatione, præsertim si fuerint antea mansuetiores. Adest dolor capitis aut totius aut aliquarum partium; accedit quandoque vertigo & capitis grauitas, ita vt erigere corpus nequeant aut caput attollere: Exiguo omnes vtantur potu, spirationem habent raram & magnam, quod cerebro affecto musculos laborare, ideoque spirationem fieri difficiliorem necesse est

cesse est; pulsus minores habent magisque neruosos, nonnunquã in occipitio dolorem percipiunt. Inualescente phrenitide augentur omnia oculi vehementer squalidi euadunt, nigricantes, cõfusis sordibus aut ex alterutro illorum extillant lachrymæ & ceu lippitudine quadam infestantur, venæ tument sanguine, sanguis stillat ex naribus; facie rubor, & æstus capitis intenditur, præsertim si sit à sanguine; aut pallor augetur cum flauedine, præsertim si sit à bile, & hoc tempore nihil respõdent, quod mente constare indicet, auellunt floccos, & festucas carpunt; Interdum prorsus tacent & interrogati nihil respondent, aut cum tumultu respondent, & oculis continuo intentoque in vnam rem defixis velut tota facie rigent Quãdoq; oculis conniuent. Lingua magis magisq; exasperatur & nigrescit dolorem ferè nullum sentiunt in vlla corporis parte quod secundum Hipp. certissimum est argumentum affectæ mentis. Et hęc quidem sunt notæ phrenitidis exquisitæ, scilicet cum inflammatio est intra cranium in cerebro ipso vel membranis proximis, quæ quidem pro actionum læsarum discrimine triplex est: I. Nam aut φαντασία laborat, ratione, quam διάνοιαν vocant, non affecta. II. Aut hac affecta, illa libera est & integra. III. aut vtraque pariter laborat.

Sect. 5. aph. 6.

Phrenitis nõ exquisita.

Differentia.

Non exquisita phrenitis pene iisdem symptomatis turbat mentem & diaphragmatis inflãmatione, & ab exquisita facile distinguitur conside ratione & notitia loci affecti, qui est circa præcordia.

DE CVRATIONE.

CVm consensu omnium constet, phrenitidem inflãmationem esse, cuius est à fluxu materiæ origo, & q̃dẽ materię intra venas cõtentę, discerni ergo oportet acurate tempora fluxionis materiæ & inflammationis, an principium sit fluxionis materiæ, ita vt adhuc nulla sui parte in cerebro cõstiterit; vel an partim fluat, partim vero ex fluxu in cerebrum desederit, quod vt plurimum accidit; vel an tota iam ex fluxu consederit, sitque inflammatio confirmata.

Curationem inflammationis confirmata tentari sine fructu.

Si fuerit ergo inflammatio confirmata, quod, quæ exposita sunt symptomata, non obscurè indicabunt, curatio non magno cum fructu tentabitur, vel potius frustra. Si à principio statim adsit Medicus, morbi ipsius & causæ morbum facientis ratio ostendet, quid sit faciendum. Præstanda principaliter ergo erũt hæc, vt retrahatur materia fluens, ne irruat in cerebrum atque in hoc figatur & quæ cum impetu irruit, vt simul desuper repellatur ac reprimatur, ne recipiatur intra cerebrum, & si quid ex influxu desedit, vt deriuatione protinus euacuetur ad ꝓpiora, & si quid reliquum est, vt discutiatur ac consumatur. Conueniet ergo statim clystere aluum subducere, & ex vena cubiti, quam cephalicam & humerariam vocant sanguinem detrahere, vtrumque ἀντισπάσεως & reuulsionis causa, pro ratione & proportione corporis, ætatis & virium. Capiti vero applicetur oxyrrhodinon ex oleo, aqua & aceto rosaceis; vel epithema fortius, quod

Non confirmata.

℞ *Succi semperviui,*

Sola-

Solatri, vel,

Portulacæ, ana ℥ ij, *Epithema.*

Aq. Nymphea,

Rosarum ana ℥ iiij.

Succi sem. papauer. albi contusi atq; expressi ℥ j.

Misce, fiat epithema. Clyster poterit talis admini-strari:

℞ *Flor. Chamomeli*, *Enema.*

Stœch. arabicæ,

Rosarum rubea. ana M. j.

Fol. Maluæ,

Mercurialis,

Violarum ana M. j.

Furfurum ligatorum in petia M. ij.

Coquantur q. s. est. Decocti colati ℞. ℥. x. *In quo dissol-uantur cass. recens extractæ, elect. hieræ simpl. ana* ℥ ß. *olei violati* ℥ iij. *vitellũ oui, num.* j. *sacch. rubr.* ℥ j ß. *salis com-munis* ℥ ij. *Misce, fiat clyster.*

Vsurpantur autem & frictiones extremorum fortes, & crura & brachia ligentur cum valida a-strictione vinculorum. Et si videbitur opus, ex-hibeatur pharmacum ducens flauam bilem leni-ter: Ex *floribus cassiæ recens extractæ, Rhabarb. & modico electuarii de succo rosar. & syr. ros. solut.* Iterentur au-tem clysteria, vt aluus semper pateat. Et si his per medicamenta soluentia non videbitur consultũ, vsurpentur ea, quæ tantum eluant intestina, quale est enema, quod fit ex *aq. hordei, sacchharo rubro, vi-tellis ouorum, & oleo violarum.* Iteretur & phleboto-mia & cucurbitis ad scapulas defixis, aut sangui-sugis subter aures positis, educatur materia inflã-mationis ex loco affecto. Etiam vena frontis se-cetur, si fuerit necesse, & pro simplici apocrustico

quale initio adhibendum esse dixi, vsurpantur, quæ partim repercutiant, partim resoluant, quale est decoctum:

Decoctum repercutiens & resoluens.

℞ *Flor. Chamomæli,*
Meliloti,
Stœch. arabicæ,
Anethi,
Violarum,
Nymphea,
Rosarum rubrarum,
Violarum ana Coq. in s.q. aq.

Commendantur autem in fomentatione præcipuè pulli columbini viui & catuli viui, si cuiscerentur, & caliditate actuali applicentur supra suturā coronalē pilis derasis. Item pulmones agnorum aut castratorum similiter si actuali caliditate, aut postquam in decocto chamomæli & rosarum efferbuerint, accommodentur. Cumq; Hippocr. dicat *sect. 2. aph. 2. Vbi desipientiam somnus sedat, bonum; vbi verò perstat, malum:* detur opera omni cura, vt in phrenitide ægro somnus concilietur, idque tentetur, quibus fieri poterit & ingeniis & medicamentis. Fiant ergo lotiones crurum & brachiorum manè & vesperi, *ex decocto corticum papaueris albi, hyoscyami albi, florum nymphea, chamomæli, violarum, ana M j. Florum vitium, salicum, lactucæ ana M ß. Bulliant in aqua.* Frons vngatur tali vnguentum:

Lotiones crurum & brachiorum.

Vnguentū.

℞ *Olei nymphea,*
Violarum,
Vnguenti populeon, ana ℥ ß.
Opij optimi gr. iij.
Croci gr. vj.

Cum exigua cera fiat linimentum, quo perlinantur

tur tempora & frons. Nares autem & aures colluantur *vino albo, in cuius* ℔ j ß. *efferbuerint* ʒ ij *seminis hyoscyami albi.* Intra corpus verò assumantur vel ante somnum, vel si omnino æger dormire nequeat, qualibet hora noctis, *syrup. de pa. au.* ℥ j. *aqua lactuca* ℥ iij. *Misc.* Cõmendantur & pilulæ *de Cynoglossa*, in somni conciliatione, si ex ℈ ij *massæ pilularum de cynoglossa formentur pilulæ iiij.* quarum prima detur ante somnum. Quod si his omnibus ritè administratis nec sæuitia symptomatum remiserit, nec somnus ægrum oppresserit, relinquatur pro desperato, id est, ad cœmiterium.

Interius sumenda.

Sunt autem phrenitides periculosiores tantò, quantò sæuitia symptomatum maior est, & quidem quanto maior est feritas in gestibus externis, sicut & Hippoc. dicit *6. Aph. 53. Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores sunt: quæ cum studio periculosiores.* Ita habetis etiam curationem de vera & exquisita phrenitide. Nunc dicemus de reliquis speciebus παραφροσύνης, quæ fiunt cerebro affecto per sese.

DE AMENTIA MELANcholica.

Alterum genus παραφροσύνης, quod fit cerebro primariè & per se affecto, diximus esse παραφροσύνην μελαγχολικὴν, quæ est sine febre, *& symptoma* est *deprauatarũ functionũ animæ rationalis*, quas vocat Gal. ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν, sicut Φρενῖτις, quã semper cõsequitur æstuans & continua febris. Existit aut cerebro ꝓpriè affecto, vt mẽbro similari, non vt membro organico, i. e. temperie eius vitiata & corrupta substantia. Est ergo desipientia melãcholica *alienatio mẽtis sine febre, qua qui laborãt,*

Amentia melancholica quid.

vel

vel phantaſia vel iudicio & ratione, vel vtroque errante, aut cogitant & loquuntur, aut faciunt à ratione aliena, Signa. *cum timore perpetuo & mœſtitia* (& nec verberibus mouentur, vt vel verbum vnum reſpondeant.) Quæ duo Hippo. indubitata ſigna melancholiæ conſtituit *6.Aph.23.* cùm inquit: *Si timor & mœſtitia longo tempore perſeuerant, melancholica ſunt.* Sunt au- Differentiæ. tem melancholicæ deſipientiæ differentiæ tres diſtinctæ & cauſis efficientib⁹, & ſymptomatis &

1. locis ac ſedibus affectis. Prima eſt *Melancholia,* quę appellatio ſemper morbi eſt, humoris nunquam, qui à propriè loquentibus, ſi ſecundùm naturam ſe habent, melancholicus χυμὸς & αἷμα μελαγχολικὸν & μέλας χυμὸς dicitur; ſi aduſtione & putrefactione à natura ſua degeneret, vocatur atra bilis

2. μέλαινα χολή. Secunda λυκανθρωπία. Tertia μανία.

3. His addunt aliqui, quos ἐνθεαστικοὺς Græci vocant, Latini obſeſſos, quod ex furentium genere aliqui, non inſita vi, ſed externa, futura etiam præſagiant ac prædicant, à quibus Plato μαντικὴν dictam eſſe exiſtimat, quaſi μανικὴν, ſed peculiaris nulla ſpecies. Nam ſæpe melancholicis furoribus ſua venena miſcet diabolus, & non procul abeſt ab his, qui alienatione mentis laborant. Melancholiæ Melancholiæ origo. origo eſt à frigida & ſicca cerebri intẽperie, quam efficit humor vel vapor melancholicus, ater, frigidus & ſiccus, fœculentus, in cerebri ſeſe corpus inſinuans atque imbuens, & hoc imbuendo pertinaci adhæſione alterans ad intemperiem conſtitutioni naturali contrariam. At humor iſte quandoque in liene, & ad hunc directis atque deductis à caudice venæ portæ, & ipſi inſertis multiplici contextu venulis, coaceruatur ac redundat,

indeque

indeq; ventriculo per venas in ipsum à liene por- *Triplex me-*
rectas communicatur, quandoque in solo consi- *lancholiæ*
stit cerebro, quandoque in propagines venæ cauæ *differentia.*
& corpus vniuersum effunditur. Hinc triplex 1.
differentia melancholiæ. Primaria, quæ fit hu-
more melancholico cerebri corpus occupante &
immutante. Secunda ὑποχονδριακὰ ϗ φυσώδης, id 2.
est, flatulenta, vulgo Myrachialis humore eodem
ad lienem & ventriculum exuberante. Tertia, 3.
quæ fit totius corporis vitio. Harum omnium mi-
tissima est hypochondriaca, quæ gignitur cerebro
per consensum affecto atro scilicet vapore ex sini-
stro subter præcordia hypochondrio in cerebrum *Hypochon-*
effumante, & hoc ceu densa caligine obnubilan- *driaca.*
te, quod cùm ferè non fiat, nisi humor melancho-
licus in venis ad lienem pertinentibus inflamme-
tur aut corripiatur saltem feruore aliquo, quod fit
iis regionibus, quæ sunt ad lienem & epar, crassitie
humoris obstructis aut inflammatis: *Ideo ferè non*
turbatur mens à quauis redundantia melancholici succi
circa lienem, sed ea tantùm, quæ cum humoris feruore cō-
iuncta est. Signa eius ex Archigene recitat Gal. *in* *Signa.*
3. de locis affect. præter metum enim & mœstitiam,
quam ex atro vapore circumfusa cerebro caligo
& spirituum animalium obtenebratio, tum etiam
terribilium phantasmatum varietas efficit, talibus
omnibus subter præcordia arteriæ vehementer
pulsant, teste Hipp. cùm inquit: *Si præcordiorum ve-*
næ vehementer pulsant, aut turbationem aut delirium si-
gnificat: adsunt cruditates ventriculi perpetuæ, ru-
ctus acidi, æstus circa præcordia, flatus, interdum
dolores ventriculi vehementes sumtoque cibo,
& maximè qui concoctu difficilis est, sputum hu-
midum,

midum, ideoque multum, præcordia conuelluntur sursum, & alui deiectione, vomitu & bona coctione tales omnes alleuantur. Sæpe adest dolor cordis, & palpitatio à calidi cibi vsu, quia vapor sursum calidus expirat, & symptomata omnia inualescunt. Mitigantur autem vomitu refrigerante in plerisque lienis aut mesenterii renitens dolensque tumor & notæ aliæ indicantes affecta hypochondria; In nonnullis, præsertim si ex bile adusta tales euaserint, non tantum ex melancholica, sed etiam ipsa atra bilis molesta est.

Melancholia primaria. Melancholia primaria, in qua cerebrum per sese aut primariè afficitur, siue peculiari, siue totius corporis vitio, ea sine hypochondriorum est affectione, & cognoscitur notis aliis, quæ humorem melancholicum vel in capite, vel in toto corpore exuberare ac dominari ostendunt. Si enim

Materia. in toto corpore redundauerit melancholicus sanguis, mox simul etiam cerebrum occupabit, idque eueniet tum potissimum, cùm & epar à sua natura ad talem sanguinem generandum fuerit idoneum, & ratio victus epati materiam conuenientem suppeditabit, quales sunt carnes bubulæ, hircinæ, caprinæ & leporinæ, aprorum, porcorum domesticorum, denique vel terrestrium animantium, vel aquatilium omnes sale conditæ, aut duratæ fumo aut Sole desiccatæ; legumina item plæraque, vt lentes, pisa, & peculiariter brassica, item-

Signa. que si splen etiam naturâ fuerit imbecillior, vel trahere ad se melancholicum humorem, vel confectum subactumque expurgare non queat. Tales ergo toto corpore graciles sunt, denigrantur & hirtescunt, venas habent latas & tumentes,

Inter-

Interdum aut ſolo prauorum ciborum vſu, aut hæmorrhoidum vel menſium ſuppreſſione ad talem corporis habitum deducuntur, aut ſi bono victu vtantur, mœſtitia, vigiliis & ſolicitudinibus. De his ergo percontari Medicum oportet diligenter, & non negligere anni tempus, præteritorum, præſentis conſtitutionis cœli, quæ ἔνδημα & ἐπιδήμια vocantur (vulgò graſſantes) ætatis & regionis, quæ ad προκαταρκτικὰ αἴτια pertinent. Et vt certiſſimè cognoſcatur, an in totius corporis venis ſuccus melancholicus exuberet, ſecetur cubiti vena media, de qua ſi ſanguis melancholicus effluxerit, indicabit talem in totum corpus diffuſum eſſe, ſi non, mox vena ſupprimatur. In ſolo enim cerebro contineri humorem id argumento erit. Si ergo neque circa præcordia & ventriculum apparuerit vllum illorum ſignorum, de quibus dictum eſt, aut ſi apparuerit, fuerit tamen admodum exiguum & obſcurum, neque indicia adfuerint redundantis in toto corpore humoris melancholici, propria autem ſeſe ſymptomata melancholiæ efficacius exeruerint, vt mœſtitia & timor: Ratiocinaberis, cerebrum tali humore obſitum ab eoque imbutum eſſe atque immutatum, qui aut in cerebrum aliundeque deriuatus, aut in eo genitus eſt, quod calor alienus vel flauam bilem, vel atrum ſanguinem in cerebro pluſculum aſſauit; ſed accedere multæ cauſæ internæ poſſunt & externæ, & vt adſit ἐπιτηδειότης & imbecillitas cerebri ſeu naturalis, ſeu aliunde contracta, neceſſe eſt.

Differunt autem inter ſe plurimum melãcholici. Etſi enim in mœſtitia metus terret omnes, tamen *Melancholicorum differentia*

tamen phantaſmata metum afferentur, quæ ex vitio cerebri & mentis alienatione exiſtunt, non omnibus eadem obiiciuntur. Exempla alia alii annotant. Et quanquam timent omnes ac mœrent, & homines oderunt, vitamq́ue damnant, non tamen omnes non cupiunt; & nonnullis formido mortis pręcipua cauſa eſt mœſtitiæ: nonnulli cum & pertimeſcant & abominentur mortem, tamen eam ſibi adſciſcunt. Plerique ſuperbiunt admiratione ſui, & contemptum ſui ferunt ægerrimè; cuius cauſa eſt, quod & rectè cenſuit Ariſtoteles, καὶ ὁ χυμὸς καὶ ἡ κρᾶσις τῆς μελαίνης χολῆς πνευματική ἐστι. Inflantur ergo & ex inflatione tumeſcunt & inſoleſcunt, concipiuntq́ue cogitationes, quibus alii alias vitæ functiones ſibi perſuadent. Varietatis huius & differentiæ, phantaſmatum, morum & feſtuum externorum cauſa eſt omnis à corporum conſtitutione, ab humoris ipſius, à vitæ & conſuetudinis ratione. Rectè enim diſputat Ariſtoteles *in problem. ſect.* 30. *probl.* 1. quod melancholia ad conſtitutionem laborantium ſe accommodet, & hanc cogitationibus, affectibus animi, moribus & geſtibus externis effingat atq; exprimat, ſicut potantium naturæ & moribus vinum auidius hauſtum ſeſe conformat. *Qualis enim cuiuſque natura eſt, & quales ſunt inclinationes ac mores, tales inebriati vino, aut melancholico morbo affecti deprehenduntur.* Quantum ad humorem ipſum etiam rectè inquit Ariſtoteles: Διὰ τὸ ἀνώμαλον εἶναι τὴν δύναμιν τῆς μελαίνης χολῆς, ἀνωμάλους εἶναι καὶ τοὺς μελαγχολικούς. *Prout ergo humor melancholicus, vel ſanguinis boni, vel flauæ bilis, vel phlegmatis admiſtione plus diluitur, vel ad ſuam naturam accedit propius, vel inchoatæ aduſtionis*

Varietatis cauſa.

adustionis initiis à sua natura plus degenerat, & in cerebri corpus profundius penetrat, atq; huius substantiam & têperiem efficacius corrumpit, ita variant τὰ κινήματα τῶν φαντασμάτων, *& qui his respondent, affectus animi, mores & gestus externi.* Vnde fit, vt rideant alii perpetuò, & sint hilares, atque exultent & lætentur, & phantasmata habeant varia de rebus lætis: alii iurgentur, rixentur, conuicientur: alii ignauissimi prorsus & stolidi, fatuis similes: alii in profundas defixi cogitationes ceu stupeant, adeò, vt ne verberibus quidem eis extorqueri responsa possint, & alii alia imaginantur. Tertiò de consuetudine res manifesta est, quam Hippocr. ἐπίκτητον φύσιν nominat. Nam vt à natura insita, sic contracta & acquisita consuetudine, melancholici non exeunt. Qualia ergo fuerunt cuiusque studia, quæ in rem quamcunque animi intentiones, & occupationes, quæ vitæ conditio, de iis melancholia in mentem irrepens commouet aberrantia φαντάσματα.

Est autem melancholia quædam PERIODICA, concedens interualla ægris, quibus sine euidenti turbatione aut alienatione rebus & operis necessariis vacare possunt. Quædam CONTINVA est, & sine cessatione aut intermissione mentem continuè & sine intermissione infestat ac turbat. Periodica autem statis & regularibus circuitibus recurrit & recrudescit, aliàs ex longioribus interuallis, vt annuis & menstruis; aliàs breuioribus, vt diurnis; aut incertis prorsus & vagis motibus redit & exasperatur. Quæ periodos facit, ferè κατὰ συμπάθειαν aut ab hypochondriis principium habet, atque originem; aut à

Melancholia periodica.

vitio totius corporis existit. Ex hypochondriis rarius humor effertur, crebrius effumat atra velut fuligo, feruente ibidem humore melancholico,& ex inflammatione incrassescente & nigrescente. Quemadmodum enim ex elato & ventriculo ad oculos fuliginoso quodam aut fumoso halitu, accidentia quædam suffusioni similia accidunt: sic eadem ratione sublata à melancholico humore expiratione seu fuliginosa aut fumosa,turbationes melancholicæ mentem tentant & occupant. Hæc expiratio, & densa cerebrum caligine implicat, & spirituum vitalium splendorem obfuscat, sed μόνιμον διάθεσιν cerebro, nisi longa mora temporis, non incutit. Ex melancholico habitu totius corporis non tantum fuligo aut fumus ater in cerebrum effunditur, sed & humor melancholicus.

Requiri autem ad periodicorum morborum generationem notum est ῥεῦσιν, id est, affluxum materiæ aliunde ad partem morbo obnoxiam,vel συνάθροισιν,id est,coaceruationem materiæ in ipsa parte affecta genitæ, & præter hæc tempus sufficiens, quo non tantum sufficiens materia colligatur, sed etiam vel materia ipsa talis efficiatur alterationibus aut corruptionibus præcedentibus, vt talem ciêre morbum possit, vel materia insita mẽbro eidem imprimat διάθεσιν morbosam, vitiata temperie membri aut corrupta substantia. Et his distinguitur sedes affecta in melancholicis & epilepticis, de quibus Hipp. *6. Epid.part.*8. dicit: *Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur. Et contrà comitiali morbo laborantes efficiuntur melancholici. Magna ex parte*, inquit, *horum affectuum alter in alte-*

in alterũ demigrat, quia comitialem non tm̃ ſuccus melãcholicus, ſed & pituita cõmouet. Is itaq;, qui eſt à melãcholico humore, permutatur in melancholiã vt plurimum; Alter, qui à phlegmate eſt, in apoplexiã aut paralyſin, aut ſimilẽ affectum alium in lethargum ſcil. Differt autẽ ſedes affecta in his cognatis morbis, ꝙ in melãcholia cerebrum magis, vt pars ſimilaris, ſc. humoris vitio altius penetrante in profundum, & temperiem ac ſubſtantiã cerebri immutante; In comitiali *magis* vt pars organica afficitur, obſtructis ab humore melancholico viis & meatib. cerebri *laxioribus*. Dico a. *magis, quia vterq; morbus ſtatim inter initia cum alterutro aliqd cõmunicat.* Neq; vitiata temperies in melancholia eſt ſine aliqua anfractuum & pororũ obſtructiõe, & ſi laxiores ventriculi minus ſint impediti: neq; in comitiali vero meatuum obſtructio eſt ſine vitio & corruptione ſubſtantiæ atq; temperamenti cerebri. Vt plurimum a. periodicæ melancholiæ ipſo cerebro κατὰ συμπάθειαν affecto exiſtunt, ſiue nocumenti principium ſit extra cranium circa hypochondria, vel in toto corpore, ſiue intra cranium, ea parte, quæ eſt intra duram membranam cerebri, & ipſum cranium.

Differentia melancholiæ, epilepſiæ &c. ſecundũ locos affectos.

Melancholia periodica vnde.

Melancholia cõtinua fit cerebro primariè & per ſe affecto ab humore melancholico vel foris infuſo, vel in cerebro genito, & nigrities quidẽ humoris nõ è à ſola aduſtione, ſed à perfrigeratiõe magna, ſicut refrigerata oĩa in humano corpore liueſcere primò, mox & denigrari videmus. Calor denigrat *reſoluendo & conſumendo humiditates aëreas, tenues & aqueas, craſſiores cum partibus terreis permixtas adurendo. Frigiditas denigrat colorem natiuum, aëreum, lucidum elidendo & extinguendo, cogendoq; ac denſando humores*

Continua.

Nigrities humoris vnde.

Calor quomodo denigret.

Quomodo frigus.

Melancholia propriè dicta quid. *cum partibus terreis obscuris* confusos. Ex his manifestum est, qualis sit morbus melancholia propriè sic dicta, nimirum *cerebri intemperies frigida & sicca, ab humore melancholico & frigido & sicco excitata*, qui cùm alias plus, alias minus sit frigidus, prout naturæ suæ propior est, & ad alterius humoris plus naturam declinat admixtione sc. alterius dilutus, aut inchoata assatione plusculum ceu vstulatus, semper tñ siccus est. Ergo *melancholia est intemperies cerebri & spirituum animalium frigida & sicca, coniuncta cum causa continente, id est, humore melancholico frigido & sicco, efficiens symptomata prædicta, propter humoris ipsius naturam talem & impressam ab humore spiritibus animalibus & cerebro ipsi affectionem frigidam & siccam, vergentem ad obscuritatem & caliginem tanto maiorem, quanto humor naturam suam exactius retinuerit.*

DE CVRATIONE MELANCHOLIÆ.

Consistit ergo curatio omnis in præparatione humoris melancholici, eius euacuatione, alteratione & reductione cerebri ad cõstitutionem & temperiem naturalem. Præparatio consistit in humoris attenuatione per calefacientia, & emollitione ac fusione per humectantia; sed *maior sit semper ratio & cura humectationis, quam calefactionis in tota huius morbi curatione*, eò quod diluta emollita & fusa à calore citius & facilius subigantur, extenuentur, quã arida, sicca & crassa & calida minus atq; aërea, cuiuscunq; sint generis, qualia sunt quę vrinam cient, & calculos pellunt, nõ tam attenuant crassitiem humoris, quàm resoluendo id, ꝙ in humore

humore per se crasso tenue est, reliquum densant ac ceu indurant. Dirigatur ergo intentio præcipua ad humectationē. Euacuatio, *vt in dolore capitis* diximus, fiat cùm per ea, q̄ foris adhibita & intrò assumta, materiā reuellunt à capite ad remotiora, sicut sunt lenes frictiones extremorū, enemata & similia, tùm iis, quæ ex ipso capite educunt, vel per apertos manifestosq; vel per occultos sensumque fugientes meatus. Alteratio itidem fiat tēperatè calidis & humectantibus. Caliditas autē medicamentorum semper attemperetur naturæ humoris melancholici, scil. prout is aut purus est, aut cum alio mixtus. Humectationem præstant cùm ea, quæ verè rigant corpus, sicut cibi, potus, somnus; tùm alia, quę corpus ceu irrorant & resolutionem atq; arefactionem maiorem prohibent, sicut balnea ex aqua dulci, inunctiones ex oleis humectātibus, &c. Tota ergo victus & vitæ ratio constet cibo & potu εὐχύμῳ; & coctu facili, ac corpus suauiter rigante, & humectatione cum blandi teporis fomento. Eligantur ex oleribus, fructibus, carnibus & piscibus, maximè recentia, sua natura tenera & mollia, subpinguia, sicut sunt oua recentia & sorbilia, carnes pullorum, perdicum, turdorū, agnorum, hœdorum, capreolorum. Ex olerū genere & fructuum, blitum spinachia, malua, atriplex, cerasa, amygdalæ & maximè recentes, poma dulcia, pyra dulcia non astringentia, pruna damascena, vuæ passæ illæ, quæ Appianæ vocantur *Cibeben*, exemptis acinis; pisces saxatiles. Vinum sit album substantia subtile & tenerum, qualitatibus & temperie ὀλιγοφόρον, qualia sunt vina rhenana. Crassa omnia, siue alba sint, siue rubra vitentur, *Victus ratio.*

vitentur & vetulæ carnes omnes, & illæ, quarum longum catalogum recenſet Gal. *in 3. de locis affect.* Flatulenta omnia, acria omnia, ſalſa, fumo aut Sole durata, denique quæ craſſum ſanguinem gignunt. Aluus ſemper ſit aperta, & ne ventriculo onus vitioſorum humorum moleſtum ſit & graue, accuratè præſtetur. Cumq; cerebro & corpori vniuerſo in hac affectione nihil ſit conuenientius, quàm ſuauis humectatio, præter diætam humectantem, ea admiſceantur, quæ intus foriſq; corpus irrigant, ex quo genere plurimum valet ſomnus, quo poſt diætam nulla res ſuauius & humiditate meliore corpus imbuit. Foris balnea tepida ex aqua dulci ſola, vel ex aqua, in qua ferbuerint malua, althea, melilotum, chamomelum, viola, bugloſſum, anethum, etiam radices liquiritiæ & liliorum. Procurentur etiam ea, quæ exhilarant cor & arcent ac depellunt triſtitiam. Quæ verò hanc vel augent vel inferunt, ſubmoueantur, ſiue terriculamenta ſint, ſiue alia quæcunq; ſuſpiciones aut cogitationes alienas mouent, quod fiet ſermonibus ſuauibus. Conclaue habeat aërem purum, temperatum, ſerenum. Si ergo à totius corporis vitio prouenerit melancholia, ſiue purus humor extiterit, ſiue alio fuerit dilutus, & tumor ac diſtenſio venarum indicarit redundãtiam talis humoris in venis, præmiſſa ventris lenitione medicamento ſupra infraque iniecto, inchoëtur curatio à venæ apertione, qua exhauriatur pars aliqua materiæ, quæ per venas ex reliquo corpore ad cerebrum commeare, & in huius ſeſe inſinuare corpus conſueuit. Copia educendi ſanguinis æſtimetur ex natura & conditione potiſſimum ſan-

Somnus melancholicis admodum conueniens.

Curatio melancholiæ à toto corpore.

Venæ ſectio.

ſanguinis profluentis. Si enim ſanguis clarus, limpidus & ſubtilis exilierit, continuò vena obſtruatur, eò quod melioris ſanguinis riuus erumpens deteriorem relinquit intra canalem. Sin ater fœculentus & craſſus exierit, emittatur plus minuſve, pro ætatis, virtutis & corporis ratione, quinque vel ſex vnciarum pondere.

Venter autẽ leniatur vel cum decoctione florum & fructuũ cordialium ac pectoralium: Item thymi, epithymi & polypodii quercini, in qua ſint diſſoluti flores caſſiæ recenter tractæ, vel cum tali clyſtere:

℞ *Foliorum Maluæ,* *Enema.*
Mercurialis,
Violariæ,
Thymi,
Epithymi,
Flor. Stœchados Arabicæ, ana M j.
Furfurum craſſorum ligatorum in petia M j ß.
Folliculor. Senæ ℥ ß. bulliant in ſ. q. aq. ad conſumptionẽ medietatis, decocti colati ℞ ℥ x, caß. extractæ pro clyſtere ℥ j. vel caß. extract. cum decocto ſenæ ℥. j. Diacatholicon ℥ ß. olei violati ℥ iij. De ſaccharo, ſale, vitellis ouorum pro arbitrio, & q. ſ. fiat enema.

His peractis tentetur præparatio humoris, cui ſeruient ea, quæ in promtu & parato ſunt, *Syrup. de pomis, de corticibus citri, de borag. de ſucco fuma. de lupulis,* à lenioribus procedendo ad fortiores, cum *aquis borag. bugloſſ. fuma. meliſſ. lupulor.* His ſemper miſceatur aliquid de *ſyrup. viol.* conciliandi ſomni cauſa: Vel fiat decoctum tale:

℞ *Herbar. Maioranæ, Bugloſſæ,* *Syrupus.*
Baſilici, Boraginis,

Melissæ,
Cuscutæ.
Chamædrios,
Chamæpytios,
Calamenthi,
Roris marini,
Scolopendriæ,
Capillorum Veneris,
Violarum ana M j.
Croci ʒ ß.

Decoquantur in succis boraginis, buglossæ, & pomorum dulcium purificatis ana q. s. vel si succi non suppeditent, *in aq. borag. & bugloß. & succo pomor. fiatq; syrutum sacch.* de quo dies continuos septẽ æger bibat.

Si ad calorẽ humor melancholicus plusculum declinet, misceatur *endiuia, scariola, lactuca, sandali rubei, poma dulcia:* & potest fieri decoctio radicum buglossi.

Si ad phlegmatis naturam tendat, misceantur *radices diuretitæ:* Item, *cortex radicum capparum, cortex interior fraxini & tamarisci, flores genistæ.*

Si sanguine diluatur humor melancholicus, addantur *thymum, epithymum, pruna demascena, vuæ passæ, cortices citri, folia senæ,* & ea, quorum facta est mentio in calida intemperie.

Præparetur autem materia ante pharmaca euacuantia, ad minimum diebus septem, & secundo tertiovè die, post vsum p̄parantium aperiatur vena interior brachii: qua ex capite reuellatur materia, præsertim si symptomata nõ remiserint, & adfuerint signa redundantiæ, & altero semper, vel ad summum tertio die iniiciatur clyster, vel ante descriptus, vel cui addantur, *buglossum, borago, stœchas, thymum,*

thymum, epithymum, fumaria, lupulus, oleum amygdalarum dulcium, confectio Hamech, diasenæ.

Post præparationem tentetur euacuatio cum *elect. lenitiuo, diasenæ, confectione hamech, modico hieræ simp. dissolutis:* his scilicet *in decoctione communi florum & fructuum cordialium & pectorali, in qua ferbuerunt folliculorum senæ Alexandr. thymi, epithymi, polypodii quercini an* ℥ ij. Et semper à lenioribus initium faciendum est. Si expediuerit accedere ad fortiora, sumantur *pilulæ de lapide lazuli, de lapide armeno, de fumaria,* aut *decoctū thymi epithymi, senæ, polypodii, ellebori nigri:* vel;

℞ *Epithymi* ℥ ij,
Agarici electi ℥ j,
Cortic. elleb. nigri,
Specierum hieræ simp. an. ℈ ij,

Fiat cum melle ros. Magdaleon, de cuius ℨ j *formentur pilulæ pro vna dosi.*

Si ad phlegmatis naturam vergat humor melancholicus, misceantur his, quæ phlegma ducūt, vt *elect. Indum, hieralogodion, benedicta laxatiua.*

Si ad vstionem humor melancholicus declinet ex calore, addantur, quæ adustos humores ducūt, vt sunt *sammoneata syrupus rosarum solutiuus, elect. de succo rosarum, diaprunis laxatiuum.* His peractis dirigatur curatio ad alterantia & roborantia, vtatur ergo singulis diebus æger post purgationem elect. quod *Electuariū.*

℞ *Conseruæ boraginis,*
Buglossi,
Anthos, id est, de floribus roris marini,
Violarum,
Fumariæ, *Tabella.*
Specierū confectionū dianthos (propter caput)

 Diamar-

Diamargarithone(propter cor.)
Diambræ,
Diamoschi *an.q.s.*

Fiat mixtura cum syrupis prædictis, aut ex specieb. *cũ saccharo dissoluto confectio in tabellis.*

Commendatur & vsus Theriacæ & Mithridatii & Trypheræ magnæ & cõfectionis anacardinæ.

Antè cœnam abluantur pedes mane rigetur caput embrochis, & totũ pfundat balneis corp⁹, vel ex sola aq; dulci, vel ex aqua, in qua ferbuerint *malua, althea, violaria, rosa, chamomelũ, melilotũ, anethũ, stoechas arabica.* Et ad lotionem pedum *folia populi, salicum, vitium & similia* prouocandi somni causa.

Si vero materia esset valde frigida, qualis est melancholia cruda, aut phlegmatica, addantur *maiorana, melissa, matricaria, betonica, stoechas arabica* & similia.

Caput etiam inungatur *oleo violacea* (sed primũ raso capite) *amygd.dul.* Chamom.anethino. Sed à valde frigidis, quantum fieri potest, abstinear.

Hæmorrhoides. Perseuerante morbo iterentur præparationes & euacuationes ex interuallo & per vices. Cumque Hipp. dicat *6. part. Aph. 11. Nephriticis & Melancholicis hæmorrhoides innata bonum*; Detur opera, vt his prouocentur hæmorrhoides, si omnino id fieri poterit vel incisis venis scalpello vel sanguisugis ad anum appositis. Etiam ad extremum apparente redundantia sanguinis in capite, & si delirium sit ex melancholico humore sanguine diluto, *Sectio venæ frontis.* cuius rei argumentum est risus perpetuus, poterit aperiri vena frontis, si nihil aliud impediuerit. Tãdem deueniatur etiam ad illa fomenta, quæ in *tractatu de phrenitide* exposita sunt, & inter cætera

valent

valent multum pulli columborum, catulorum ſi ſcilicet viui diſcerpantur & actuali caliditate capiti applicentur. Atque adeo in tota curatione ſingulis ſeptimanis ſemel ad minimum leniatur aluus enemate educaturque pars materiæ pharmaco & intendatur veræ humectationi cerebri & totius corporis, quæ fit cibis boni ſucci & coctu facillimis ac ſomno. Si non apparentibus notis affecti totius corporis vitium reperiatur in ſolo capite, curatio dirigatur ad caput p̃cipue, vſurpatis iis, quæ commemorata ſunt. Sed venæ inciſio niſi adfuerit phlethora corporis aut venarum in capite, omittatur & maior ſit cura rigationis cerebri, quam reliqui corporis.

DE MELANCHOLIA HIPOchondriaca.

Melãcholia φυσώδης ſeu hipochõdriaca aut eſt & ſola melancholici humoris coaceruatione obſtruente, implente & inflante regionem circa hypochondria, citra inſignem inflammationem, quæ quidem omnium & tutiſſima: aut eſt ab inflammatione humoris melancholici frigidi & ſicci, quæ periculoſior eſt: Aut eſt ab inflammatione atræ bilis ſic proprie dictæ, quæ fit aduſtione talis & hæc omnium eſt periculoſiſſima. Tentat aũt melancholia hypochondriaca mentem (ſicut dictum eſt) per conſenſum trãſmiſſa, id eſt, ad cerebrum more atrorum & caliginoſorum humorum. *Eſtque fere coniuncta ſemper cum ventriculi & lienũ affectione ex imbecillitate.*

Si à ſolo & nõ dũ inflãmato hũore melãcholico morbus

morbus extiterit, pręmissa lenitione alui & ventriculi mundificatione, præparetur humor cum iis, quæ incidant, attenuent, emolliant, & exæquent, & quæ vias aperiant, tollantque obstructiones, & sint talia, & flatus incidat, vt sunt *syrupus de fumaria, de lupulis, de succo borag. buglossæ, oxymellis simplicis, compositi, ac scyllitici genera*, quæ exhiberi possunt cum talibus decoctionibus, qualis est, quæ sequitur:

℞ Herb. Melissæ,
Lupulorum,
Polii,
Rosmarini,
Origani,
Maioranæ.
Scolopendriæ,
Stech. arabicæ,
Basilici an. M j.
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Carui,
Sileris montani,
Leuisti ci an. ʒ ß.
Flo. Melissæ,
Buglossæ,
Boraginis,
Violarum,
Capill. Veneris an. ʒ ß.
Acori,
Glycyrrhyzæ rasæ an. ʒiij,

Fiat decoctio in aquis buglossæ, melissæ, lupulorum & endiuiæ : Post colationem condiatur saccharo & cinnamomo.

Vel fiat

Vel fiat talis potio,

℞ *Capillorum Veneris,*
Linguæ ceruinæ,
Passularum enucleatarum an. M j,
Xyloaloes,(pro roboratione ventriculi)
Mastiches,
Spicæ an. ℥ ij,
Epithymi,
Polypodii quercini,
Foliorum boraginis,
Buglossæ an. ℥ ſ,

Decoquantur in aquis q. ſ. est: Colaturæ addatur ℥ j ſ *ſucci pomorum dulcium, & cum ſaccharo fiat ſyrupus. Po-* ſtea fiãt euacuationes per ea, quæ antea dicta ſunt vt *hiera ſimplice, diaſena, diacatholico, confectione hamech:* aut fiat tale decoctum. *Syrupus.* *Decoctum.*

℞ *Myrobalanorum omnium an.* ℥ iij, *contundantur groſſo modo & fricentur manibus cum oleo amigdal. dulcium, denique macerentur in* ℔ ij *aquæ fumi terræ per vnam noctem: &*

♃ *Epithymi,*
Polypodii,
Folliculorum ſenæ Alexandr. ſine ſtipulis an. ℥ ſ
Seminis citri,
Glycyrrhizæ raſæ an ℥ ij,
Agarici candidi ligati in petia,
Corticum ellebori nigri an ℥ j,

Fiat decoctio & inde potio clara cum ſaccharo, de qua æger bibat duabus vicibus.

Tandem & topica adhibeantur dirigaturque intentio præcipua ad roborationem ventriculi & lienis, vt ventriculus recte cibos coquat, & q̃ minimum crudorum humorum pariat. Lien feces ſanguinis *Topica.*

sanguinis conuenienter attrahat, attractosque subigat & post expellet. Deinde ad discutiendos flatus dirigatur intentio. Quare & in pharmacorum vsu, quæ euacuationis causa vsurpantur, habeatur ratio ventriculi, ne virtute pharmacorum purgantium, virtus alioquin languida prorsus dissoluatur ac deiiciatur. Hyppchondria foueantur fomentis, emplastris, vnguentis, epithematis leniter resoluentibus cum quadam humectatione.

Flatus discutientia.

Electuariū.

Ad interiora ergo conuenient electuaria, quale est, quod fit ex *limatura ferri præparatæ* ℥ſ. *speci bus diarhodon Abbatis, Diacurcumæ, Diacalamenthi an.* ʒ ij *thymi, epithymi an.* ℥ j ſ *cum melle despumato fiat elect.*

Aliud.

Vel: ℞ *succi althea* ℥ ij ſ *succi calament.* ℥ ij. *Folliculorū senæ exiccatorum* ʒ ij *cum melle despumato fiat electuariū.*

Fomenta.

Fomenta fiant ex *radicibus altheæ, maluæ, seminibus fœnugræci, lini, floribus chamomali meliloti; herbis calamēthi, melissæ, cuscutæ, pulegii & seminibus incidentibus flatus, sicut sunt semina anisi, carui, fœniculi, leuistici, ameos, cumini. &c.*

Si calidioribus sit opus, addi poterit *semen viticis* id est, *semen agni casti, folia item, & baccæ lauri, semen rutæ, radix lilii aut arthemisiæ.* Poterit & inunctio fieri hypochondriorum, præsertim sinistrorum circa lienem ex *oleo de ruta, de capparibus, chamom.* Si in his oleis bulluerint *radices altheæ, maluæ, filicis*, efficatior erit inunctio, & adhuc plus proderit, si misceantur *galbanum, bdellium, ammoniacum, oppoponacum in aceto dissolutum.*

Vnguenta.

Si vero inflammetur materia, administrent ea, quæ vsitate in inflammationib. præstari solent, siue frigida fuerint materia, siue calida. Detur autē

opera

opera, quo ad eius fieri poteſt, vt prohibeatur, ne augeſcat & confirmetur inflammatio, neue in ſuppurationem tranſeat, quod fiet venæ aptione, hæmorrhoidum prouocatione, cucurbitarum ad clunes cum ſacrificatu defixu, clyſterib. purgationib. frictionib. Topicis, quibus, quod fluit, repellatur; quod ex defluxu conſiſtit, diſſipetur ac reſoluatur.

DE LYCANTHROPIA.

Λυκανθρωπίαν & λυκάνθρωπον καὶ κυάνθρωπων νόσον appellant ſpeciem melancholię, qua, qui laborāt, Februario menſe noctu domo egreſſi lupos in cūctis imitantur. Quocirca minimè fabuloſum videri debet, quod Plinius *lib, 8. cap. 22.* homines in lupos mutari tradidit; vaganturq; circa ſepulchra mortuorum, donec dies illuceſcat, & ea quandoq; aperiunt.

Eſt autem præcipuè deprauatæ imaginationis & cogitationis ſymptoma. Memoriā n. illi fere illæſam cōſeruant, facie pallent, oculos habent ſiccos & imbecillos & profundos, linguam aridam, ſaliuæ ex partæ, infeſtantur ſiti vehementi & perpetua, pedes habent exulceratos. *Lycanthropia quid.* *Signa.*

Cura eadem eſt, quod melācholiæ propriè dictę: Eſt & genus λυκανθρώπων in locis ſeptentrionalib. qui ſub finem Decembri ita afficiuntur, vt exuere formam hominis, & luporum induere horum, quod ritu venari feras ac lacerare imaginentur, quod Herodotum annotaſſe, cū legerē, comperi ex hominib. fide dignis narrātib. veriſſimū eſſe; ſed diabolicū totum eſt; ſicut non dubium eſt occaſione melancholici humoris vel affectus diabolum mirabilia moliri. Quos vero ἐνθεαστικοὺς vocāt, ii ſine dubio ſunt obſeſſi, ſicut & ecſtatici, qui velut extra *ἐνθεαστικοί.* *Ecſtatici.*

ſeſe

ſeſe rapti proſternuntur & concidunt ex animis ſimiles, diabolo interea cor fouente ſpiratione aëris neceſſaria. Sunt etiam ἐρῶντες in genere melãcholicorum, quos non tam medicamentis curari oportet, quam ratione alia, vtpote, quod curatio non in multa purgatione, ſed in bono conſiſtat victu, ſomno, & animi abductione à cogitationibus de amato; & ſi fieri poteſt, aut coniunctione amantium aut ſeiunctione qua & corpora procul ſecludantur & alienati ſegregentur animi.

ἐρῶντες.

λυσσόδηκτοι ὑδροφόβοι.

Ad melancholicos affectus etiam refert Rufus Medicus λυσσοδήκτυς vocatos, ab externa & procatarctica cauſa, ſi à rabioſi canis morſu; & ὑδροφόβυς dictos à ſymptomate, eò quod & ſitiunt vehementer & aquas metuunt fugiuntque, propter ſimilem affectionem veneni rabioſorum canum, cum humore melancholico, ſed non ſtatim cum morſu ὑδροφοβία inuadit, neq; ex morſu in principio aliud quicquã percipitur, niſi dolor.

Ὑδροφοβία autẽ aliquantò poſt ſequitur magna ex parte circa diẽ quadrageſimum à morſu. Nõnullos etiam vix poſt annum vnum aut alterum hoc ſymptoma occupat. Inuenti ſcribuntur, qui ſeptimo id primum anno à morſu experti ſint.

Eſt autem ὑδροφοβία cum neruorum coniuncta diſtenſione vel conuulſione, totiuſque corporis rubore, præſertim faciei, aut ſudore & languore, ſitique & faſtidio, atque ignorantia domeſticorũ, Aliqui auri ſplendorẽ horrent & auerſãtur: Aliqui fugiunt aquam vel conſpectam, vel nõ viſam; Nonnulli ad omnem humorem cohorreſcunt, cum tamen ſiti crucientur indeſinenter; ſuntque

qui

qui canum more latratus edunt,&obuiam quemque dentibus mordicus impetunt, morsuque alios similiter inficiunt. Ab hydrophobiæ vitio neminem se liberatum meminisse, vel ex historiis etiam didicisse præter vnum & alterum Paulus refert, & eos quidem non à cane, sed ab homine demorsos. Celsus curationem tradit.*lib.* 5. quæ talis est:*vt hydrophobi ex inopinato in piscinam præcipitentur & per vicem mersi, retractique cogantur aquam haurire ad satietatem.* Ita enim & sitim simul,& aquæ metum tollunt. Quod si à frigiditate aquæ periculum distensionis neruorum adaugeatur ægrum protinus oleo calido inungendum ac fouendum esse. Cuius curationis cum nullas admodum videam rationes,nihil de ea affirmo. Sed ante ὑδροφοβίαν multi à canibus demorsi seruati sunt. Ratio curationis, vt omnium ictuum venenatorum aut morsuum consistit, ratione teste & Gal. 13. *magnæ methodi* potissimum in his capitibus duobus:Veneni euacuatione ex parte læsa, & alteratione eius, quod dolorem facit. Euacuatio fit veneno cum extracto exhaustoque per ea, quæ vulneri applicantur, tum depulso internis à partibus & principalibus, detentoue, ne progrediatur & serpat. Repellitur à corde & cerebro antidotis, alexiteriis,vel alexipharmacis, vt theriaca,mithridatio, confectione liberantis & aliis istiusmodi assumptis intra corpus. Detinetur vicinarum partium circa vulnus mediocri ligatura & adstrictione, quæ tamen torporem non adferat.

Hydrophobiæ curatio, Secundum Celsum.

Inhibet enim & sistit veneni ad interiora pro-

greſſum ac penetrationem. Retractio fit exuctione veneni medicamentis calidis, valide attrahentibus, cucurbitis cum, & ſunt ſcarificatu, cauteriis. Si morſus aut ictus ſit leuior, ſufficit ſuctio, quæ fit aut ore hominis, aut podice animantium. Sugens ieiunus non ſit, ſed comederit aliquid & vino os colluerit & ſucturus aliquid olei in ore teneat, quo venenum excipiat ac reſpuat.

Si non ſit, qui ore velit ſugere, admoueantur vulneri podices gallinarum aut aliarum auium. Ante ſuctionem autem vulnus abluatur ſpongia, vel impoſcam calidam, vel in decoctum chamomæli oxylapathi vniuerſa. Poſt ſuctionem videm vulneri applicetur cataplaſma ex cineribus aut ſarmentaceis aut ficulneis aceto ſubactis. Proderit & inflammationem excitare, cuius calore materia reſorpta defluat. Proderit & ſupra vulnus deligare ſal aut vnguentum illinere, *quod ♃ ceræ, picis nigræ vnguedinis caſtrati an. quartam*; *Galbani* ℥ j *miſce fiat vnguentum.*

Vnguētum.

In morſibus aut ictibus vehementioribus commode imponuntur cæpæ aſſatæ cum ſale & ruta, vel theriaca; ſinapi quoque & ſtercore, item nuces iuglandes cum allio, ſale & melle: Et emplaſtra & cataplaſmata ex diptamno & aliis valde trahentibus. Ac præſtetur hoc diligenter, vt ora vulneris laxa lient, nec cito coeāt & coaleſcant. Poterit & vſurpari emplaſtrum Guidonis, quod

Emplaſtrum Guidonis

℞ *Galbani, ſagapeni opopanacis, aſæ fœtidæ, mirrhæ, piperis,*

piperis, sulphuris an. ℥ ſ. ſtercoris columbini, anatum an. ℥ ij calamenthi, mentaſtri, an. ℥ j, gumm. diſſoluantur in vino & cum melle atque oleo antiquo fiat emplaſtrum. Valde trahit & cucurbita cum largiore flamma, ſed profundiore ſcarificatu partes circumſitæ ex vlcerentur & aperiantur, vt multum exhauriatur infecti ſanguinis, & fiat facilior per cucurbitas attractio ſpirituum infectorum. Poſt cucurbitas imponatur vulneri animalia viua diſcerpta, quorum interiora adhuc ferueant calore natiuo, vt galli gallinacei, hædi, agri, porcelli, columbæ, & præſtant in hoc genere pulli gallinarum, cum ad veneni eſt ſuctionem, tum ad doloris lenitionem & alterationem impreſſi veneni. Si locus neruoſus non ſit, labra vulneris veneno præhenſa abſcindi poſſunt, vt laxius hient & ratione doloris fiat maior affluxio. Vſtio etiam plurimum confert vel actualis, vel potentialis, præſertim ſi locus neruorum expers tuto vri poſſit & poſt ἐσχάρας & cruſtas remotas locus purgandus eſt & prohibendum, ne citò ſolidetur cum ſale, (:abſumit humores, vel diſcutit afflučtes humores & deſiccat:) ſylueſtri allio q̃ & capitis, donec venenũ exacte expurgatũ fuerit; quo perfecto vulnus ad cicatricem perducatur.

Si ictus aut morſus ſit valde venenatus & membrum læſum tale, vt citra vitæ periculum amputari poſſit, præciſio membri expeditiſſimum præſtabit remedium.

DE MANIA.

Mania quomodo differat à melancholia.

MAnia à melancholia differt non loco affecto; In vtraque enim cerebri ſubſtantia & temperie vitiata, corrumpitur τὸ φανταστικὸν καὶ τὸ λογιστικὸν animi rationalis; ſed *cauſa efficiente & ſymptomatis.* Ideo recte Alexandr. μανίαν inquit eſſe ἐπίτασιν τῆς μελαγχολίας ἐπὶ σφοδρότερον. Efficit prima μανίαν melancholia ſic proprie dicta, id eſt, vel aduſtione corruptus ſanguis & in atram bilem commutatus, quæ mitior eſt & proprie ſanguis aduſtus dicitur non atra bilis; vel ipſa exquiſitè atra bilis in cerebri demerſa atque imbibita corpus, citra putrefactionem aut inflammationem, ſola redundans copia, ſiue ex melancholico ſucco, ſiue ex flaua bile aduſtione atra bilis ſit genita, idcirco ſine febre eſt. Sed melancholiam, vt dictum eſt, gignit humor melancholicus vel purus, vel aliis humoribus dilutus. Trium autem differentiarum atræ bilis mitiſſima eſt, quæ ex aduſto eſt ſanguine. Peſſima & pernicioſiſſima, quæ ex præaſſata flaua bile: Media inter has, quæ ex præaſſato melancholico ſucco. Efferaciores autem omnes maniaci ſunt melancholicis, ac furioſiores & magis indomiti, minaces, turbulenti, violenti, ſæui, ſed gradibus differunt. Prorſus efferatarum beſtiarum risu furunt & inſaniunt, adeo, vt iurgentur, clament, feriant, ſæuiant, vel irruant in obuios, arreptos aut pulſent aut interficiant, & præcipuè in domeſticos, nec abſtineant

Mania gradus.

Maniaci ex præaſſata bile.

ant etiam à laceratione & gustu corporis sui, quibus ex præassata bile maniæ origo est, eo quod humor subtilitate altius penetrat, & profundius insidet, calore ferè efficacius cerebrum immutet; acredine mordicando, pungendo & vellicando assidue infestet & irritet cerebri sensum. Hæc sunt remissiora aliquanto, quam atra bilis est ex adustione melancholici succi & coniuncta sunt cum maiore metu & mœstitia, cum in illis sit audacia & temeritas maxima. Adhuc mitiora hæc sunt in Mania sanguinea & cum hilaritate coniuncta aliquantulum. *Atra bilis ex adustione melancholici succi.* Discerni autem tum ex accidentibus hisce, tum ex notis aliis, quæ propriæ sunt redundantis humoris, *Signa.* facile possunt, præsertim si addatur consideratio & inquisitio diligens¡ præteritorum omnium, intemperamenti corporis, ætatis, habitus, præcedentis rationis vitæ studiorum atque actionum, priorum affectuum & victus, constitutionis aëris, temporis anni, regionis & similium.

Est itaq; mania *dyscrasia cerebri calida & sicca cum materia, scilicet atra bile infesta & insinuata in cerebri corpus, viciante substantiam & temperiem cerebri & propterea corrumpente proximas ac præcipuas animi rationalis functiones, quas φανταστικὸν & διανοητικὸν seu λογιστικὸν vocant.* *Mania quid.* Ad hanc, qui propensi sunt, ii capitis dolore & debilitate cerebri, infestantur & leui occasione irritantur atque incandescunt *Signa in futura mania.* turbantur aurium tinnitu, insomniis, phantasmatis rixantium iurgantium aut præliantium terrentur & vexantur. Crebris tamen laborant in somniis, tentantur curis per vices recrude-

ſcentibus & alienis ac peregrinis. Interdum & grauitatem capitis experiuntur, & huius vibratione, progreſſu temporis hæc augeſcunt omnia, & accedit appetitus putridorum, propenſio ad venerem, oculorum cauitas, & ad extremum rigor, vt velut obrigeſcere & immoti conſiſtere videantur.

Curatio conſiſtit, vt Melancholiæ, in præparati humoris, à quo mali origo eſt euacuatione, & poſt euacuationē cerebri, & totius corporis, humectatione cum temperata infrigidatione & cōfortatione. Si ergo ab aduſto ſanguine fuerit mania, præmiſſa lenitione ventris, recte ſecabitur vena; ſi à præaſſata bile fuerit, aut humore melācholico aduſto, non recte; niſi ſimul adeſt redundātia in venis totius corporis, q̄ aliquo modo diminutionem exigat; vt de humectantibus *ſupra* dictum eſt. Ad præparationē humoris ſanguinei aut bilioſi, conuenient *ſyrupi roſarum, violarum, de endiuia, de ſucco borag. & bugloſſæ, de ſucco fumariæ*, Item *decoctum*; quod fit *ex floribus violarum, boraginis, bugloſſi, lactucæ, fumariæ, lupulis, hordeo, tamarindis, paſſulis myrobalanis Indis & citrinis*. Euacuatio fiat cum *floribus caßiæ, diaſena, diacatholicone, elect. de ſucco roſ. diaprunis*. CAPITI cōuenient epithemate, inuectiones, embrochæ, ſacculi, odoramenta ex iis, quę *in capite de phrenitide* dicta ſunt, *vt oleum roſ. cum aceto, ſucci ſolarii, ſemper viui, polygoni, &c.* Si ex melancholico ſucco aduſto fuerit mali cauſa, conuenient *ſyr. violarū, de ſucco fumariæ & ſucco bugloſſæ, de pomis, de epithymo*. Proderit & hæmorrhoides prouocare ſanguiſugis, aut ſiniſtri bracchii baſilicam aperire vt ſplen aliquantulum

tulum exoneretur à ſucco melãcholico. Euacuatio fiat cum *decocto florum cordialium*, Item *myrobalanorum, Indorum, chebulorum, thymi, epithymi, folliculorum ſenæ, polypodii quercini, fumariæ in lacte caprino. In quo decocto diſſoluantur confectio hamech. diaſenæ. electi. hieræ ſimplicis, puluis epithymi, cuiuſq; q. ſ. eſt.* Cerebrum foris irrigetur iis, quæ humectent & parum refrigerent, ſimul etiam aliquantulum reſoluant, qualia in capite de melancholia dicta ſunt. Roboretur etiam vſu ſpecierum aromaticarum & *cõſeruis borag. bugloßi, violarum*, quib. miſceãtur *ſpecies diamoſchi, piri, ſarcotici, diamargariton, elect. de gemmis, & diluatur cum ſyr. de pomis*; vel fiãt ex his rotulæ aut pulueres. Cumque in melancholicis affectib. frequẽter cum cerebri affectione coniungantur cordis palpitatio & imbecillitas, detur opera, vt hoc quoque roboretur ſimul cum ſpeciebus aromaticis cordi conuenientib. ſicut ſunt *ſpecies electuarii de gẽmis, diamargariton diarrhodon Abbatis, manus Chriſti cum perlis*; & cum epithematis foris pectori applicatis. Deniq; fiant ea omnia, quæ expoſita ſunt *ſupra* ad cerebrum prius bene purgatum roborandum, & ſomnum conciliandum & corpus bono ſucco rigandum ac reficiendum, in quo vna præcipua curationis pars conſiſtit.

* * *

De reliqvis speciebvs *desipientiæ seu παραφροσύνης, scilicet fatuitate, obliuione & lethargo.*

HActenus de iis tractauimus speciebus παραφροσύνης, quib, magna ex parte læditur λογισμὸς seu διάνοια cerebro affecto intemperie sicca, simulque vel calida vel humida à materia sicca coniuncta cum caliditate vel frigiditate, cum vel sine febre. Nunc de reliquis dicemus; quæ fiunt cerebro affecto intemperie humida; simulque vel calida vel frigida, cum vel sine febrè. Etsi autem trium actionum cerebri, quæ sunt, vt diximus, ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν, interdum vnà læditur, non pertinenté læsione ad cæteras, tamen si inualescat & confirmetur malum, ita ferè sese extendit, vt reliquas etiam inficiat & corripiat, quod quidem in hoc altero genere specierum τῆς παραφροσύνης, quæ ab humida intemperie oriuntur, crebrius fit, quam in priore, & sæpe alia etiam symptomata hanc intemperiem comitantur, quæ fiunt cerebro affecto tanquam organico membro, sicut sunt epilepsia, caros côma, catalepsis, & vt in priore genere ferè inseparabile symptoma est insomnia, sic in hoc altero genere itidem inseparabile symptoma est sopor propter humiditatem.

Sunt autem differentiæ plures: ἄνοια, id est, amentia, μώρωσις καὶ λῆρος, id est, fatuitas & stoliditas; ἐπιλησμονὴ καὶ λήθη ἀπόλεια τῆς μνήμης, id est, abolitio memoriæ; & ληθαργός.

Ἄνοια omnib. fere functionib. principalib. læsis, & q̃dē à primo ortu existit, estq; fere incurabilis.

μώρωσ

μώρωσις & λῆρος propter deprauationem, sicut ἄνοια propter abolitionem rationis existit. Μώρωσις ita afficit cerebrum, vt ea laborantes, etsi errãt, tamen dicant & faciant ἀκόλουθα, id est, cohærentia & consona, sicut ordo rerum exigit. Et potest accidere pueris, adolescentibus, & aliis etiam ætatibus per sese, & propter præcedentes morbos; causas etiam internas vel externas. Λῆρος ita afficit cerebrum, vt sic affecti ἀνακόλουθα, id est, dissona confusa ac discrepantia efficiant, id est, confuse perturbateq; dicant & faciant omnia. Ἐπιλησμόνη & λήθη hebetat & diminuit. Ἀπώλεια μνήμης delet memoriam, & consequitur quandoque ad alios morbos, sicut in illa insigni pestilentia Attica ex magnitudine inflammationis multi amiserunt memoriã, vt postea nec sese nec suos agnouerunt. Quandoque à causa primitiua oritur, sæpe etiam cum fatuitate coniungitur, malo rationem etiam inficiente. Cumque, vt dixi, sæpe coniungantur hæ affectiones, fit denominatio à symptomate vincente. Μώρωσις nominatur, si plus ratio, quàm memoria laborat. Λήθη vel ἀπώλεια μνήμης, si memoria plus, quàm ratio. Sunt autem hæ affectiones omnes sine febre; si febris coniungatur, lethargus est. Est enim lethargus *inflammatio cerebri, vel membrãnarum ex materia phlegmatica frigida & humida, qua & ratio & memoria læditur. Obliuio* ergo *& fatuitas fiunt propter intemperiem cerebri frigidam & humidam, ex materia humida & frigida, qualis est phlegmatica, insita & imbibita cerebri substantiæ, sed nec inflammata nec putrefacta, quia cum inflammatur lethargus, fit, & in obliuione occiput; in fatuitate synciput magis afficitur:* Sed materia faciens hanc intem-

Μώρωσις. *Λῆρος.* *Ἐπιλησμόνη.* *Λήθη.* *Ἀπώλεια μνήμης.* *Lethargus quid.* *Quomodo differat ab obliuione & fatuitate.* *Quomodo obliuio à fatuitate.*

Curatio. intemperiem, aut gignitur in cerebro, aut cerebro communicatur à toto corpore, vel ventriculo.

Victus ratio. Siue itaque per se à cerebro coaceruetur, siue eò aliunde deriuetur, danda opera est diligenter in omnibus his morbis, vt cibus sit boni succi, tẽdens ad caliditatem, & quàm minimum excrementitii huiusmodi gignat; vẽtriculus verò hunc & rectè amplectatur, & integrè concoquat, ne hiante osculo ventriculi laxius totoque eius corpore languente, cerebum crudorum halituum copia obruatur, & ne reliquum corpus sanguine phlegmatico & crudo impleatur, vnde talis sanguis postea & tales halitus in cerebrum efferuntur.

Si itaque morbus concedat inducias primò omnium restituatur & roboretur ventriculus ab excrementis omnib. diligenter expurgatus. Quod vbi effectum fuerit, postea efficacius agent medicamenta, quæ ad cerebrum dirigentur, excitata virtute ventriculi, & minus nouæ materiæ suppeditabitur. Cùm autem contraria semper contrariis curentur, consistit harum specierum ἀπυρέτων, quæ sine febre sunt, curatio tota, in euacuatione præparati humoris, per euacuationes catholicas & topicas, & post hæc, alteratione intemperiei cerebri ad constitutionem contrariam, per calefacientia, & confortatione eiusdem: *Sed calefacientia nunquam, nisi modicè calida.* Nam æquè lædunt cerebrum immodicè calidã & frigida. *Ante euacuationem semper prouocetur venter clystere acriore*, quo simul fiat reuulsio à cerebro. Et per os administrentur, quæ ita ventriculum expurgent, vt simul aliquid educant ex cerebro. Fortius enim iuuabit & acuet

acuet vim pharmaci ventriculus exoneratus iis humoribus, quibus grauatur & impeditur.

Clyster talis fiat:

℞ *Mercurialis, Polypodij,* *Enema.*
Rutæ, Chamomeli, ana M j.
Centaurii minoris,
Colocyntidos, ana M ß.
Foliorum Senæ, ℥iij.
Ficuum siccarum num. x.
Sem. Anisi, Fœniculi,
Cumini, ana ʒ ß.
Carthami excorticati ligati in petia,
Thymi,
Epithymi ana ʒ v.

Cui addantur olei chamom. anethini, rutacei, ana ℥ ß. *agarici, turbith. zinziberis, ana* ʒ j. *hieræ picræ* ℥ ß. *salis parum, fiat clyster.* Sed si non postularit necessitas, poterit vsurpari clyster mitior, vel pro clystere adhibeantur balani. Ventriculus euacuetur aut vomitu, qui prouocetur vel decocto raphani cum oxymelle, vel alio fortiori, aut illis, quæ dicta sunt *supra* in κεφαλαλγίᾳ. Præparatio materiæ attenuantibus, incidentibus & abstergentibus cum aliqua cerebri confortatione; & euacuatio vniuersalis ac particularis fiat per ea, quæ *supra* dicta sunt *in cap. de Cephalæa*, scil. pharmacis, clysteribus, frictionibus, & ligaturis extremorum. Item, apophlegmatismis, errhinis, quæ sint vel arida vel liquida, qualia fiunt ex decocto hordei, maioranæ, hyssopi, betonicę, quibus addatur succus radicum & foliorũ betæ aut brassicę, aut si fortiore sit opus, succus cyclaminum. Possunt etiam addi pulueres castorii, nigellæ, calamenti, origani, stœchados.

Fiant

Fiant & διαμασήματα ex mastiche, vuis passis purgatis ab acinis, zinzibere, pyrethro, nigella, cubebis, staphysagria, granis cardamomi: Item embrochæ, fométa, emplastra, vnguenta, & si his nihil proficiat, applicentur synapismi seu φοινιγμοὶ, i.e. rubificãtia medicamenta, aut dropaces in obliuione occipiti: In μωρώσει syncipiti & fiat diuersio per cauteria, quorum vnum ex cantharidibus *supra* descripsimus, vel alia fortiora; & accommodentur loco propinquo, vt ceruici, aut remotiori, vt brachiis & cruribus. Intrò assumantur alterationis & roborationis causa, semina ameos, vrticæ, aut succus rutæ, pondere ʒj. Ex compositis cõfectio anacardina, aurea Alexand. confectio diambræ, diamoschi dulcis, mithridatium, theriaca cum aqua mulsa, aut vino tenui. Si à melancholico humore frigido & sicco lædatur memoria, pertinet & morsus ipse & curatio ad priorem classem specierum παραφροσύνης.

DE LETHARGO.

LEthargum esse diximus *inflammationem in cerebro ex putredine humoris frigidi & humidi*, quale est phlegma cum febre. Estque vt phrenitis in genere morborum acutorum, sed à causa contraria, sicut Gal. testatur *lib. 4. de causis pulsuum*: & Hippoc. *lib. 2. de morbis*: *Lethargici in septem diebus moriuntur, illos si superant, tunc euadunt*, scil. materia transeunte ad suppurationem. Lædit autem lethargus ferè nõ solum memoriam, sed διάνοιαν simul, etsi mentis perturbatio minor est, quàm in phrenitide, & coniungitur semper cum sopore.

Cura-

Curationis præcipua pars cōsistit in eo, vt prohibeatur, ne fiat inflammatio. Quare si missionem sanguinis vires, ætas & aliæ causæ non impediuerint, statim inter initia incidatur vena media, & interna brachii, aluus cieatur acrioribus clysteribus, quale est, cuius descriptio *paulò ante* exposita est, & adhibeantur ligaturę & frictiones extremorum fortes, postea, vt in præcedentibus, fiat materiæ præparatio & euacuatio. Topicis, quæ capiti applicantur, misceantur initio repellentia moderatè, quale est oxyrrhodinon: In processu verò his vel omissis, vel parcè admodum vsurpatis, vincant resoluentia, quæ *supra* sunt commemorata *in cap. de Cephalalgia à causa frigida*: Quibus semper addatur aliquid castorii. Fiant & particulares euacuationes per nares palatum, cucurbitas, ceruici affixas, per commissuras cranii. Et hæ si nihil profecerint, tententur fortiora, vt synapismi. Æger à somno excitetur sæpè, & irritet natura ad excretiones naturales, per aluum clysteribus, per vrinam inunctione pubis, cum oleo rutaceo aut irino. *Curatio.*

Præter hæc iam exposita morborum & symptomatum genera, sunt & alia quædam his proximis generibus cognata, quorum etiam à frigida & humida causa origo est, sed medium quoddam obtinent inter hos ex intemperie cerebri prouenientes affectus, & illos, qui ex ventriculorum & ductuum cerebri affectione sensuum & motus organis accidunt, cōmunicant enim cum vtrisq;. Cum læsione enim functionum animalium, cuius causa est cerebri intemperies, ferè coniungitur stupor, qui est ἀναισθησία καὶ ἀκινησία quædam pro- *Stupor.*

propter affectos cerebri ventriculos & plicaturas. Sunt autem caros, catoche seu catalepsis, coma vel cataphora. De horum etiam discrimine & causis & curatione pauca monebimus; Nam vt proxima genera aut sopore constant, aut cum sopore coniunguntur, seu vero, seu qui soporis similitudinem quandam habet. In somno naturali animalis facultas quiescit, spiritus instaurans ac reficiens, quos vigiliæ & sensuum & motus voluntarii organa absumserunt, & cerebrum tunc illum suum vehementiorem motum, qui περιστατικὸς est, remittit. Fitque somnus cerebro imbuto rigatoq; suauiter & neruorum radicibus moderatè perfusis humore suaui & temperato ex halitibus nec crudis, nec crassis, nec impuris, nec nimis condensato. At somnus non naturalis fit cerebro largius oppleto, vel ob halituum & humorum copiam, qualis à balneo cerebro minimum calefacto, à cibi vinique immoderatiore ingurgitatione, à suppressa aluo, aut coaceruatis in intestinorum inuolucris excrementis exæstuari & efferri solet ad cerebrum, vel ab humore copiosiore, at nondum corrupto aliena qualitate aut frigiditate aut caliditate excedente. Is humor ergo si sit simul frigidus & pituitosus, seque non in ventriculos tantùm & anfractus sinuosos intus, sed minutiores etiam & obscuriores poros ingerat & infarciat, qui foraminibus spongiatum similes in cerebri motibus spiritus solos Eurypi instar admittunt ac refundunt, sicut ventriculi & plicaturæ præter spiritus humores etiam, tunc non somnum tantùm, sed altum soporem infert, qui Græcis est cataphora & κῶμα simpliciter, & καταφορὰ

Somnus naturalis.

Non naturalis.

Cataphora Coma.

βατεῖα

βαθεῖα & κῶμα δυσδιέγερτον, id eſt, ſopor profundus ſine ſtupore, & propenſio delatioque in ſoporem. Si verò copia etiam ſit adauctus & lentore ac viſciditate, ſoporem cum ſtupore infert, qui Græcis eſt Caros. Stupor autem eſt ἀναισθησία καὶ *Caros.*
ἀκινησία *non perfecta membri alicuius aut totius corpo-* *Stupor quid.*
ris à quacunque ſit cauſa. Ex contrariarum verò cauſarum, bilis ſcil. ac pituitæ permixtione, fit affectio, quam veteres Græci κατοχὴν, recentiores κα- Κατοχή.
τοχὴν & κατάληψιν, Paulus ἄγρυπνον κῶμα nominat. Κατάληψις.
Fiunt autem omnes cerebro partim vt ſimilari, partim vt organico membro affecto, cum læſione facultatum animalium vtrarumque, id eſt, mentis & ſenſus motuſque. *Καταφορὰ* ergo ſeu κῶμα *Κῶμα quid.*
ſeu ſopor ſine ſtupore, eſt ſpecies *ſomni præter naturam ex affectione cerebri ab intemperie frigida & humida, propter humorem pituitoſum cùm in ventriculis cerebri congeſtum, tum poris ſubſtantiæ & neruorum radicibus imbibitum:* Vnde & ſomni profunditas, & ſi excitentur, propenſio delatioq; in ſomnum, cum oculorum adpunctionē agitationemve corporis adapertione. Expergiſcūtur enim huic obnoxii, ſi concutiantur, aut vellicentur, & ſentiunt ac reſpondent interrogati, ſed recidunt mox ac relabuntur in ſomnum. Sæpe halitus ſoli calidi & humidi in febribus putridis implentes & obruentes cerebrum talis ſoporis cauſa ſunt, manent tamen ſenſus & motus integri, ſed minus vegeti,
& minus acres, Κάρος *ſopor eſt cum veterno & ſtu-* *Κάρος*
pore inſerens ἀναισθησίαν καὶ ἀκινησίαν τοῦ παντὸς σώ- *quid.*
ματος μετὰ βλάβης τῶν ἡγεμονικῶν ἐνεργειῶν, id eſt, inferens noxam ſenſui & motui cum læſione & vitio mentis. Detinentur enim ſomno

profun-

profundissimo huic obnoxii adeo, vt compuncti aut sauciati sentiant quidem interdum, non loquantur tamen, nec hiscant, nec oculos aperiant, etsi magna ex parte non sentiant.

Excitatur autem à maiore intemperię cerebri frigida & humida & maiore copia pituitosi crassi ac viscidi phlegmatis, tãquam causa interna. Differt à lethargo, quia est sine febre. Ab apoplexia, quod Caros respirationem non intercipit, sed illæsam ac liberam relinquit, quæ in apoplexia magis magisque ingrauescit, & fit grauior ac difficilior, atque stertorem accersit. Cæteræ omnes sensus, motusque & mentis functiones in caro, vt in apoplexia, intercidunt. Sæpe κακώδη πάθη existunt propter causas procatarcticas, cerebro ab ictu vel casu vehementius concusso, cum cõmoti perturbatique agitantur spiritus, & cerebrum ipsum velut conquassatum, nullis agitatur ordinatis & regularibus motibus aut comprimitur etiam cranio confracto ac depresso vnà cum meningibus, aut cum fit cerebri vel neruorum inde prodeuntium cranio effracto diuulsio quædam, qui sopor omnium deterrimus est & periculosissimus. De hoc sopore Hipp. inquit: *Ab ictu capitis stupor, malum*: Item, *Quorum cerebrum concussum est ex aliqua causa eos repente obmutescere necesse est.* An verò ab externa causa, vel interna κάρος excitatum sit, propria & antecedentia signa facile indicabunt.

Quomodo differat à lethargo.
Ab apoplexia.
Sect. 7. aph. 14.
Sect. 7. aph. 58.

Κατοχὴ vel κατάληψις vel κατοχὸς vel ἄγρυπνον κῶμα vel κῶμα οὐχ ὑπνῶδες, μέσον δὲ πάθος τῆς φρενίτιδος καὶ ληθάργου & species τῆς παρανοίας ἢ παρακοπῆς; Latinè prehensio seu detentio seu sopor vigilans, quod & mens & sensus omnes subito ceu congelati

Κατοχή.
Κατάληψις.
Κατοχός.
Sopor vigilans.

lati obrigeſcunt omni functione ceſſante, ægro tamen formam, figuramque vigilantis eumque omnino habitum corporis, qui fuit, cùm affectio inuaderet & occuparet, retinente tamen reſpiratione illæſa.

Ex affectione prouenit intemperiei, cùm humor ex bile & pituita mixtus eo, quo dictum eſt, modo, cerebrum occupet, ſed ſubitò, ſiue ex venis, ſiue aliunde humor in cerebrum irruat, qui humor propter tenuitatem bilis ſubitò & facilè penetrat in profundum. Propter commixtum verò phlegma obſtruit, atque interdum phlegma vincit, interdum bilis in horum humorum mixtione. Idcirco quandoque clauſas habet palpebras, quandoq; apertas, aut nictantes, aut intentè videntes oculis & palpebris defixis in rem vnam, voce priuantur & ſenſu, neque audiunt, neque reſpondent: Manus quandoque admouent ad oculos & nares, vel vt qui vellicentur, ſed ne hoc quidem ſentiunt; ſpiratio quandoque magna, quandoque rara, quandoque æquabilis eſt. Prout autem vel bilis ſupra pituitam redundat, vel ſupra bilem pituita, ita variat hoc affectionis genus. Minus læduntur ſenſus & motus organa, foris, plus mens laborat intus, bile vincente: grauius contra afficiuntur omnia, pituita ſuperante. Ideo Gal. *lib. 1. prorrhetic. & 3. Epid.* plures τῦ κώματ@ differentias ponit, quarum quædam ſoporem inducunt corpori, ſed nec profundum, nec difficilem, verum excitatum facile. Nam & ſentiunt & ad tactum expergiſcuntur, atque oculos eleuant, & interrogati reſpondent, ſæpe repentè exiliunt, & cùm vigilant, loquuntur, ſed aliena prorſus & de-

lyra: desipiunt enim omnes. Interdum hęc augentur, prout affectio, quam diximus esse mediam inter phrenitidem & lethargum, ad phrenitidem propius, quam ad lethargum accedit. Detentio verò ex superante phlegmate fit frigido, crasso & lento.

Detētio.

Curatio.

Postquam constitutum est de morbi genere, quod symptoma parit, à quo hæ affectiones denominatæ sunt, fit simul manifesta ratio curationis. Si enim κῶμα seu κατάφορα seu sopor profundus, aut si caros, quem diximus esse soporem cum stupore, excitetur à causa interna, cerebro per sese, & non per consensum affecto, in temperie frigida ab humore pituitoso, qui quanto fuerit tenuior, tantò humidiorem, quantò crassior fuerit, tantò sicciorem cerebri intemperiem efficiet.

Curabitur vt cephalalgia à causa frigida, vel apoplexia, vel paralysis, vel si magna fuerit materiæ crassities, & cerebri intemperies sicca, vt melancholia, reuulsione materiæ ad remotiora, clysteribus, frictionibus & ligaturis; præparatione, euacuatione vniuersali & particulari, quæ fit tribus modis.

Euacuationes particulares.

Primo materiæ eductione sensibili & manifesta, per emunctoria, vt vocantur, expurgandis cerebri superfluitatibus destinata.

1\. 2. Secundò resolutione & discussione reliquarum per ea, quę aut superficietenus & leniter digerunt ac dissipāt, à quibus tāquam mitioribus est inchoandum semper, aut quæ ex profundo educunt violentius & consumunt, vt synapismi, dropaces. Tertiò deriuatione per frictiones partium vicinarum, cucurbitarum affixu, cùm vel sine scarificatu ad partes vicinas.

nas. Cauteria ſcilicet actualia vel potentialia, quà materia ex cerebro detracta transfertur ad loca propinqua. Cumque affectiones iſtæ diſcrepent inter ſe cauſæ efficientis, quantitate & qualitatum gradibus, quod cáros à materia copioſiore, craſſiore, lentiore, altius infixa & neruorum radices obſtruente plerunque prouenit; In hoc ergo maiore inciſione opus erit, & abſterſione & attenuatione, & expurgatione. Et in omnibus his affectibus præſtetur, vt dum animalis virtus ſopita languet, virtus naturalis ſæpe multumque exciteturalui prouocatione, per clyſteria, quæ paulatim acuantur, vt & pars materiæ à cerebro reuulſa exhauriatur, & natura exonerata extimuletur, vt reliquiarum expulſiónem tentet ſua ſponte. κατοχὴ verò vel κατάληψις cùm ex intemperie oriatur compoſita ob commixtionem bilis cum phlegmate pituitoſo, & ſit affectio media inter phrenitidem & lethargum, miſcet etiam curandi indicationes, in qua mixtione hoc obſeruetur, vt dum vel præparatio intenditur, vel euacuatio, ſemper ratio habeatur humoris exuberantis, & augeantur pharmaca, quæ humorem hunc reſpiciunt, phlegmate vincente phlegmatica, bile bilioſa, in apparatu & commixtione pharmacorum dominentur. Sed ſi æger plenus fuerit ſanguine, nec ætas prohibuerit, aut virium aliquis languor, citra moram vena in hoc affectu aperiatur, vt cerebrum aliquantulum alleuetur, proque ætatis ac virium ratione copioſius ſanguis emittatur. Nam & Aëtius quendam ex hoc morbo ſubito, ſolo & copioſo profluuio ſanguinis narium liberatum eſſe prodidit. Reliqua fiant eo ordine,

quo ostensum est. Sed medicamentorum materia repetatur ex precedentibus, de qua quidem etiam aliquid dicetur in tractatu sequenti.

DE MORBIS CEREBRI ORganicis.

CAPVT III.

TERTIVM genus affectionum cerebri interiorum complectitur symptomata, quæ ad morbos cerebri organicos seu instrumentarios sequuntur, quibus afficitur cerebrum, vel ex cerebro producti ac propagati nerui, vt membra organica, non vt simularia, scilicet quod causa morbum ciens occupat & opplet meatus & ductus cerebri & neruorum, & accidunt cerebro talia symptomata, siue καθ' ἰδιοπάθειαν, siue κατὰ συμπάθειαν afficiatur. Primariè quidem & per se, si cõfirmata sit in cerebro affectio, vna cum causa continente ipsi cerebro insita, perduretque & affligat continuò; Per consensum verò, si nocumentum ab alia parte cerebro communicetur, nec cõtinuum sit, sed per interualla redeat, nec sit affectio in cerebro fixa & confirmata; nam affici cerebrum potest per consensum, vt alia membra, duobus modis: Vno, quia subtrahitur ipsi, quod aliis membris, vt cordi vel epati, ordine ac lege naturæ illi communicatur, & quo sine conseruare sese, & suas obire functiones atq; exequi nequit, siue sit materiale aliquid, vt humor aut flatus, quod in ea specie apoplexiæ fit, quæ euenit venis, quæ σφαγιτίδες & iugulares vocantur, & arteriis, quæ καρῶτιδες & soporales nominantur, interclusis

Quot modis cerebrum per consensum afficiatur.

I.

clusis; siue sit δύναμις, vt sæpe paralysis corripit membra, cùm obstructio aliqua prohibet influere in neruos virtutem animalem. Altero modo afficitur cerebrum per consensum, quia cõmunicatur ei præter naturam, quod aduersum & noxium est, vel quantitate sola, vel qualitate sola, vel vtroq;, siue sit humor aut flatus, siue δύναμις, vt in epilepsia ex punctura nerui, ex ictu à venenatis animãtibus. Item in spasmo, quem vulgò vocant non proportionatum ad materiam. 2.

Est itaque morbus cerebri, ad quem hæc sequuntur symptomata, organicus, id est, vitiata figura seu conformatio, quæ vno nomine στέγνωσις seu coarctatio meatuum dicitur, siue sit ductuum, qui à venis & arteriis in cerebrum inseruntur, siue reliquorum meatuum, qui cerebri substantiæ sunt insculpti.

Causa istius morbi continens vel συνεχὴς est, *Causa continens.* aut humor, aut halitus, aut δύναμις, seu qualitas, vel sola, vt in ictu venenatarum bestiarum, vel cum materia, vt in epilepsia. Et humores quidem ac halitus cient affectiones has, vel cerebri anfractus ac plicaturas, aut venas & arterias obstruendo, aut comprimendo, vel inordinata agitatione spiritus animales commouendo ac turbando, impediendoque & cerebri ipsius & spirituum liberum & ordinatum motum, quo fit, vt & cerebro non ritè impellendo spiritus, & humoribus vel halitibus eorundem in neruos penetrationem prohibentibus, simile quiddam accidat illi, qui ab obstructione si maligna qualitas cerebrum infestat, irritat, ac ceu ad luctam prouocat, ad quam cerebri cum re infestante colluctationem, cona-

tumq; depellendi à sese atq; amoliendi eandẽ, sequitur cerebri cõtractio, compressioq; meatuum, & inordinatus præter naturam motus, cùm spirituum & neruorum irregulari & inordinata turbatione.

Morbi cerebri organici qui & quot. Sunt autem symptomata, quæ ad hunc morbum cerebri sequuntur, numero ferè tot: Vertigo, quæ Græcis σκότωμα & σκοτωματικὸν πάθος. Hipp. σκοτόδινος & ἴλιγγος & δῖνος dicitur; Epilepsia, morbus caducus, morbus comitialis, Herculeus, morbus sacer, morbus puerilis; Ephialtes & πνιγαλίων, Latinè incubus; Apoplexia, paralysis, id est, resolutio membrorum, quæ consequitur aliàs ad debilem apoplexiam; vocaturque παραπληγία, aliàs per sese incipit ex aucto, qui ferè procedit, stupore, vocaturque, si dimidiam corporis partem occupat ἡμιπληγία, ναρκή, stupor, spasmus, conuulsio; τρόμος, tremor.

Παραπληγία.

Quomodo inter se differant. Differunt inter se hæc symptomata pro ratione & magnitudine morbi, ad quem consequuntur; morbus aut pro ratione, magnitudine & qualitate causæ ipsum efficientis. Morbus plerunque est στέγνωσις, seu coarctatio cerebri: Afficitur enim in his omnibus cerebrum tanquam membrum organicum primariè ac per se, per consensum tanquam similare, in aliis plus, in aliis minus, pro morbi & causæ ratione.

Πύκνωσις. Στεγνώσεως sicut ante dictum est, differentiæ sunt. πύκνωσις & ἔμφραξις. Πύκνωσις compressione & condensatione corporis & pororum meatus cogit, constringit atque coarctat, siue à tumore præter naturam, siue à qualitate constringente, vt frigore vel siccitate; siue aliunde, vt ex incumbente

bente humore cõfractisve ac depressis ossib⁹. cranii; siue à cerebri violenta contractione. *Ἔμφραξις meatus internos occupat & interſepit, siue ab humore, siue à ſpiritu craſſo, siue à re quapiam præternaturali meatui aut innata, siue impacta omnium difficilima eſt ἔμφραξις, quæ ab humore afficitur multo, craſſo, lento, pertinaciter infixo, & profundè infarcto, impactoque. Leniſſima omnium, quam halitus efficiunt. Reliquæ prout ad hanc illamvè propius accedunt, ita plus minuſvè periculi afferunt. Ἔμφραξις.

DE VERTIGINE.

VERTIGO vocatur, quando omnia circumagi videntur, ad eum modum & cerebro & ſenſibus atque organis motus affectis, vt quandoque concidat æger, niſi propinquus ſeſe repentè fulciat atque ſuſtentet adminiculis, cum diminuto ſenſu viſionis. Quando velut caligine ac tenebris oculi circumfuſi amittant viſionem illam δῖνον Hippocrates propriè, hanc σκοτόδινον vocat. Et σκοτοματικοὶ dicuntur, quibus leui occaſione cum oculorum vel caligine, vel obtenebratione, talis affectio accidit, vt velut rotari, aut gyrari ſibi ipſis videantur, & ex ea gyratione corruant, quod phantaſma interdum ab interna ſolà cauſa oritur, interdum ab externa acceſſione ciente, vt à Solis æſtu, à vehementiore exercitatione, & quæcunque humores calefaciunt aut exagitant. Interdum oboriuntur talia ſymptomata ex ſolo aſpectu circumactarum rotarum, aut contortarum in vortices aquarum. Hac vertigine

leuius

leuius symptoma est, ὑπόχυμα incipiens, aut quod per consensum fit, cùm fumi, muscæ, nubeculæ, aut his similia oculis obuersari videntur. Causa symptomatis semper est vapor aliàs crassus, aliàs tenuis, calidus, variè impellens & agitans humores ac spiritus in cerebri ventriculis, siue per arterias, quæ sunt in plexu χοροειδῆ vnà cum spiritibus ipsis, in cerebri ventriculos infundatur, siue per venas influat, siue de iis humoribus calore foris ceu effumet; qui extra vasa in cerebro continentur, vel efferatur ex ventriculo aut alijs membris corporis, vt matrice. Alia enim ad primarios cerebri affectus consequitur; alia ventriculi, aut aliarum partium consortio existit, prout humor, de quo vapor resolutione exprimitur, vel in cerebro continetur, vel extra hoc alibi. Idcirco non continenter & assiduò affligit, sed per circuitus quosdam, cùm vapor ex humore vi caloris expressus & impulsus atque agitatus, vel eodem calore, vel motu aliquo quærit exitum, quem non inueniens ceu repulsus conuoluitur in sese, & illa conglomeratione sui atque gyratione agitat vicissim & turbat spiritus animales, quorum inęqualis agitatio, cùm sint organum proximum functionum animalium omnium, & rotationis phantasiam commouet, & neruos inæqualiter impellit ac vibrat. Ex his & morbi & symptomatum curatio manifesta est. Est ergò vertigo *symptoma, quod sequitur ad deprauationem imaginationis in cerebro vel diminutione, aut deprauatione, aut abolitione visionis, itemq́ deprauatione virtutis nutricis.* Affectus cerebri, à quo cietur hæc symptoma, est obstructio, cuius causa antecedēs remotior est humor crassus in cerebro.

Vertigo quid.

Causa

Causa antecedens propior est halitus ex humore resolutus, causa continens est halitus, copia obstruens meatus, & agitatione turbans spiritus, Læditur autem imaginatio non propter cerebri primariam affectionem ab aliqua intemperie, sed propter spirituum inordinatam & præter naturalem agitationem Sunt enim spiritus organum proximum omnium functionum animalium, & sicut æqualiter & ordinatè vibrantur à cerebro informatione cogitatione regularium ; Ita inordinatis & irregularibus motibus à causa præter naturali agitati pro ratione motuum diuersa phantasmata commouentur. Obtenebratio oculorum aut caligo à crassitie est & densitate vaporum, quib. cum spiritibus animalibus confusis, horum lumen ac splendor hebetatur & obscuratur. Demonstrant autem vertiginem à primaria cerebri affectione dolor capitis, aut grauitas, aurium tinnitus, læsus olfactus & auditus. Per cōsensum ventriculi nausea, fastidium cibi, oris amaritudo, καρδιωγμὸς. Siue ergo ex ipso cerebro oriatur vapor, siue immittatur aliunde, vt ex ventriculo in longis cruditatibus & agitet animales spiritus, inter initia quidem nōdum languefacto cerebro fiunt ἀμβλυωπισμοὶ, postea aurium tinnitus, cum aliqua difficultate auditus, tandem magis augescente & ingrauescēte malo, id est, crescente cerebri imbecillitate & cruditatibus ex languefacto ventriculo ἴλιγγοι & δῖνοι & σκοτώματα fiunt cum omnia circumagi videantur cum quadam hebetatione oculorum non pereuntē tamen ritu, nec concidente ægro. Tandem vero σκοτοδινοῖ cum obtenebratione visus & corporis ad terram deiectione. Sed cum malum iam in cerebro fixum & confirmatum est, ac-

Quæ eius causæ.

Obtenebratio oculorū.

cedunt ad hæc symptomata alia multo sæuiora & grauiora, vertigine degenerante in melancholiam, cum cerebri temperies magis laborat, q̃ ventriculi; aut in apoplexiam, cum ventriculi laborant tantum; aut in epilepsiam, cum affectio in vtrisque est, confirmata cerebri scilicet substantia & ventriculus.

DE EPILEPSIA.

Epilepsia quid.

EPilepsia *totius* est *corporis seu distensio, seu conuulsio crebra non perpetua tamen, sed quæ ex interuallis accidit, qua homo subito collabitur simul concidentibus sensuum omnium, motus, & mentis functionibus.* Nomen, vt res indicat, à symptomate sumptum est, quod subito occupat & opprimit corpus vniuersum, & cum spasmo totius corporis inuadit atque affligit, cuius est origo ex principii neruorum læsione, quo discrepat epilepsia à reliquis spasmi differentiis omnibus. Concussione epilepticis spumæ mouẽtur, & solutis musculis interdum vel vrina vel stercus vel semen præter voluntatem erumpit & hoc fit propter læsionem principii) & obscura vox eliditur, inordinata cõtorsione musculorum & thoracis impulso in asperam arteriam & pinulam laryngis eliso spiritu. Vera autem perfecta epilepsia semper est cum fœda, deformi ac terribili conuulsione corporis vniuersi; sed interdum læuior existit, cuius non sunt tam expressa symptomata, sed accidit quiddam aut tremori aut vertigini simile aut inter vertiginem & epilepsiam medium: Sunt enim affectiones valde cognatæ epilepsiæ, vertigo & πτάρμος seu sternutatio; vertigo

Quomodo differat à reliquis spasmis.

quan-

quantum ad causam efficientem, sternutatio quãtum ad modum generationis. Idcirco vertiginem quidam diminutam epilepsiam vocant, quæ ingrauescens in epilepsiam degenerat. *Sternutatio fit cerebro luctante cum materia aduersa atque infestante & contractione sui etiam excutiente, quæ cum impetu delata per meatus expurgandis excrementis cerebri destinatos indeque vehementer elisa strepitum ciet.* Talis est motus in epilepsia cerebri, quæ est morbus in fieri, cum cerebrum aut irritatum, aut copia aut qualitate aut vtroque his vergentibus in cerebri sinus, medium præsertim & postremum, vt Gal. videtur *lib. 3. de loco aff.* Aduersante vero & repugnãte cerebro, oboritur lucta cerebro, contractione sui incumbente in repulsionem materiæ irruentis, quæ meatuum oppletione penetrans principia neruorum imbuendo aliquantulum resoluit.

Vertiginis & epilepsiæ affinitas.

Sternutatio Vnde.

Ad hanc cerebri cum causa infestante colluctationem inæqualem & inordinatam sequitur contorsio neruorum, musculorum & membrorũ seruientiũ motui volũtario in toto corpore horribilis ac deformis, q̃ mitior est, si sola qualitas maligna & cerebro infensa aut cũ vapore tm̃ cerebrũ infestet, & citra obstructionẽ dimicet cerebrũ cũ vapore aut sola qualitate. Est aũt spasmus omnis secundũ Hipp. vel à repletione, vel ab inanitione. Sed epilepsia cũ subito inuadit, à siccitate nunquã fit, à repletione creberrimè, ꝓpterea hac infantes sæpè corripiunt. Epilepsia itaq; morb⁹ est in fieri, & ciet hãc aut humor crass⁹, lent⁹ viscid⁹, phlegmaticus, aut melãcholic⁹; aut vapor subito irruẽs in cerebrũ ad eũ modũ, vt in vẽtriculis incipiat obstructiõẽ efficere. Colluctat̃ n. cerebrũ cũ cãa illa, atq; eam

Sect. 6 aph. 39.

Epilepsiæ causa materialis.

eam eiicere & explodere nititur, & irritatur ad hanc luctam non tam copia humoris vel vaporis, quam venenata & cerebro infensa eius qualitate, quæ substantiam cerebri infestat, sicut copia & crassitie ventriculos, quæ quidem qualitas sæpe iam excusso etiam ac dissipato humore vel vapore, tamen impressa malignitatis suę in cerebri substantiam, relinquit vestigia, quæ postea & paroxysmorum recurrentium causæ sunt. Etsi infectio substantiæ sit magna ac cerebro recurrentibus paroxysmis confirmetur, tandem epilepsiam permutat in παραφροσύνην melancholicam quidem, si ab humore melancholico epilepsia extiterit; Alteram, quæ nomine generis caret, si à phlegmate excitetur. Quapropter iis, q cerebro epilepticis paroxysmis corripiuntur, tandem mens corrumpitur & ratio propter infectionem substantiæ, & corruptionem cerebri temperamenti à venenata & maligna qualitate humoris vel vaporis infestantis. Indicat hoc Hipp. *lib. 6. Epid. par. 8, melancholici magna ex parte comitiali afficiuntur, & contra morbo comitiali laborantes, fiunt melancholici.*

Fit autem epilepsia vel cerebro affecto κατ' ἰδιοπάθειαν vel κατὰ συμπάθειαν. Et per consensum quidem, cùm in cerebrum transmittitur humor vaporve aut δύναμις etiam seu qualitas venenata & noxia à ventriculo & alia quapiam corporis parte, siue ab interna causa læsa, siue foris affecta, ictib. venenatarum bestiarum, vt scorpionum, phalangii turturis marini, aut contactu: Vtero etiam nō raro cerebrum compatitur, præsertim cum fœtus gestatur aut retinentur fluxiones menstruę accedente

dente vel humorum vel seminis putrefactione, quando putria multa *cohiberi* & ex æstuare, ac putridi halitus ad cerebrum regurgitare solent. Ideo tres differentias epilepsiæ Gal. constituit 3. *de loco affect.* quantum priores duæ à cerebro & ventriculo oriri, consuetæ crebro, posterior ab extremis manuum pedumve digitis, aut crure vel bracchiis, vel vtero proueniens, rarius accidit, quæ quidem ex illis oriri partibus sensibiliter deprehenditur, malo à parte affecta serpente ac progrediente ad cerebrum sensibiliter, siue qualitas sola alteretur continuatione quadam partium siue spiritualis quædam substantia ascendat vel transmittatur. Nonnunquam & ad dentium dolores epilepsia sequitur. Deinde est quædam epilepsia congenita, quædam post contracta. Congenita aut à parentibus propagatur, aut διὰ φυσικὴν δυσκρασίαν ab humidiore cerebri & excrementitio temperamento existit, quæ à causis post contactis oritur, διά τινα ἁμαρτήματα, vt Galenus inquit: ni victu, consuetudine, exercitiis, aut aliis rebus fit; sic sæpè infantes ex vitioso lacte nutricum, aut malo regimine, aut ex subitis perterrefactionibus, incidunt in epilepsias. Reperiuntur autem totæ familiæ, quib, vt alii similes morbi periodici, inter quos podagra, arthridis, λιθίασις phthisis, sic & epilepsia hæreditaria est. Sed tales raro ita liberantur, vt omni periculo vacent propter aptitudinem & propensionem insitam substantiæ cerebri naturæ quæ emendari nequit. De cæteris duabus speciebus, si sit epilepsia σύντροφος, siue cum prima ætate inuadat orta à causis cognatis, siue excitetur à causis post contractis, sæpe ætate, consuetudine, ratione victus

Epilepsiæ differentiæ.

victus ac diætæ, medicamentis etiã tollitur atque auertitur. Inquit enim Hip. *6. epid. Infantum* ἐκλαμ-ψιες, *id est, effusiones*, quod intelligendum est de natiuo calore, id est, exardescens & confirmatus calor natiuus, vel sicut recentiores legerunt, καταλή-ψιες ἢ ἐπιλήψιες, *cum pubertate mutationes* habent, sc. quod calor natiuus auctus & vincens superfluum humidum depant atque consumpsit. Et *in lib. de aëre, aquis & locis inquit. Cõsueuerunt infantes incidere in spasmos &* ἄσθματα, qui morbi existimãtur afferre τὸ παίδων, & sacer morbus esse, scilicet propter humidi redundantiam in cerebro. De eadem mutatione aliquanto expressius inquit Hipp. 2. *parte Aphoris. 45. Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis & temporis & locorum victuum quoque liberatur. Et 5. Aph. 7. Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt, quibuscunque autem 25. anno, feré commoriuntur.* Multoque magis hoc verum est, de ætate reliqua post annum vigesimum quintum, quo tempore ferè qui inuadunt morbi chronici, ad mortem vsque perdurant; Sunt enim à causis frigidis, id est, humoribus crassis, lentis & frigidis, qui languescente calore natiuo paulatim percoqui nequeũt, sicut inquit Hipp. 2. *parte, Aph. 39. Senes iuuenibus plurimum quidem ægrotant minus, diuturnis vero morbis correpti ferè commoriuntur.* Denique quædam epilepsia per interualla & periodos certas recurrit, quædam autem periodos certas non seruat, aut semel depulsa nõ redit. Periodicæ epilepsiæ causa est in cerebro & humore scil. cerebri imbecillitas & aptitudo ex naturę insita & impressa habitudine, coaceruans intra sese & corrumpens humores.

Epilepsia periodica causa.

Primam

Primam speciem præcedunt corporis animiq; status perturbatior, & alienior sensuum mentisq; stupor ac tarditas, capitis grauitas aut dolor atrox, facilis cerebri repletio, maxime ex iracundia, obliuio eorum, q̄ percepta sunt, linguæ inordinatus motus (quam nōnulli etiam inuiti morsu lædunt) turbulēta insomnia. Ostēdunt p̄sentē, q; qui corripiuntur cōcidunt cōuelluntur q; & stertunt. Interdum vocem edunt alienā & minime aliquid significantem, ore spumāt, q peculiare huius mali symptoma inditium est, ex intercepta aut impedita, aut inæqualiter vibrata respiratione. Nonnullis stercus & vrina, & adultioribus semen genitale p̄ter voluntatē erumpit. Spumæ generationē explicat Gal. *com.* 43. 2. *lib. Aph.* & *com.* 30. *lib.* 7. *Aph.* Cōficitur enim duarum substantiarum inter se cōmixtione, quarum altera spirituosa est, altera humida; Ambarum in partes multas confractum, cōmixtionemq; inter se & mutuum cōplexum in minutis quibusdā ampullis, efficit nonnunq̄ motus violentus vel vtriusque vel alterius tantum; Nnonnunquam calor, vt in aqua feruente apparet. Causa continens est flatuosus spiritus, q humori diuulso discerptoque in minutas partes, ac dilatato & extenso, implicatur motu vehemente incitante spiritum aut calore fundente humorem in halitū, quo tensa deductaq; humiditas, si halitus non perumpat, in ampullas statim assurgit. Quanto autem tenacior is, qui perfringitur humor fuerit, tanto spuma stabilior euadit & durabilior.

De signis. Primam speciem præcedentibus.

Concomitantia. Spuma oris in epilepticis Vnde.

In epilepticis ergo laborante spiratione, & pulmone atque corde cōpressis, fuliginosa caliditas

ex corde

ex corde ad pulmonem violenter expellitur, quæ in pulmones adacta cum impetu proprię humiditatis ex corde pulmoneque partem aliquam secū abripit. Ita & caloris humorisque efferuescentia, & spirituum motus violentus, & vehemens pulmonis ad educendum conatus, spumam gignit.

Signa epilepsia ex ore ventriculi.

Eam vero, quæ ab ore ventriculi oritur, epilepsiam antecedunt & indicant sicut oculorum suffusiones, dolor ventriculi, distensio & palpitatio, vel osculi compunctio aut erosio, difficulter mediam tolerant tales, irritanturque cum aut tardius cibum sumere, aut nullum contingit. Cumq; accessio propinqua est, sentiunt nauseam & καρδιαλγίας & quandoque in animi defectionem incidūt. Liberantur autem ab accessione magna ex parte vomitu alias pituitoso, alias mixto.

Signa tertia speciei.

Tertia species omnium manifestissima deprehenditur. Ex ea enim sede, in qua mali fontes hærent, prehendente accessione velut aura frigidior quædam in cerebrum efferri percipitur. Et huius impetus si pars, per quam fertur, constringatur vinculo, intercludi & prohiberi potest.

Incubum græci, vt diximus, ἐφιάλτην & πνιγαλίωνα vocant, à phantasmate, quod affectum hoc modo cerebrum imaginatur ac fingit, quæ proprie incubo laborantes, vel inuadi se ab aliquo, vel premi, & si exclamare velint, velut singularia aut spectris terreri, & si hæc effugere velint, lassitudine velut iniectis vinculis detineri ac retrahi se in somnis putant.

Incubus quid.

Est autem incubus *quædam corporis oppreßio & aggrauatio noctu inuadens, adferens torporem sensui & motui,*

tui, quem tamen non prorsus adimit, vocemque offendens aut intercipiens, & mentē atque imaginationem versans, visis quibusdam & terriculamentis alienis. Oboritur interdum, sed rarius, cerebro per sese affecto & largiore humiditate cerebri, & coaceruatis aut crassis humoribus aut halitibus in cerebro; sæpius & vt plurimum, laborante cerebro per cōsensum, cum ex longis & immoderationibus crapulis crassior pituita, aut melancholia circum præcordia in vētriculo, epate, liene collectà atque coaceruata, sæpe se diffundens in vapores crassos: his comprimit diaphragma & coarctato thorace, respirationem impedit, vel aggrauat; deinde iis de vaporibus per fauces atque venas sursum ab epate expor rectas effumantibus in cerebrum, hoc inuoluitur & obruitur, vnde phantasmatum visa existunt. *Vnde.*

Apoplexia *subita & sensus motusque & omnium animalium functionum priuatio* Germani vocant, den tropff vocant etiam den Schlag deinde etiam die Handt Gottes. Hoc correpti velut attoniti concidunt subito, nullis ferè mali tanti notis ꝓxime præcedentibus, sique vehemens valde est, quam Hipp. fortem appellat, iacent sine sensu, sine motu, sine mente, *sola respiratione dissidentes à mortuis*, q̃ & admodum difficilis mox euadit, & stertorem infert grauissimum. Sunt enim species plures apoplexiæ tantum magnitudine causæ & respirationis difficilioris differentes, vt patet ex secunda parte Aph. 42. Et ex Galen. *de locis aff.* Si enim respiratio in tantum sit compressa atque cohibita, vt vix appareat, ea omnium est acutissima, & citissima strangulat, si spirent quidem apoplectici, *Apoplexia quid.* *Apoplexia species.*

ſed cum magno conatu & inæqualitate intermittente quandoq;, &rurſus moxſeſe vehementius incitante ſpiritu,talisapoplexia etſi remiſſior eſt priore, tamen adhuceſt fortis & peſſima. Si neque intentum, neque violentum, inæqualem tamen & inordinatum, ac præterea intermittentem edant anhelitum, ſicut, ſi reſpiratio ordinem ſeruet congruentem naturali reſpirationi,etſi paulo citatior eſt & vehementior, tales apoplexiæ debiliores exiſtunt reliquis,quæ ſi omnia adhibeatur, quæ neceſſaria ſunt, cito curantur. Denique quantum difficultas ſpirationis adaugetur & intenditur, tantum malum ipſum inualeſcit & ingraueſcit in cerebro, à quo cientur muſculi thoracem mouentes, & læſione reſpirationis diſcernitur apoplexia à ſopore & vteri ſtrangulatu,qui etiam ſubito inuadit &opprimit.In his enim fere reſpiratio facilis & libera ſeruatur.In ſopore enim cum anteriores cerebri partes magis opprimantur,è quibus prodeunt nerui, qui in ſenſuum organa inſeruntur;Idcirco hi magis deuincti aut grauati torpent,reſpiratione minus laborante quod quia ad ſpinalem medullam pertinent meatus, minus ſunt impediti, ſed ſi illi quoq; opprimantur, accedit ad ſoporem ſtertor ſtrepens cum laborioſo anhelitu, & altius ductis ac longiore interuallo repetitis ſuſpiriis, in apoplexia omnia obruuntur & complentur, cerebriq; motus,qui dilatatione &contractione conſtat ac perficitur, & viis obſeſſis atq; interclusis intus libera ſpiritum agitatio, & diſcurſus liber penetratioque eorundem in neruos, impeditur.

Quod quomodo differat à ſopore & ſtrãgulationi vteri.

Ægre

Ægre itaque, & vel nihil vel parũ neruis trahentibus musculos, corde vero propter periculum suffocationis, pulmonis adactu fuliginosorum halituum violenter & magna cum vi impellente, respiratio existit aut obscura & vix notabilis, aut vehemens & intercisa ac stertens & per interualla insurgens rursusque concidens, quæ tandem iugulat hominem cordis suffocatione vita extincta. Et fere ad soporem curatum bona valetudo consequitur. Apoplexia, vt diceuar, desinit in paralysin. Vteri strangulatus cum cietur à vaporibus, magna ex parte, qui & cerebrum feriunt & diaphragma vrgent, minus nocet respirationi. Propterea in strangulatis sæpe est tam exigua, vt vix deprehendatur, à syncope discernitur apoplexia pulsu arteriarum, quem tollit aut languefacit syncope, intendit & incitat apoplexia, donec cum periculo suffocationis cor luctatur. *Quomodo à syncope.*

Nam prostrata & fatiscente cordis virtute proxime ad mortem, hic quoque remittit & concidit. Mitior apoplexia non aufert sensum & motum, sed obtundit & languefacit, ac tum fere malum in alteram partem decumbens eam resoluit.

Est ergo apoplexia, vt nomen & descriptio indicant, *symptoma, quod subito fit, id est, repētina vel abolitio vel hebetatio sensus & motus & omnium functionum animalium, consequiturque ad morbum cerebri organicum, ex eorum genere, qui in figura consistunt*, hoc est, ad στέγνωσιν meatuum & sinuum cerebri, cuius differētiæ sunt, vt sæpe dixi, πύκνωσις & ἔμφραξις. Fit u.

vel cerebro occupato derepente affectu præter naturam, qui fit inflammationi similis, & efficiat extra ventriculos quidem πύκνωσιν seu coaceruatam compressionem pororum, anfractuum, & ventriculorum cerebri; Intus vero in ipsis ventriculis propter impletas & distentas venas & arterias obstructionem, vel ventriculis ipsis oppletis, atq; obturatis humorib. frigidis, crassis, phlegmaticis aut melancholicis, etsi à phlegmaticis crebrius oritur.

Priorem affectionem, vt in tumoribus præter naturam, efficit ἔμφραξις venarum & arteriarum, quæ multiplici serie in cerebri corpus & sinus eius laxiores distribuuntur, à subito præcipitique adactu & infarctu crassi sanguinis phlegmatici, aut melancholici & copiosi, qui implet, distendit ac tumefacit venas & arterias, ac propter crassitiẽ exprimi non potest, etsi quandoque erumpit quique his velut obsepetis ac interclusis ꝓhibens illapsum spiritalem vitalium in cerebrum, vitalem eius calorem suffocat, quo extincto cessant functiones reliquæ, quas sine vita cerebrum obire & expedire nequit; Tumore vero comprimens cerebrum & coarctans poros ac meatus omnes, impediensque cum cerebri motum, tum discursionem ac vibrationem spirituum in meatibus, qui inde in neruos traiici per cerebri patentes poros consueuerunt. Interdum adapertis osculis venarum & arteriarum turgentium humorum copia sanguis expressus vt in abscessibus erumpit & per os naresque effunditur. Quantò autem crassior sanguis fuerit, tanto ἔμφραξιν in venis maiorem & cerebri compressionem grauiorem adfert citiusque

que strangulat. Cognoscitur autem talis affectio in Apoplecticis ex faciei & capitis rubore, tumore æstu venarum atque arteriarum distensione. Si vero sanguis profluat, indicatio certior est. Posterior affectio simpliciter est obstructio seu ἔμφραξις meatuum & ventriculorum cerebri, ab humore frigido & crasso, phlegmatico vel melancholico impediens & cerebri motum & spirituum liberam agitationem, & horum in neruos traiectum ac penetrationem, quæ quanto maior fuerit, tanto celerius & efficacius vniuerso corpori sensum motumque adimit. Cum fuerit minor, eadem hebetat tantum & stupefacit, non prorsus tollit. Et à priore dignoscitur pallore faciei, phlegmatis humidi aut viscidi in ore, naribus oculis coaceruati quod quanto copiosius erumperit, tanto firmiorẽ & certiorem spem curationi facit; quanto vero retentum magis fuerit, tanto crudiorem morbum & materiam indicat, solutuque difficiliorem. Cum ergo morbus cerebri, ad quem sequitur apoplexia, sit ἔμφραξις seu obstructio venarum atq; arteriarum, vel meatuum ac ventriculorum cerebri & fiat subitò, causa itaque est humor crassus, impulsu aliquo incitatus & cum defluxionis impetu ruens, seq; in cerebrum inferens & lapsu cõcitato ac subito vel in caua eius spacia excussus atque ingestus, vel detrusus depactusque in venas & arterias, quibus & membrana eius & inuolucra intexta sunt, & pertextum est ipsum corpus, (& continetur vel in arteriis ac venis, vel extra vasa intra cranium coaceruatarum.) Qui venis & arteriis inest, his infarctus infert διάθεσιν φλεγμονώδη, vt Gal. inquit. Qui extra venas est, inuadit & ob-

Quomodo ab epilepsia.

Sequitur ad morbum nõdum factum epilepsia.

sidet ventriculos. Et hoc differt apoplexia ab epilepsia, quod epilepsiam ciet humor venenatus, tentans & infestans cerebri substantiam ac temperiem, sed qui adhuc est in fieri cerebro luctante cum humore, qui se ingerit & obstructionem molitur. In apoplexia humor obrutis & oppletis ventriculis iam obstructionem compleuit, magnã aut paruam, pro humoris copia, crassitie ac viscíditate.

Causæ apoplexiam commouentes.

Causæ ergo commouentes apoplexiam, aliæ sunt προκαταρκτικαὶ seu externæ, aliæ internæ seu προηγούμεναι: aliæ sunt, continentes συνεχεῖς.

Externæ.

Externarum causarum quædam protinus ipso insultu aut illisu apoplexiam faciunt, vt cum validiore ictu fractis & collisis ossibus cranii, & cerebri corpore ea compressione coacto atque coarctato, aut laqueo vel compressu interclusis venis & arteriis colli ac ceruicis protinus cessante motu cerebri cor respiratione intercisa suffocatur. Quędam rursus internas caussas vel gignunt, augent & coaceruant, velut pabulo suppeditato, quod vita præstat crapulis dedita & helluationibus; vel collectis antea quarundam alterationum mutatione præparant, vt cum vel ex halitibus crudis densati coactique humores & intra cranium detenti à calore lentorem paulatim contrahunt & tenacitatem; vel genitas, congestas & præparatas causas interius impellunt & agitant, vt cum quieti humores, aut vehementis iracundiæ feruore, aut aeris circumfusi ardore, aut frictionis calore & impetu dissoluti ac fusi, vel aliter impulsi vel expressi ac velut exclusi, astrictione meatuum ab externo frigore, aut copia elisi, irruunt in cerebrum.

Internæ

Internæ causæ sunt humores, qui vel ex ipsis riuulis venarum cerebri atqur arteriarum, his. scilicet sanguine crasso, phlegmatico vel melancholico refertis, vel extra venarum ductus intra cranium & membranæ cerebri inuolucra, quacunque patet aliquid & vacat inque ipsis sinubus cerebri continentur collecti, & continua accessione & aggestione materiæ nouæ aucti. Ex iis halitibus, qui de ventriculo, epate, venis totius corporis assidue in cerebrum, velut tectum fumosæ domui, impositum efferuntur, nihil admodum est periculi. Si à quocunque externo incitati principio & dilatent sese subitoque & confertim vel irruant in venas & arterias cerebri vel inuadant in eius ventriculos, periculum adferunt; quo liberatur æger, si natura victrix hos repulsos excutiat per nares, pallatum os & meatus alios; si non excutiat sed oneri succumbat, sequuntnr apoplexiæ, eo modo, quo dictum est.

Humores ergo moti & repentino impetu in venas arteriásque aut ventriculos cerebri adacti, & obstruẽtes hos, sunt causa cõtinens illius morbi seu obstructionis, ad quam tanquam morbum apoplexia consequitur, vt symptoma. Estque ex genere morborum acutorum non illorum, qui ex calidis humorib, originẽ habent, siue nullum certum obsederint locum, siue in totum fuerint animantis corpus æquabiliter sparsi, quorum omnium commune symptoma est febris, vt sunt febres acutę cõtinuę, angina, pleuritis, peripneumonia Sed ex altero genere acutorũ, q̃ quãdocũq; à causa frigida ciẽtur, tamẽ fiũt acuti ꝓpter loci affecti ꝓstãtiã, & magnitudinẽ affect⁹, ac symptomatũ ve-

hementiam,& sunt sine febre, vt apoplexia, epilepsia, tetanus.

De curatione ergo apoplexiæ Hipp. inquit 2. *aph.* 42. *Soluere apoplexiam fortem impossibile; debilem vero non facile*; propter obstructos ventriculos cerebri, à materia crassa, lenta, viscida, fortiter impacta & pertinaciter in hærente, & propter incisam respirationem afferentem summa pericula suffocationis; Nam fortis est apoplexia, sicut dictum est, *in qua respiratio plurimum laborat & pene oppressa est, corde vrgente respirationem, musculis thoracis vero omnibus quandoque magno conatu, tamen languidè adiuuantibus*. Obnoxi sunt aut apoplexiæ quibus caput grauedine frequenter & profundiore sopore, aut etiam vehementi & acuto dolore tentatur corpus pigrescit atque euadit segnius, venæ iugulares in collo atque inde propagatæ in faciem oculos & tempora tument. Oculis offunduntur tenebræ, aut scintillationes; accedunt vertigines & corporis inæquales inordinati, subitique vibratus atque concussiones sine euidenti causa; In somno stertores vehementes & dentium stridores; extrema sæpe perfrigerantur & facile. Accidit autem senibus plerunque pituitosis, crapulę deditis, & quibus ceruix est angusta & breuis. Et de ætate oportuna ad apoplexiam inquit Hipp. 6. *aph.* 57. *apoplexiæ in ætatibus maxime fiunt ab anno* 40. *vsque ad* 60. *Natu minores enim ferè non corripiuntur, nisi causæ præcesserunt valde violentæ.*

Apoplexia fortis qua.

Apoplexia obnoxij qui.

DE PARALYSI.

Paralysin Gal. quãdoq; mot⁹ resolutioné, quãdoq; abolitioné sensus, interdũ vtrũque nominat; sed cũ ꝓprie loqtur, amissũ motũ paralysin vocat, sensus abolitionem periphrasi circumscribit.

Nam & res oſtendit, & rei cauſa explicãtur à Galeno interdum motum tantùm, interdum membri ſenſum tantùm extingui, interdum vtrunque, quod vbi diſtinctis neruis vtrumque natura peragit, aliis neruis muſculos impellentibus, qui in profundum penetrãt, aliis in ſuperficiem muſculorum, aut in cutem explicatis, qui ſenſum ſuppeditant, manifeſta res eſt, quia affici poteſt ſurculus, qui in cutem ſpargitur, non læſo illo, qui muſculo inſeritur, vel contra. Etſi enim *omnis neruus, quantumuis durus, ſenſu tactus præditus eſt*; Tamen ſtupeſcit ſenſus, obtuſis affectiſve præcipuè illis neruis, qui in ſuperficiem expanſi ſenſum præſtant, reliquis, qui corpus muſculi impellunt, obſitum profundiorem ſenſum habentibus hebetiorem, qui & alioqui propter duritiem in his ipſis neruis eſt obſcurior & obtuſior. Sed ſi iiſdem neruis vtrumque natura peragat, ratio obſcurior eſt, quæ in eo conſiſtit, quod ſenſui, qui paſſio eſt, parum virtutis animalis ſatis eſt, vt conſeruetur in membro. Motus cùm in actione conſiſtat, multò plus virtutis requirit, quâ deficiente, aut languefieri eum, aut extingui neceſſe eſt, itemque à diuerſa ſunt plerunque origine nerui, qui motus cauſa intra muſculos abduntur, & qui obductæ foris aut membranæ aut cuti ſenſum impertiunt. Exquiſitam ergo paralyſin nominat Galen. *ſenſus & motus amiſsionem, non in toto corpore, quæ eſt apoplexia, ſed in parte.* Et ſub eodem cum paralyſi genere continetur ſtupor νάρκη Græcè, quem Gal. dicit eſſe ἀμυδρὰν (obſcuram) τινὰ παράλυσιν & ἀναισθησίαν καὶ ἀκινησίαν, ſcil. cùm ex imperfecta paralyſi ſenſus motusque hebeſcunt & torpent à cauſa interna. Perducit enim, ſi duret aut recurrat crebrò, tan-

Vnde ſtupeſcat ſenſus.

Cur interdum amittatur motus, ſenſus verò non.

Exquiſita paralyſis.

dem ad παράλυσιν. Nam paralyſis aut ad apoplexiam debilem conſequitur, hac in illam deſinente, cùm natura humorem ab vna parte in alteram depulit, & tunc propriè dicitur παραπληγία, Ein Nebenſchlag/ vt ex ingraueſcente paulatim & augeſcente ſtupore exiſtit. Illa ſæpe ad apoplexiam redit, eò quod fons mali principium ſenſuum & motuum vel tentauit, vel adhuc aliqua ex parte obtinet. Hæc etſi mitior eſt, tamen periculo non caret, & inhæret pertinaciter, prior interdum omnes partes capiti ſubditas, aut alterum latus totum occupat, cùm propriè dicitur ἡμιπληγία. Hæc interdum illas, quandoque vnam quampiam corporis partem obſidet, vt linguam, oculum, maxillam, labrum, laryngem, brachium, manum, crus. Vocant autem talem affectionem πάρεσιν & παράλυσιν, & partem reſolutam παρεθεῖσαν aut παραλυθεῖσαν.

Ἡμιπληγία.

Paralyſis quid.

Eſt ergo παράλυσις, ſicut apoplexia ſymptoma, id eſt, *priuatio ſenſus aut motus, aut vtriuſque, in aliqua corporis parte.*

Νάρκη ſeu ſtupor.

Νάρκη ſeu ſtupor *eſt hebetatio eorundem*, & paralyſin præcurrit. Exiſtit autem affectus vterque inde, quod virtus animalis per neruos ad partes diſtribui nequit; Cumque propter στέρησιν facultatis animalis fiat, quæ à cerebro tanquam fonte, & ſpinali medulla tanquam riuo, per neruos vtriuſque ceu canaliculos, diffunditur in organa ſenſus & motus, neceſſe eſt, in quauis reſolutione affici aut cerebrum, aut ſpinalem medullam, aut neruos particulares, aut partes ipſas, in quas nerui inſeruntur.

Itaque affectus impediens diſtributionem ſeu

pene-

penetrationem virtutis animalis, consistit vel in ipsa parte stupefacta aut resoluta, propter quam aduectam neruis vim recipere nequit, vel in neruis virtutem motricem aut sensitricem vehentibus, vel in cerebro aut dorsali medulla. In parte ipsa vel tumor præter naturam calidus aut frigidus, vt inflammatio aut scyrrhus, vel contusio, vulnus transuersim mordens fibras neruorum per musculi corpus exporrectas secundùm longum, frigiditas enecans calorem, calor arefaciens substantiam. Et quidem an in parte ipsa malum consistat, cognoscere non est difficile, cùm ex notis præsentibus, tum ex causis euidentibus, quæ antecesserunt. Si verò à neruis sit, aut neruorum principio παράλυσις, causa erit vel πύκνωσις vel ἔμφραξις cerebri, spinalis medullæ, aut neruorum.

Πύκνωσιν efficiunt, quæ foris compresso constrictove corpore cerebri, spinæ aut neruorum poros internos, *per quos facultas animalis fertur*, coarctant. *Causæ efficientes πυκνώσεως.*

Ἔμφραξιν humores imbibiti substantiæ, & in poros infarcti. *Ἔμφραξις.* In paralysi πυκνώσεως causæ sunt, frigus constringens ac densans, calor arefaciens, aut dissoluens humores, callus nerui, tubercula, omnis præter naturam tumor, neruos aut spinæ medullam obsidens & constringens, vt sæpe fit in Arthritide vertebrarum spinæ, iniectum foris vinculum, contusio ex ictu, luxatio vertebrarum, quæ siue σκολίωσιν efficiat, qua spina incuruatur ad alterutrum latus, dextrum aut sinistrum forma arcus; siue κύφωσιν aut ὕβωσιν, cùm extrorsum spina incuruatur, siue

Luxationũ vertebrarũ species. *Σκολίωσις.* *Κύφωσις.* *Ὕβωσις.*

Λόρδωσις. ſiue λόρδωσιν, cùm introrſum ſpina deprimitur, luxatione continua ſeriem vertebrarum dimouente ac detorquente à ſitu recto & naturali, ſiue nihil iſtorum fiat, ſed luxatio vnam atque alteram vertebram loco ſuo excutiat, quam tamen ſemper tantam eſſe oportet, vt compreſſione ſpinalis medullæ, aut principii neruorum intercipiat defluxum & penetrationem virtutis animalis. Ἐμφράξις eſt ab infarctu pituitæ craſſioris & tenacioris. Sæpe fit à flaua bile, cùm ſub finem febrium intermittentium ad ſpinã & neruorum originem effunditur. Sed diligenter mali principium & ſedes inueſtiganda eſt, ſcilicet an nerui corpus ſit affectum toto proceſſu, vel an occuparit radices neruorum, aut primas prope exortum aut propiores ad aliquam diſtributionem; item an dorſalis medulla ſit affecta, quæ ceu truncus ex cerebro, velut ampla & bulloſa radice propagatur, ac ſenſim, quo longius progrediens, gracileſcens ac dureſcens, neruorum ſobolem triginta parium, vt ramorum ex ortu edit ac diſpergit, ſerie ſurculorum multiplici; Denique an in cerebro ipſo ſit affectio ceu in radice. Ἡμιπληγίας cauſa nec in

Cauſa ἡμιπληγίας. toto cerebro, nec in tota eſt ſpinali medulla, ſed ferè tantum dimidiæ parti ſpinalis medullæ, dextræ aut ſiniſtræ inhæreſcit, præſertim cùm dimidium latus infra caput reſoluitur: ſi omnes ſub capite partes reſolutæ ſint, affectio principium ſpinalis medullæ tenet. Si in vna aliqua parte quacunque tota tranſuerſim ſpinalis medulla ſit affecta, reſoluuntur omnes partes, quæ neruos habẽt, ab ea ſpinæ parte, quæ ſubtus locum affectum cõſiſtit. Nam affectio tranſuerſa intercipit, inhibet ac ſiſtit

ac sistit virtutis animalis traiectum. De his autem quomodo exactè constitui possit & debeat, docent inspectiones anatomicæ, quæ ostendunt septem paria neruorum cerebri in sensuum organa & partes faciei, item musculos temporum, maxillarum, buccaq; lingue, laryngis, faucium distribui, excepto sexto pari, quod longius porrigitur, & surculos cordi, ventriculo, lieni, epati, renibus, intestinis, vtero, vasis spermaticis & vesicæ offert. Triginta verò paria neruorum orientium ex spinali medulla, digerũtur in partes infra caput collocatas. Nam de septem paribus colli; superiora paria in musculos capitis, dorsi, scapularum & colli, & diaphragma ipsum absumuntur; Inferiora paria cum paribus aliquot neruorum, metaphreni, humeros & brachia adeunt. Reliqui nerui metaphreni in pectus & thoracem ac dorsum absumuntur; qui ex ea parte spinæ enascuntur, quæ lumborum vertebris etiam ossi sacro includitur, porriguntur magna ex parte deorsum in crura. Neque vnquam causa supra lumbos quærenda est, crure alterutro, aut vtroq; resoluto. Si itaque affectio non in toto nerui progressu, sed in principio sit frustra medicamenta topica parti stupenti aut resolutæ adhibentur. Transferenda sunt enim ad neruorum exortum.

Hæc, quæ scripsimus, symptomata, communia sunt sensui & motui, quos aut abolent aut hebetant, aut deprauant in vniuerso corpore & parte aliqua, vel partibus pluribus, & excitantur ferè ab iisdem causis & affectionibus cerebri, spinalis medullæ, aut neruorum interque sese differunt his modis, qui explicati sunt. Cùm ergo & de

morbis,

morbis, ad quos consequuntur, & de causis eorundem constet, ratio curationis, in quibus consistat, non est iudicare difficile.

DE CVRATIONE EPILEPSIÆ.

CVRATIO autem vniuersa respicit vel causam continentem, quæ semper est pars constituens morbi essentiam, vt in paroxysmo epileptico, in apoplexia, paralysi: Vel causam antecedentem, vt cùm adsunt dispositiones, quæ præcedunt has effectiones. Hæc προφυλακὴ potius, illa θεραπεία dicitur.

In paroxysmo ergo epileptico, prestandum est, vt cùm sit morbus in fieri, prohibeatur, ne compleatur, & fiat morbus confirmatus, quod iis perficietur, quæ humorem in cerebrum irruentem, ac venenata qualitate & copia vim illi intentantem, reuellunt atq; educunt ad os & nares, cerebrumq; tum roborant ad luctum cum humore infestante, tum præmuniunt cōtra venenatam eiusdem qualitatem. Conueniet ergo vsus eorum, quæ tum à proprietate, tum qualitate euidente arcent & profligant fugantve epilepsiæ causam, siue à collo suspendantur, siue in os naresque indantur, siue epithematum, vnguentorum, emplastrorum, tegumentorum, vel quacunque alia forma foris applicentur vel imponantur. Cùm autem sit morbus communissimus & frequentissimus, multa habentur in vsu & experientia obseruata remedia, quæ cùm in practicorum libris recenseantur, vniuersa in hoc loco enumerare supersedeo. De collo su-

De collo suspendenda.

lo ſuſpenduntur *grana & radices pœoniæ, globuli ex ſuccino, vel gagate, vel viſco quercino, quod ſit iuſto tempore collectum, corallia.* Commendantur & *ſmaragdi, & iaſpides, aeruzuſæ,* Turckis, *& lapilli, qui reperiuntur in diſſectis pullis hirundinum gemini, alter nigricans, alter albens colore.* Item *chryſolitus.* Apponuntur autē vel vſurpantur ad ſuffitus *vngulæ aſini, vel vngulæ alcis,* Elendsklawen/ *ſcobes ſuccini.* Ad tegumenta *corium lupi,* præſertim circa caput & caudam, aut *capræ.* *Suffitus.* *Tegumenta.*

Iniiciuntur naribus ſucci, olea, aquæ, pulueres *rutæ, nigellæ, pyrethri, hyſſopi, ſuccini, caſtorii, aq. vitæ, dilutum floru̅ lauendulæ aut lilii conuallii.* Item *oleum nucis myriſticæ, ruta cum aceto.* In os induntur *theriaca, mithridatium, ſpecies diacaſtorii, diagalangæ, diamoſchi dulcis, aurea Alexandr.* His lingua fricetur. Dantur ad deglutiendum cùm ex his commemoratis pleraque, tum *pulueres monoceroti, cornu cerui, cornu alcis, cranii humani,* vel *cranii mumiati cum aquis florum liliæ, aut hyſſopi, aut rutæ.* Item conueniunt *conditæ radices pœoniæ, hyſſopi, pyrethri.* Item, *ſyrupi de hyſſopo, de ſtœchade, oxym. ſimpl. compoſ. ſcyllit.* Ad ſuturam coronalem applicātur emplaſtra cōfecta ex iiſdem ſpeciebus: ſed ante omnia aluus aperiatur clyſtere, ſi iniici poteſt, vno atq; altero, quo alleuetur virtus cerebri aliqua parte materiæ reuulſa & detracta. *Iniicienda per nares.* *Per os.*

Si clyſter adhiberi non poteſt, vſurpetur glandula acrior formata ex melle & ſpeciebus hieræ, aut ſimplicis aut cōpoſitæ: aut fortioribus etiam pro ægroti viribus & ætate. Neque intermittantur frictiones extremorum & ligaturæ, adhibitis iis, q̄ ſ in cephalalgię curatione expoſita ſunt. Deniq; nihil eorum omittatur, quæ vel cerebri virtutē expultricem extimulent, roborent & adiuuent, vel confe-

conferant ad reuulsionem & diminutionem materiæ infestantis.

Curatio. Epilepsia à consensu stomachi.

Si à consensu stomachi epilepsia fuerit, prouócetur in ipso paroxysmo vomitus & enemate subducatur aluus. Vniuersim autem medicamentis omnibus, quæ in epilepsia adhibentur, ea misceantur, quæ proprietate quadam respiciunt cerebrum, quorum catalogum *supra* recensuimus.

Extra paroxysmum tota curationis ratio est προφυλακὴ, qua præstandum est, vt præcisis occasionibus omnibus accumulandæ nouæ materiæ, ea, quæ congesta ante sunt, educantur ex corpore & capite, & cerebrum exoneratum roboretur, ne vel gignat, vel aliunde transmissos recipiat halitus, aut humores, qui densati & crassescant & lentescant, & aucti copia nouos paroxysmos commoueant. Nec consideratio ætatis negligatur, de qua *supra* dictum est. Item morbi, an videlicet congenitus & hæreditarius, vel non. Expedientur autem hæc omnia, quæ ad præseruationem pertinent, administratione recta & conueniente sex rerum non naturalium, atque inprimis diætæ & studiorum ratione & medicamentis. Caueantur intempestiua studia, vt nocturna & à sumto cibo, & quæcunque cerebrum debilitant, vel cruditatum sunt causæ. Omnes etiam animi vel intentiones, vel commotiones vehementiores. Vitentur autem, quæ caput replent, & succos gignunt aut pituitosos, aut melancholicos crassos. Deinde ea, quæ proprietate quadam epilepsiam inferunt, sicut *Galbanum odore, & cornu capræ incensum suffitu apium esu vel potu.* Prohibeantur etiam omnes immodicæ & intempestiuæ ingurgitationes cibi & potus.

Quæ proprietate quadã epilepsiam inferant.

potus. Cibus & potus sint ex iis, quę gignunt bonum succum, & suauiter corpus rigant citra redundantiam superfluorum, plus tamen declinet ad siccitatem tota victus ratio, si sit epilepsia à pituitoso humore; Ad humiditatem verò, si sit à melancholico. In calore sit συμμετρία. Cumque materia epilepsiæ semper sit crassa, frigida, alias humida viscida, alias sicca, nonnunquam plus, quandoque minus lentoris habens, danda est opera, vt ad coquendam & exęquandam materiam assumantur non tantùm calida attenuantia, sed & incidentia & abstergentia, & quę emolliunt naturam, vt fiat fluida & obsequentior. Primum itaq; venter leniatur vel pharmaco *supra* assumpto, vel iniecto subtus enemate, quale est, quod ℞ *Brodii carnium* ℔ *j. vel plus, olei communis* ℥ *iij. mellis rosati colati, sacchari rubei ana* ℥ *j* ß. *cassiæ* ℥ *j. salis parum:* vel sumatur pro cassia, *benedicta pondere* ℥ ß. *aut* ʒ *vj.* vel fiat decoctio *ex maluis, blito, mercuriali, furfuribus, chamomelo, meliloto, sem. anisi, fœniculi, cumini & cum cassia, benedicta, & oleo cham. fiat enema.* Postea, etsi in neruorum morbis præsertim frigidis non conuenit phlebotomia multis de causis, tamen si corpus sit plethoricum, & venæ capitis rubeant, tumeant & caleant, potest aperiri vena tùm interior in pedibus circa malleolos ἀντισπάσεως causa, tùm exterior seu humeraria seu cephalica cubiti παροχετεύσεως, id est, deriuationis ratione. In quo tamen respiciatur ad ætatem, constitutionem corporis & vires.

Enema.

Phlebotomia.

His peractis ad humorem crassum & frigidum accedendum est. Coctione humor præparetur ad euacuationem, & fiant præparationes & eua-

cuationes plures alternatim, & per vices, vtrisque secundo, tertiovè aut quartò etiam iteratis, pro morbi ratione, & intermixtis etiam roborationibus, vt quę altè insedit ac continua est, materia extirpetur, ac cerebri virtus sese confirmet. Ad præparationem conuenient *syrupi de hyssopo, de stœchade, oxymel simplex, compositum, scylliticum vel rosatum, & diluantur hæc aquis conuenientibus, vt hyssopi, betonicæ, saluiæ, buglossæ, rutæ &c.* Aut *decoctis præparatis ex radicibus, & seminibus pœoniæ, rutæ, hyssopi, cubebarum, nucis myristicæ, & similium*, in quibus progressu temporis dissoluatur aliquid *castorii.* Possunt & ad præparationem decocta parari ex herbis, *ruta, saluia, maiorana, hyssopo, polio, origano, calamentho: florib. anthos, stœchados, radicib. fœniculi, Ireos, acori, hyssopi, cyperi, aristolochiæ rotundæ, veræ, pœoniæ, galangæ, pyrethri, visco quercino, seminibus ameos, anisi, fœniculi, seseleos, basilici, pœoniæ, glyzyrrh. rasæ, passul. enucleatis, nuce myrist. cubebis:* quibus eductionis causa aliquid misceri poterit de *agarico & turbith.*

Preparantia.

Euacuatio. *Pilulæ.* *Electuaria.*

Euacuatio fiat tum suprà assumptis, tum enematis. Supra conueniunt pilulæ *de hiera simpl. de hiera cum agarico, aureæ, mastichinæ, aggregatiuæ, cochiæ fœtidæ.* Ex electuariis *elect. lenitiuum, hieræ simpl. hieræ compos. diaphœnicon, electuarium Indum, hiera logodion, diaturbith, & similia*: præmissis semper lenioribus ac mitioribus, Enemata seu clysteria decoquantur ex herbis, radicibus & seminibus accommodatis; quale est: ℞ *Fol. Maluæ, Altheæ,*

Enema.

Mercurialis, Violariæ,
Stœchad. Arab. ana M. ß.
Flor. Chamomæli,
Betonicæ,

Saluiæ,

Saluiæ,
Lauendulæ,
Rutæ,
Sambuci ana M.j. fiat decoctio.

De colatura ℞ ℔ j. *in qua dissoluantur hieræ compos.* ℥ j. *olei rutæ* ℥ iij. *facchari rubei* ℥ j ß. *vitellum oui num.j. salis communis* ʒ iij. *fiat enema.*

Aut si fuerit opus fortiori enemate, poterit tale adornari:

Aliud.

℞ *Herbarum Maluæ,*
Bliti,
Mercurialis,
Polii,
Saluiæ,
Rutæ,
Hyssopi,
Calamenthi,
Centaurii minoris ana M j.
Seminum Seseleos,
Anethi, Anisi,
Carui,
Basilici,
Pœoniæ ana ʒ ß.
Furfurum ligatorum in petia P j.
Radicum Aristolochiæ rotundæ, veræ,
Ireos ana ℥ß.
Radicum Galangæ;
Cyperi ana ʒ ij. *fiat decoctio.*

De qua ℞ ℔ j. *in qua dissoluantur elect. hieræ compos.* ʒ vj. *diaphœnicon aut benedictæ laxatiuæ* ℥ ß. *olei rutæ* ℥ iij. *mellis* ℥ ij. *salis* ʒ iij. *Fiat enema.*

Hæc varianda sunt pro ætatum, cōstitutionum virium conditione.

Peractis ergo euacuationibus singulis, quæ toties iterandæ erunt, quoties fuerit opus, exhibeantur, vt dixi, roborantia, quæ conficiantur ex *conseruis Diacori, stœchados Arabicæ, lauendulæ, saluiæ, pæoniæ, betonicæ, Iuæ arthetic æ, chamæpytheos veræ, anthos, mithridatio, theriaca, aurea Alexandrina*: pulueribus rerum à proprietate valentium, quæ *paulò antè* sunt enumeratæ: Item ex speciebus *confectionum, plirisarcotici, dianthos, diamoschi dulcis, diagalangæ, diacastorei diamargariton, elect. de gemmis*: Vt ℞. *Pul. granorum & radicum, pæoniæ, visci quercini, dictami albi*, id est, *fraxinellæ, tormentillæ ana* ℥ j. *nucis myristicæ, vnicornu*, vel *cornu ceruinum, alces, margaritarum mundatarum non perforatarum ana* ℈ ij. *cranii humani* ℥ j. *specierum diamoschi, plirisarcotici ana* ℨ j ß. *Misce fiat puluis*. Vel additis *conseruis diacori, pæoniæ, anthos, pondere ana* ℥ j ß. *cum syr. de hyssop. fiat elect.*

Roborantia. *Puluis.* *Electuarium.*

Externa. His tentatis lotiones extremorum, ligaturæ & frictiones fiant. Deinde applicentur topica, errhina, apophlegmatismi, odoramenta, suffitus, vnguenta, emplastra, fomenta, cerebri prouocantia sternutationem, ex iis, quæ dicta sunt *in capite Cephalalgiæ*, quibus tamen semper misceantur, quę à proprietate valent, vt aliquid *rutæ, pæoniæ, castorii, nucis myristicæ, cubebarũ, assæ fœtidæ*. Hæc si nihil profecerint, accedendum est ad synapismos & dropaces: Ab his ad cauteria actualia, vt sunt ferrum ignitum, vel argentum vel aurum: Et potentialia, quorum vnum suturæ coronali; alterum ad primam aut secundam colli vertebram, qua capiti committitur: tertium infra genua, ad exteriorem suræ partem intra duos externos musculos applicetur, quale est illud Rhasis:

℞ Sy-

℞ *Synapis*, *Cauterium Rhasis.*
Piperis,
Euphorbii, ana ʒ ij.
Mellis anacardini q. s. est. Vel quale est, quod fit *ex melle anacardino, cantharidibus abscisis alis & capitibus, fermento & aceto fortissimo.* Item *ex calce viua, & sapone nigro cum succo asphodelorum.* Vulnus teneatur apertum per mensem vnum aut alterum, prout erit opus, postea solidari poterit vulnus, aut vnguento de cerussa, quod fit *ex bolo armenico, sanguine draconis, terebinthina & oleo rosarum:* aut fiat vnguentum tale: *Vnguentum de Cerussa.*

℞ *Aristolochiæ*, *Vnguentum.*
Ireos,
Myrrhæ,
Olibani,
Sarcocollæ, ana ʒ j ß.
Dragacanthi,
Gummi Arabici,
Sanguinis draconis ana ʒ ß.
Cerussæ lotæ,
Lithargyrii infusi in aceto per noctem ana ʒ ij.
Olei rosati ℥ iiij.
Ceræ q. s. est, fiat vnguentum.

Si fuerit melancholica, (crassa, sicca, qualis est humor melancholicus) instituatur curatio, quæ in *cap. de Melancholia* tradita est, vel his iam expositis misceantur, quæ humorem melancholicum crassum propriè respiciunt in præparatione & euacuatione. Simul tamen adhibeantur, quæ lienem roborent & ventriculum. Qualiscunque enim fuerit epilepsia, siue κατ᾽ ἰδιοπάθειαν extiterit, siue κατὰ συμπάθειαν, à ventriculo, semper duo- *Curatio epilepsiæ melancholicæ.*

bus his membris roborandis, cerebro ſcilicet & ventriculo, principaliter intendendum eſt.

Curatio epilepſiæ per conſenſum. Si epilepſia fiat per conſenſum, κατὰ συμπάθειαν dirigatur medicatio ad membrum vtrumque, ad mandans, à quo eſt origo mali, vt ad ventriculum, aluum, matricem; Ex his enim frequentius prouenit, & ad recipiens membrum, cerebrum, in quod excommunicatione erumpit malum. Ventriculus corruptis cibis vel humoribus, qui in eum ex venis confluunt; (quod non rarò fit) aluus vermibus & ex detentione & coaceruatione fœcum, putrefactis materiis; Matrix autem ſemine corrupto, aut iis humoribus, qui fluxu menſtruo conſueuerunt euacuari, cerebrum infeſtat regurgitatione fœtidorum & malignorum halituum. Quodcunque verò membrorum horum cauſam epilepſiæ dederit, illud à vitio humorum, cui obnoxium eſt, exactè debet repurgari, hoc modo tamen, vt medicamentis ad illud membrum directis ſemper miſceantur, quæ morbum ipſum & cerebrum peculiari proprietate reſpiciunt, vt ſi à ventriculo malum oriatur, à quo qui-

A ventriculo. dem exiſtit frequentius, præmiſſa vomitus prouocatione aut lenitione alui cum *floribus caßia, elect. hieræ ſimplicis, pulueribus granorum & radicum pœoniæ* coquatur materia in ventriculo, vel decoctionibus, vel ſyr. quorum virtus penetret & pertingat etiam in venas, vnde crebrò materiæ in ventriculum decurrunt, vt ſunt *ſyrup. de betonica, de mentha, de calamentho, oxymellis genera, mel roſatum*, & diluantur conuenientibus aquis, quales ſunt *betonicæ, meliſſæ, menthæ, ſaluiæ, buglosſæ.* Poſtea euacuetur cum *electuario Indo, diaphœnicon, diacatholicon*

dia-

diasena & similibus. Aluus crebrò subducatur clysteribus, vt qui attollere sese & cerebrum petere consueuerunt, halitus retracti descendant. Cerebrum muniatur, vt arceat & repellat halitus appulsos. Post euacuationem ventriculus roboretur *confectionibus aromatici rosati, diacori, diagalangæ, diaireos, plirisarcotici, additis pulueribus pœoniæ, nucis myristicæ, macis, cariophyllorum, cubebarum, castorii & similibus.* Quibus si non fuerit excisa causa, decurratur ad cauteria. Crebrò enim excurrens epilepsia per consensum tandem conuertitur in ὑδιοπάθειαν. Et à quocunque membro initium sit mali, si hoc Medicus exploratè norit, cauterium in ipso loco affecto adhibitum inhibebit paroxysmum. Tantum de epilepsia. Sequitur nunc cura apoplexiæ, cum qua paralyseos curam coniungemus.

DE CVRATIONE APOplexiæ & Paralysis.

DE apoplexia fit in conspectu Aphor. Hippocr. *Apoplexiam fortem soluere, impoßibile est, debilem verò non facile.* Est enim apoplexia ex genere morborum acutorum, (sicut dictum est,) quod soluitur crisi perfecta, vel imperfecta semper; λύσει seu solutione, quæ paulatim fit, nunquam si crisis mala sit, interimit ægrum, vt in apoplexia forti aut leui materia succumbente; si bona sit, liberat ægrum & à mortis periculo & à morbo, cum manifesta expulsione materiæ, quæ obstructionem fecit. Imperfecta crisis apoplexiam perducit *Sectio. 2. aph. 42.*

ſemper ad paralyſim, vel ſolam, vel cum morbis aliis coniunctam, vt ad aſthma, materia depulſa ad pulmonem; & paralyſim quidem aut totius, dimidii lateris: aut omnium inferiorum partium ſine vlla euacuatione materiæ; quæ eſt criſis imperfecta non bona; aut ad paralyſin partium ignobiliorum cum ſenſibili expurgatione bonæ partis materiæ, quę eſt criſis bona, & ſpem bonam præbet de reſtitutione & conualeſcentia.

In forti itaque apoplexia nihil tentet medicus, aut ſi tentauerit, faciat hoc cum prædictione præſentis mortis. In leui adhibeantur omnia, quæ reuellendæ, detrahendæ, deriuandæ & euacuandæ materiæ, à qua eſt obſtructio, conueniunt, quæq; cerebri virtutem expultricem extimulant ac roborant.

Tota autem curatio debet dirigi ad cauſam cõiunctam, vel continentem, ſcilicet, vt vel tota materia, quæ obſtruit, vel parte aliqua eius exhauſta vel depulſa ad vnam aliquam partem, æger à præſenti periculo ſuffocationis liberetur. Si ergo fuerit ab humoribus intra venas concluſis, mox detrahatur ſanguis ex vena cõmuni, & iteretur paulò poſt ex eadem, vel aperiatur cephalica in brachio vtroque, & educatur ſanguis, copia pro ratione plenitudinis, & virium; poſtea clyſteribus, frictionibus, & aliis, quæ iam dicentur, tentetur reuulſio ac diuerſio. *Venæ ſectio.*

Si extra venas fuerit materia, ſtatim aluo iniiciatur clyſter acutus, vt: *Clyſter.*

℞ Herbarum Mercurialis,
Chamomeli, Aniſi, ana M.ß.
Saluiæ,

Flor.

Flor. Hyssopi,
Stoechados,
Centaurii minoris,
Betonicæ,
Rutæ an. M j,
Radicum Aristolochiæ rotundæ,
Galangæ,
Cyperi an. ℥ iij,
Agarici candidi,
Pulpæ colocyntidos an. ℥ ij,

Agaricum & colocynthis ligentur in petia & simul decoquantur in s.q. aquæ ad consumptionem partis dimidiæ. colaturæ. ℞ ℥ x. *In qua dissoluantur hiera logodii, hieræ, compos. an.* ℥ *s. vel an.* ʒ vj. *Mellis rosati colati* ℥ ij; *Olei de ruta* ℥ iij *vitellum oui n. j salis gemmæ, armoniaci an.* ʒ j *fiat enema.* vel fortius, vt:

℞ *Chamomali,* *Enema fortius.*
Rutæ,
Anethi,
Saluiæ,
Origani,
Calamenthi,
Centaurii minoris an. M j.
Stoech. arabicæ,
Furfurum,
Mercurialis an. M ß.
Carthami excorticati ℥ j.
Agarici candidi,
Pulpæ colocyntidos an. ʒ ij.
Turbith boni & gummosi ʒ j ſ.

His ligatis in petia fiat decoctio cum herbis ad consumptionem dimidiæ partis. In colaturæ ℥ x *dissoluantur benedictæ* ℥ *s. Hieræ comp.* ℥ j *salis armoniaci* ʒ j *s. Olei de castorio,*

rio, de ruta an. ℥ j ſ. *Mellis roſ. colati mellis ancard. an.* ℥ j. *vitellum oui numero* j. *Fiat enema.*

Glandes. Apponantur & ſuppoſitoria per vices ex *cocto melle, additis pulueribus hieræ ſimp. agarici, colocynthidos, diacridii.* vel ex *felle bouis & ſapone albo, cum vel ſine melle,* vel ex *melle, agarico, euphorbio & oppopanace.*

Simul autem fiant fortiſſime frictiones extremorum & ſubitæ conſtrictiones crurum & brachiorum, ſupra cubitum & genua cum ingẽti, dolore; Et cucurbitæ infra genua in parte carnoſa attritu forti confricatis inprimantur cucurbitæ cum ſcarificatu. Simul frictio fiat infra nates cum impoſitione cucurbitarum & fiat paulatim aſcenſus fricando ad ſcapulas vſque. Nihil enim melius *Frictiones.* reuellit, neque educit fortius materias in capite cõtentas.

Hæc dum peracta ſunt, & peraguntur mox ꝓpius capiti medicamenta applicentur, & ſi facultas digluttiendi reliqua fuerit, mox exhibeantur pilulæ ex *cochiis fœtidis, aureis inter ſe mixtis parata.* *Pilulæ.* Cum enim morbus ſit acutiſſimus, mox inter initia remedia extrema ex periri oportet, non exſpectata coctione.

Si nequeat æger deglutione vti confricetur lingua cum theriaca, aut mithridatio, vel ſaltem indantur illa in os, vt liquefiant, aut ſola aut cum *infuſione florum lilii conualli, vel lauendulæ, vel aqua vitæ,* quorum ſubtilitas ſeſe ſubito diffundens ac penetrans virtutem theriacæ defert in cerebrum. *πταρμικα.* Prouocetur & ſternutamenta cum iis, quæ fiunt ex *rad. herbæ lanariæ, pipere albo & nigro, caſtorio & ruta,* vel ex *nigella, ſynapi & aloë,* quibus ſi acuere vim purga-

purgatricem velimus, addere possumus, *de colocynthide & euphorbio* & ea vel puluerum, vel alia figura in nares iniicere. Si reliqua sit facultas deglutionis, crebro instilletur aliquid *de syrupis iuæ, byssopi, oxymellis comp.* in quibus aliquid *castorii* dissoluatur & *assæ fœtidæ*. Item *de elect. vario* quod sit confectum ex speciebus *diamoschi amari, diacastorii, diagalangæ, cum theriaca & syr. de hyssopo vel iua, vel stoechade.* Fricetur etiam & inungatur tota spina dorsi cum vnguento ex speciebus *diagalangæ, puluere vermium terrestrium præparatorum, castorio, theriaca, & oleo costino, de sulphure*, non negligantur etiam in hoc casu emplastra & vnguenta ad caput; præmissis tamen his omnibus, quæ exposita sunt *supra*; quale est emplastrum Rhasis, ex *synapi, castorio, aceto, cera, oleo costino vel de euphorbio, aut simile aliud ex Galbano sagapeno, oppopanace euphorbio synapi, castorio, tribus generib. piperis, sulphure, terebinthina, & gūmi dissoluantur in oleo de castorio,* & extendatur tale emplastrum super corium, pilei forma & induatur capiti: Vnguentum parari potest ex iisdem, vt ex *pulueribus, pyrethri, omnium generum piperis, euphorbii, castorei, sulphuris, aceti, costi, sem. seseleos, basilici, squinanthii, oleo chamomeli, nardino, liliaceo, rutaceo, cum cera & aceto*, quo inungatur totum caput. **Emplastr. Rhasis.**

⁂

DE CV-

DE CVRATIONE PARALYSIS.

Apoplexia raro ex toto soluitur, vt plurimum aut desinit in paralysin, si sit leuis; *Paralysis enim, vt dixi, omnis vel ad apoplexiam consequitur vel exaucto & in grauescente nascitur stupore.* Vtrarumque igitur præcedat affectio, si corpus ratione plethoræ exegerit aut concesserit aliquam sanguinis detractionem, fiat ea ex latere, quod è directo oppositum est lateri affecto, vt ex affecto materiæ retrahantur & euacuentur, siquidem paralysis aut totum dimidium latus, aut omnia infra caput aut dimidiam partem tantum eorum, quæ sunt infra caput, aut particularia membra corripit. In paralysi itaque lateris dimidii aut inferiorum omnium, si fuerit suspitio aut de secutura apoplexia, aut de paralysi reditura in apoplexiam, prorsus eą fiant, quæ in apoplexia, clysteribus fortibus & pilulis, reuellatur & euacuetur materia, non expectata coctione, & iterentur illæ euacuationes; fiant & frictiones fortes ac ligaturæ extremorum; in quib. hoc semper obseruetur, *vt inter initia pars non affecta fricetur fortissimè, læsa lenissimè nec amplius, nisi quantum satis est. inter initia ad excitandum calorem, quo digeratur ac discutiatur materia, quæ influxit*, nec alte insideat ac figatur. Forti enim frictione ex impuro & repleto corpore plus materiæ attrahitur, & quod tenue est, resoluitur; quod crassum, induratur atque cōfirmatur. Exhibeantur & ea, quæ concoquunt aliquantulum, vt sunt *syr. de hyssopo, de stoechade, oxymellis genera, mel rosatum*, & decoctiones ex appropriatis ante dictis *in cap. de cephalalgia & de apoplexia*, quibus semper aliquid addatur de *tua arthetica*, & de

Vena sectio.

Concoquentia.

herba paralysis. Deinde præbeantur pilulæ cochiæ, fœtidæ, aureæ; de hiera cum agarico.

Denique & topicis & synapismis & cauteriis ea fiant, quæ *in capite de apoplexia* exposita sunt, vt prohibeatur, ne in apoplexiam paralysis aut degeneret, aut reuertatur; tandem periculo depulso, quod ab apoplexia imminet, cōcoquatur & educatur materia paulatim & per vices eodem modo, vt in apoplexia, additis herbis *iua arthetica, & paralysis* ad reliqua apoplectica, quæ vim coquentium & purgantium ad neruos deducunt. Addantur & quæ cerebrum roborent ac neruos, vēter cerebro proluatur clysteribus & roborantia intermisceantur, quę & ante cibum mane ac vesperi & in ingressu lecti sumantur. Huiusmodi euacuationes fiant etiam in particulari paralysi siue pars vna, sine plures fuerint affectæ, vt brachia, crura, lingua, oculi, facies, digiti &c.

Peractis euacuationibus & roborationibus vniuersalibus & partium principalium, reliqua cura dirigatur ad partem affectam, in qua hoc obseruetur, quod toties admonet & inculcat Galenus, *vt fons & sedes mali consideretur*, an scilicet sit in neruis tantum, toto ipsorum progressu, principio non affecto; an vero sit in principio & radicibus neruorum, neruis alioquin, toto progressu nihil detrimenti patientibus. Denique an sit in ipsa spinali medulla, vbi neruorum est exortus, neruis neque ad radicem neque in progressu, affectis. Topica vero tum membro resoluto, tum ipsi principio, vnde nerui procedunt, applicentur. In quibus rursum hoc obseruetur, *vt neruosis partibus omnibus frigidum est inimicum*; Ita nocere eisdem nimis calida,

quæ

quæ nimium deſicando neruos, perducunt eos ad ſpaſmum ex inanitione. Quare miſcenda ſemper erunt, quæ neruos roborant moderata adſtrictione, & ſimul etiam nonnihil emolliunt ac prohibent nimiam arefactionem. Fiant ergo frictiones ſpinæ & reſolutarum partium, & poſt frictiones adhibeãtur emplaſtra & vnguẽta, embrochæ, fomenta, (omnis generis, arida & humida:) balnea, ordiendo initio à mitioribus & paulatim accedendo ad fortiora, donec tandem ſi res exigat perueniatur ad fortiſſima. Commendantur autem *oleum liliaceũ, laurinum, aſtiuũ, de euphorbio, de caſtorio, de piperibus anacardinũ, coſtinũ & præcipue vulpinum*; Item *de ſuccino*, quib. ſemper addatur aliquid *olei chamomælini* aut *amygd. dulc.* & nunquam omittatur *Maſtichinum*. Poterit itaque confici tale vnguentum,

[Vn]guentum. ℞ *Olei communis antiqui* ℔.ſ.
Ceræ rubeæ ℥ j,
Diſſoluatur cera in oleo ad ignem, poſtea iniiciantur euphorbii ℥ ſ. *Caſtorii* ℥ ij; *Fiat vnguentum.* Item

[Al]iud. ℞ *Pingued. ſerpentis* ℥ ij,
Succi centaureæ ℥ ſ,
Pulueris rad. capparum,
Pyrethri,
Euphorbii,
Caſtorii an. ʒ ſ,
Ceræ q. ſ. Fiat vnguentum. vel

Aliud. ℞ *Succi ſaluiæ,*
Abſynthii,
Maioranæ an. ℥ j,

Emplaſtrũ. *Bacc. lauri,*
Caſtorei an. ʒ v. *olei iuniperi, de ſuccino vnguenti Marciati,*

tiati ℥ *ß. ceræ rubeæ* ℥ *v. aceti parum, misce, Fiat emplastrũ.* Conuenit & *vnguentum de bdellio mesue*, & *emplastrum de synapi* eiusdem. Fomenta & euaporationes ex iisdẽ parari possunt, ex q̃bus balnea, *vt ex decocto herbarũ chamomæli, stoechados, sambuci, saluiæ, origani, pulegii, herbæ paralysis, Ivæ.* In quo decocto extinguatur ferrum ignitum. Valent etiam sulphur, synapi, stercus columbarum & vniuersim, quæ cum confortatione quadam partem resolutam desiccant. Prosunt & thermæ naturales plurimum, præsertim sulphureæ aluminosæ, ferreæ & post balnea conducit vsus theriacę, mithridatii aut confectionis anacardinæ.

Præseruatio. Ad προφυλακὴν cõfert diligenter euacuare corpus obnoxium resolutioni singulis quatuor anni temporibus aut ad minimum duobus. Et post vniuersalem euacuationem singulis septimanis & diebus singulis ante cibum & introitum lecti exhibere roborantia *supra* dicta.

DE SPASMO, TREMORE, Rigore, Palpitatione & reliquis cognatis symptomatibus.

ABsoluimus symptomata sensui & motui communia & tradidimus curationem morborum, ad quos ea consequuntur. Nunc de affectionibus neruorum dicemus, ad quæ symptomata consequuntur motui voluntario propria, quem vocant κίνησιν προαιρετικὸν & κατὰ προαίρεσιν, & καθ' ὁρμὴν & κατὰ βούλησιν. Seruiunt autem motui voluntario organa nerui, musculi, chordæ, articuli

Organa motui voluntario inseruientia.

culi

culi.membra. Tria priora trahunt & impellunt incitata à principio animali; & sese ordine mutuo impellentia. Posteriora duo trahuntur vel adducta vel laxata atque extensa, vel intensa. Est enim motus voluntarius omnis aut κατὰ φύσιν, aut παρὰ φύσιν. Voluntarius motus secundum naturam fit tribus modis; musculis membra aut inflexa adducentibus, aut remissa dirigentibus in recta, aut procul à corpore porrecta sustinentibus, ne concidát qui motus vocatur τονικὴ κίνησις, & constat duobus contrariis motibus, quorum & robur est par, & æquales sunt vires, sed in diuersa tantum scilic. virtute attollente membrum, quantum sua grauitute trahitur deorsum, membro inter vtrumque motum immobiliter velut rigente. Fiunt autem hi motus secundum naturam, cum recte trahentibus organis virtus, quæ ex cerebro & spinali medulla defluit, non languida, nec imbecillior iusto, neruos musculosque vibrat & quatit, & impulsi musculi contractione aut laxatione sui, membra, in quæ defiguntur, vel per se vel per intermedios tendines, mouent. Si autem organa sint affecta aut elanguerit virtus, aut vtraque imbecillitas aliqua occuparit, oboriuntur & eueniunt motus παρὰ φύσιν. Quorum discrimina vt exactius intelligantur, distinguemus motus προαιρετικοὺς παρὰ φύσιν ex Galeni sentétia: *Motus volũtarii præter naturam omnes sunt aut ἁπλῶς παρὰ φύσιν, aut οὐχ ἁπλῶς. Qui simpliciter sunt præter naturam, duorum sunt generum; vnum est eorum qua sunt ἄνευ προαιρέσεως, καὶ οὐ κατὰ φύσιν, vbi nulla præcedente doliberatione, neque à principio accedente ve animali organa solius morbi vi coguntur ad motum, natura nihil conferente, nisi affectorum organorum vsum.*

Huius

Huius generis sunt ſpaſmus ſeu cõuulſio, παλμὸς ſeu palpitatio, & ῥῖγος ſeu niger. *Alterum genus eſt, quod fit κατὰ προαίρεσιν quidem, ſed non κατὰ φύσιν vbi à principio animali & à deliberatione organa voluntarii motus impelluntur & agitantur, ſed motus non fit ſecundum naturam; eò, quod cum principio animali affectio morbida præter naturam ſimul agit,* id eſt, perficitur ab animali virtute affecta & languente vel preſſa, ſiue in ſolo principio, ſiue in organis ſolis, ſiue in vtriſque ſit vitium. Ex hoc genere eſt τρομὸς ſeu tremor. Motus voluntarii non ſimpliciter præter naturam, ii dicuntur; *qui tantum cauſæ incitantis reſpectu ſunt præter naturam;* Efficiuntur enim ab ipſa natura per organa ad hunc vſum deſtinata, ſed cauſa morbida impellit ac velut cogit naturã violẽter ad tales mot⁹, quib. natura ſeſe exonerat & exoluit atq; expedit à cauſis infeſtãtib. vel ſunt velut potius lucta naturæ cũ cauſa p̃ter naturã, in cui⁹ expulſionem irritata incumbit. Ex hoc genere ſunt χάσμαι ſeu oſcitationes pandiculationes; extenſiones omnium membrorum corporis, tuſſes, ſtridores dentium, inquietudines &c.

DE SPASMO.

SPaſmus, quem conuulſionem vocant, *eſt neruorum muſculorum verſus originem ſuam inuoluntaria contractio, qua membrum, in quod muſculus inſeritur, ſimul adduci etiam & contorqueri neceſſe eſt mutareque figuram naturalem, & vehementiſſimo affici cruciatu* qui prout ſeuior eſt, mitiorve; ita vires vel affligit, vel proſternit. Ac ſemper membrum in eum ducitur ſitum à conuulſione, in quem ducitur à natura ipſa, ſed præter voluntatem. Tendi itaque neruos *Spaſmus quid.*

 & muſ-

& musculos atque ad sua principia reuelli, vtrisq; sanis & conuulsis commune est, sed his præter naturam & inuoluntarie accidit καὶ ἀπροαιρέτως cum dolore, Illis secundum naturam & κατὰ προαίρεσιν sine dolore. Idcirco spasmus symptoma est ex generibus deprauatæ motionis, cuius causa est affectus præter naturam in cerebro, vel spinali medulla, vel neruis & musculis, aut καθ' ἰδιοπάθειαν, aut κατὰ συμπάθειαν. Affectus καθ' ἰδιοπάθειαν, ad quos sequitur conuulsio, complexus est Hipp. *6. Aph.* 39. cum inquit; *Conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione, sicut & singultus.* Ab vtraque enim causa nerui velut coëuntes ac decurtati contrahuntur, vt in chordis vel ambiente aëre humidiore imbutis atque impletis vel ad ignem aut solis calore exiccatis atque ariditate corrugatis aut contortis cernimus. Conuulsioné per cõsensum Gal. obiter attingit in *5. Aph.* 1. *& in 3. de loco aff.* Cum ergo ex repletione & conuulsio, affectus ipse est repletio, id est, emphraxis seu obstructio. Causa continens est humor obstruēs vel flatus. Nã & flatus insiliens in neruorum poros conuulsioné efficit, q̃ sola sæpe frictio, flatu discusso sedat. Causæ antecedẽtes & προκαταρκτικαὶ sunt, phlegmone, ebrietas, crapulę, suppressę euacuationes, intermissę exercitationes, fitq; repente ac subito. Cum ex inanitione, morbus est δυσκρασία, id est, ariditas & siccitas neruorum, quæ efficitur vel ab ardente febre, vel ab inflammatione, vel ab ellebori aut alterius medicamenti purgantis potu, vel ex nimia sanguinis profusione; vel ab immodicis vigiliis, vel à labore immedico, fitque sensim ac longo tempore neruis exarescentibus. De conuulsione ex potu medicamenti

Conuulsio ex repletione.

Ex inanitione.

menti purgantis notus est 5. *Aph.* 1. *Ab ellebori potu conuulsio lethalis.* Ita de immodicis ęstibus loquitur: 7. *Aph.* 13. *A vehementibus æstibus conuulsio autem distensio malum.* Et 2. *Aph.* 26. *Febrem conuulsioni superuenire melius est, quam febri conuulsionem.* Ratio manifesta est, quod calor febrilis absumit & exhaurit humiditatem solidarum partium, quæ aut nunquam, aut rarissime restitui aut instaurari possunt. Contra 4. *Aph.* 57. inquit: *Si conuulsioni aut neruorum distensioni febris superuenerit, sequi solutionem,* Idque de conuulsione ex repletione intelligendum est, quam sanat febris humorem neruos replentem consumens ac discutiens calore suo. Efficit spasmum inanitionis & frigus externum compressione ac constrictione pororum, elidens calorem ac spiritus & humidum tenuius exprimens. Hæc cõuulsionis species minus habet periculi, quam altera, quam excitat calor desiccans; Nam frigus etsi impellit cum calore tenuius humidum, crassius tamen non exhaurit, sed densat tantum, ac velut congelat. Illud vero calore liquefactum ac resolutum rursus sese diffundit. Quare quæ à frigiditate est ariditas neruorum, actu quidẽ talis, potentia verò humida est; à calore vero excitata, actu & potentia talis est, & si confirmata sit, corrigi nulla humectatione potest. De frigido ergo inq͂t Hip. 5. *Aph.* 17. Frigidũ *conuulsiones distensiones, liuores & rigores febriles efficit* sc. hoc modo quo dictũ est, p accidẽs n. interdũ cõuulsiones frig⁹ sanat, q͂ sunt ex repletione, sicut eidẽ Hip. 5. *Aph.* 21. *Nonunquã in tetano sine vlcere in iuuene bene carnoso & ætate media, frigidæ aq͂ multa pfusio, caloris reuocationẽ parit.* Manifestũ est n. Hip. loq. de anti peristasi, qua colligitur calor

intus atque coërcetur, ne diffluat. Ideo expresse addit sine vlcere. Nam si conuulsio sit ex phlegmone vel vlcere, plurimum nocebit, mordax est, & dolorem facit insuperabilem. Addit autem Hipp. calidum sanare conuulsiones à frigore; quod intelligendum est de spasmo repletionis & spasmo inanitionis à frigiditate, & quidem de calore moderato.

Sect.5 aph. 20.

Nimius enim calor & nimium desiccans, non minus lædit neruos quam frigus; sicut testatur Hipp.5.*Aph.*16.*Calidum, vbi quis sæpius eo vtatur, adfert inter cætera, neruorũ in continẽtiã craniũ effœminationẽ, mentis torporẽ, sanguinis eruptiones animi deliquia.* Hæc quib. mors, causa est, quod dissoluit ac dissipat neruorum substantiam, ac cerebri humidum natiuum & insitum; Etsi calor sit cùm aliqua humiditate, qualis est vini meracioris & antiquioris, neruos desiccatos & refrigeratos aliena humiditate implet ac laxat, sicut & calor aquæ calidæ ac balneorum. Si sit calor siccus, ariditatem & inanitionem, humiditate neruorum depascit.

Spasmus nõ proportionatus ad naturam.

Auicenna tertiam speciem spasmi facit, quam vocat spasmum non proportionatum naturam cum ad nerui compunctionem aut ad vulnus, vel ictum scorpii vel phalangii sequitur conuulsio: Quæ comprehendi potest sub spasmo ex inanitione. Excitatur enim in neruo cum dolore inflammatio simplex, confluentibus ad locum faucium spiritibus, ardor vero inflammationis neruosas partes aut cerebrum feriens, & substantiam propriam dissipans inducit ariditatem, qua nerui coëunt & corrugantur. Ideo de conuulsione ex vulnere

vulnere inquit Hipp. 5. *Aph.* 2. *Conuulsio ex vulnere lethalis est* scilicet propter inflammationem, quæ & dolorem & ariditatem excitat.

Conuulsionum species quæ & quot.

Species conuulsionum tres sunt: τέτανος, ἐμπροσθότονος ὀπισθότονος. Harum vnamquamque Celsus rigorem neruorum vocat, & ad colli atque capitis conuulsiones accomodat, quibus modo ceruix scapulis, modo mentū pectori annectitur, modo recta & immobilis ceruix intenditur; sed accidere omnibus neruosis & musculosis partibus possunt.

Τέτανος.

Τέτανος quidem seu distensio, cum in vtramq; partem æqualiter adducto membro, conuulsione musculorum vtrorumque, tum adducentium, tū extendentium, inter has contrarias tensiones mēbrum immobiliter riget cum sæuissimo doloris sensu. Ἐμπροσθότονος, cum in anteriora retorquetur, adducentium musculorum in voluntario inflexu. Ὀπισθότονος, cum in posteriora retorquetur contractione extendentium musculorum.

Ἐμπροσθότονος. Ὀπισθότονος.

Inter has tres species periculosissima omnium est τέτανος, quæ ab Hipp. refertur inter morbos peracutos 5. *Aph.* 6. cum inquit: *Qui tetano corripiuntur in quatuor diebus pereunt; quos si effugerint, sani fiunt.*

Affectio quam κυνικὸν σπάσμον, id est, conuulsionem caninam vocant, ab oris distensione cui propria est, nihil aliud est, nisi *paralysis seu resolutio musculorum mouentium mandibulam, qua os, oculi, nares & fere dimidia faciei pars distorquentur cum insigni deformitate.*

Conuulsio canina quid.

Etsi igitur hac affectione figura faciei corrum-

 pitur,

pit nõ tamẽ vitiatæ figuræ morb⁹ eſt, ſed ſymptomain genere, noxarum accidẽtiũ virtuti animali, ſẽſitrici & motrici voluntariç. & diſtorſio oris indẽ eſt ꝙ neruis & muſculis vni⁹ partis motu priuatis alteri⁹ partis muſculis libere agitatis, affectorũ mõt⁹, motui oppoſitorum nõ reſpõdet. Cauſã habet quandoque in principio, cerebro ſcilicet quandoque ad radices neruorum tertii paris cerebri, cuius propagines in muſculos temporum & μασητῆρας, labra item, narium pinnas, linguam ac palatum diriguntur; Quandoque in ramulis particularibus longius ab origine. Si in cerebro ſit fons mali, non ſola dimidia pars faciei, ſed ſimul dimidium latus corporis reſoluitur. Sed ſi ad radices tertii paris neruorum ſit principium mali, omnib. inde deriuatis ſurculis virtus animalis decedit; Si non ad radices ſit, particularibus ſurculis tantum affectis, reſolutio in aliquibus partibus percipitur. Hæc conuulſio non proprie ad ſpaſmum pertinet, ſed ad paralyſin.

DE PALPITATIONE ET RIGORE.

Palpitatio & rigor proprie huc non pertinent. Palpitatio enim nec facultatis voluntariç affectio eſt, nec propria eſt organorum motui voluntario ſeruientium, ſed accidere poteſt omnib. partibus, quarum ea eſt natura, vt impelli attolliq; aut velut cõcuti ac vibrari ac rurſus ſubſidere ac in ſeſe conſidere poſſunt, vt ſunt cutis, muſculi, arteriæ. Neque aliud quidque eſt palpitatio, quam *quaſſatio quædam & vibratus cutis muſculorum & arteriarum* quam efficit validior adactus vel diſcurſus ſpirituum clauſorum exitum non inuenientium per illas

Palpitatio quid. Vnde fiat.

partes

partes, quo impetu velut attolluntur sursum & spiritu dissipato collabuntur. Sic & rigor, de quo dicitur in febribus, *affectio est caloris natiui reciproco motu huc illucque vehementius agitati, cum spirituum impetu allisuque in musculis, qua allisione & agitatione totum concutitur corpus.* Rigor quid.

DE TREMORE.

TRemor proprie huc pertinet, q est symptomà facultatis motricis mēbris q̄ seruiūt motui voluntario, incitatis quidē àprincipio animali, sed agitatis motu p̄ter naturam. Idcirco etsi simpliciter est p̄ter naturā, non tamen fit sine προαιρέσει. Perficitur aūt duobus cōtrariis motibus, q concurrūt: vno quidē facultatis animalis, quo mēbrum attollitur; altero mēbri ipsius, quo p̄pter imbecillitatē virtutis motricis, suo pondere & grauitate cogitur deorsum. Ex hac lucta facultatis erigentis & sustinentis mēbrum, grauitatis vero deprimētis fit tremor, qui est *inæqualis membri vibratus.* Causa tremoris est *imbecillitas vel organorum motui voluntario seruientium, vel virtutis animalis*; & ea quidem aut insita, & per se contracta ex intemperie aliqua, affectib. præter naturam, crapulis, ebrietate; aut accidentaria, in organis quidem, si grauētur pondere maiore quam sustinere quæant; in virtute ipsa, si turbetur cerebrum aut subitis aut vehementibus animi commotionibus, vt Ira, pauore. Tremor quid & quæ eius causæ.

Restat alterum mēbrum primæ diuisionis, quo cōplectimur eas differētias, quæ non simpliciter, nec toto genere sunt p̄ter naturā, sed tm̄ respectu causæ efficiētis. Cient enim hi motus, & peragunt à facultate ipsa, sed irritata & violēter coacta à cāa

Oscitatio pandiculationes.

morbida in principio ipſo, vel in organis. Cuius generis ſunt oſcitationes, pandiculationes, inquietudines, ſtridores dentiũ, tuſſes. χασμαὶ καὶ σκορδινίσμοι fiunt impellente & diſtendente muſculos vel mãdibularum, vt in oſcitatione, vel thoracis, vel brachiorum, vt in pandiculatione, aut humiditate flatulenta, aut ſpiritu halituoſo, aut ex crapulis longis & cruditatibus intra poros & membranas muſculorum coaceruatis; quo modo cea quadam ſeſe dilatatione ſui & contractione, muſculi ab illa materia expediunt atque exonerant.

Inquietudo.

ἀλυσμοὶ, ἆλαι, & ἀλυκαὶ iactationes ſunt & volutationes totius corporis inordinatæ, pene in horas & momenta ægro formam decubitus mutante; aut toto corpore, aut aliquibus partibus, translatione corporis de latere ad latus, adductione & detruſione pedum ac brachiorum, colli vario inflexu; Fiunt vel propter affecti oſculi

Eius cauſa.

ventriculi vitium aliquod, cumque inter dormiendum noctu accidunt, cruditatem ſignificant; vel propter imbecillitatem virtutis, ſiue per ſe talis ſit, vt in iis, quibus ex proſtrata virtute propinquum mortis periculum imminet; ſiue grauatur tantum & infeſtatur virtus à morbida cauſa, necdum ſit prorſus deiecta.

Stridor dentium.

Stridores dentium fiunt, quoties muſculi temporum & maxillarum quodam conuulſionis modo commouentur, Interdum ſolis muſculis affectis aut à primo ortu naturæ, vt contineri nequeant, aut propter aliam aliquam cauſam, quæ poſt acceſſit, vt propter refrigerationem muſculorum & neruorum, aut repletionem; Interdum vero affectu origine neruorum, de qua maxime ſolent

conuul-

conuulſiones exiſtere, vt in repentinis & vehementibus conſternationibus animi ac trepidationibus accidit: Item in ardentibus febribus obruto cerebro copia ardentium halituum, aut mota aut non mota mente; quando ſtridores, ſi mens adhuc conſtat, vel inſaniam ſecuturam, vel mortem propinquam; ſi mens ſit mota, exitium denuntiant. Βῆχες à deprauato motu proueniunt organorum ſeruientium reſpirationi, cauſa morbi extimulante & violenter impellente organa ad talem motum. Sed de tuſſi alibi dicemus. Hæ ergo ſunt differentię vniuerſæ deprauatorum motuum in organis ſeruientibus motui voluntario, & earundem cauſæ; nunc curationem adiiciemus. *Tuſſes.*

DE CVRATIONE TREMORIS.

TREMOR ſi eſt ab imbecillitate vel virtutis animalis vel organorum per ſe, curatur eodem modo, quo ſtupor. Ab iiſdem enim excitatur cauſis, ſed leuioribus, ſi eſt imbecillitas, accidentaria cauſa hac ſublata, tremor deſinit. *Tremoris.*

Spaſmum diximus eſſe ſymptoma, quod ſequitur ad morbos, quos explicat Hipp. cùm inquit: *Spaſmum omnem fieri, vel ex repletione vel exinanitione:* Inanitio ſiccitas eſt neruorum, alia per ſe, alia per accidens. Siccitatem per ſe efficit caliditas, abſumendo ſubſtantificum humidum neruorum vera deſiccatione, & defluxus vel detractio humiditatis, vt in nimiis euacuationibus, etſi nec illa quidem ariditas fit in ſolidis partibus ſine alieno calore. Accidentariam ariditatem frigiditas facit, cogendo ac ceu congelando neruos & humidum *Spaſmi.* *Sect. 6. aph. 39.* *Curatio ſpaſmi ex inanitione.*

in neruis. Spasmus ergo inanitionis, siue calor simplex, vt febrium ardentium, magni æstus, medicamenti purgantis, siue calor ex inflammatione neruum obsidente eam induxerit, siue de euacuationibus nimiis extiterit, vt ex copioso & longo profluuio sanguinis narium, vel hæmorrhoidum, vel ex vena rupta, curatur humectatione, qua reficiatur ac restituatur epotum in nerui substantia humidum; hoc tamen obseruato, si adsit inflammatio, vt ante omnia cura dirigatur ad inflammationem, ad quam spasmus consequitur vt symptoma.

Ex ariditate. *1. & 2. sectio. 5.* *Diata.*

Sed curatio spasmi ex ariditate difficilis est, & sæpe impossibilis, sicut testantur Aph. *Conuulsio ex vulnere, ex veratro, lethalis.* Item: *Febri conuulsio superueniens malum.* Tota ergo & diætæ & curationis ratio dirigatur ad humectationẽ corporis totius & partium cõuulsarum. Diæta humectet ac leniat, sitq; ex sorbitionibus, pinguibus, ex hordeo fracto, oleo amygdalino, saccharo bono, carnibus agninis & hœdinis, decoctis cum foliis lactucæ, endiuiæ, scariolæ, seminibus papaueris: Ex lacte, (si absit febris) & lacte quidẽ ouino, vaccino, caprino, asinino, quod præ cæteris commendatur. Fiant emulsiones seminum papaueris, seminum frigid. commu. maiorum, vt citrullorum, melonum, cucurbitarũ, cucumerum. Fiant cibi ex cõtusa pulpa capi aut gallinæ, cum emulsione sem. frigidorum, aut ex farina amyli, hordei, sacchari albissimi, cum lacte amygdal. dulcium. Aluus perluatur crebrò clysteribus pinguibus ex iure capi bene pinguis, aut gallinæ, aut capitis castrati, id est, veruecis, aut pinguedinis circa renes veruecũ, additis saccharo ru-

to rubro, vitellis ouorum, oleis violarum, nymphææ, portulacæ, mixtis amylo & tragacantho supra assumptis. Item inunctiones ad spinam dorsi, & ad partes conuulsas, ex oleis & pinguedinibus humectantibus, vt oleo violarum, amygdalarum dulcium, medulla crurum vituli, pinguedine anatis, butyro recente non salito. Item ex mucilaginibus seminum cytoniorum, maluæ, altheæ, tragacantho, gummi arabico. Item ex lacte muliebri. Si ariditas sit à frigida causa, tepor reuocetur frictionibus, fomentis, inunctionibus calidis. Soluta enim frigiditate humor, qui concreuit, funditur rursus ac fluit, & neruus reducetur ad priorem habitum.

Spasmi ex repletione causa est vel humiditas crassa frigida non profunde penetrans, vel flatus crassus. Alia ergo erit curatio causæ antecedentis, alia coniunctæ seu continentis. Antecedens præparata euacuetur, reuellatur & deriuetur iis ingeniis & medicamētis, quæ in paralysi exposita sunt; Intus purgantibus medicamentibus & clysterib⁹, foris ligaturis & frictionibus. Post antecedentem benè expurgatam, causa continens eradicetur topicis, quæ humorem crassum dissipent ac discutiant, *quibus semper* (vt sępe dixi) *misceatur aliquod molliens, ne vi caloris tenuibus partib. resolutis crasiores indurentur, & ex spasmo repletionis fiat spasmus inanitionis.* Præstatur aūt id fomentis, inunctionibus, emplastris, balneis naturalib. & artificialibus. Fomenta fiant *ex decocto iua arthetica, origani, calamenthi, saluiæ, stœchados, fol. & bacc. lauri, chamom. meliloti:* Inunctiones *ex ol. cham. sesamin. de lino, de lilio, costino, nardino, & de euphorbio, de castorio, laurino, vulpino, de succino,* additis

Spasmi ex repletione causa.

additis *mucilaginibus fœnugræci, sem.lini, altheæ*: Emplastrum *ex storace liquida, euphorbio, castorio, cera citrina, oleo de lilio.* Thermæ conueniunt sulphureæ, nitrosæ, ferreæ, aluminosæ, quod exiccant & roborant neruos. Denique & ea omnia conueniunt, quæ in *cap. de Paralysi* tradita sunt.

Si sit ex flatu repletio, hanc discutiunt frictiones, & post frictiones inunctiones *ex oleo laurino, irino, rutaceo, &c.*

Palpitatio-re[illegible] [illegible]ridoris a[illegible]um.

Eodem modo palpitationes sedantur, illinitione eorum, quæ crassos flatus attenuant, digerunt, ac dissipant. Nec stridoris dentium curatio à conuulsione alia est, cùm sit symptoma ad conuulsionem sequens.

DE MORBIS CEREBRI ET symptomatibus ex defluxu excrementorum.

CAPVT IV.

TRIA sunt vocabula Græcis in vsu de pituitosis destillationibus capitis, quibus discernunt inter se defluxiones illas, quantum attinet ad partes subiectas, ad quas feruntur & decumbunt. *Coryzam* enim vocant, vt Latini grauedinem & pituitam, si pituitosum excrementum ad nares defluat. *Catarrhum*, si in os delabatur & ad fauces: *Bronchum*, si ex ore & faucibus decidat per laryngem in asperam arteriam & pulmones; nomine sumpto ex raucedine, quam humor efficit, laxatis, si humidus sit tantùm, aut exasperatis etiã, si salsedinis aliquid vel acredinis admixtum habeat,

beat, membranis asperæ arteriæ & pulmonis bronchiis.

Catarrhi vocabulo Græci vtuntur quandoque generatim pro quauis ex capite destillatione, cùm ex superioribus fluxio pituitosa decursu præcipiti inferiora petit. Interdum & quidem crebrius, de ea sola, quę ad os & fauces fit. Et consuetudo obtinuit, vt idem vocabulum ferè generatim vsurpetur, de quauis à capite defluxione pituitosa. De qua priusquam dicamus, exponemus & causas collectionis pituitosi excrementi, & sedes ac loca, in quibus asseruatur, & causis, quibus commouetur, vt fluat. Quicquid in cerebro redundat, siue quantitate sola sit naturæ graue & molestum, siue qualitate, id πλειστωματικὸν est & oritur vel ex plethora æquabili proportione adaucta copia omnium humorum citra vitium aliquod qualitatum in vasis; vel ex cacochymia, humoribus in vasis, vel extra vasa vitio aliquo affectis. Plethora sępe per hæmorrhagiam se exonerat, sicut & cacochymia ex calidis humoribus in vasis, vt si sit rodundantia feruentis sanguinis aut serosi, aut diluatur flaua bile calidiore & acriore, de hac *pòst* dicetur. Cacochymia ex redundantia frigidorum & crudorum excremẽtorum, tenuium vel crassorum, præsertim phlegmaticorum causa est multarum ægritudinum ratione diuersa: sed vnde existat, primùm inquiremus:

Cacochymia ex humoribus crudis, frigidis, phlegmaticis in cerebro, qui postea à calore alieno sæpe deuruntur & acuuntur, atque calefiunt; aut est cerebro communis cum toto corpore, aut est propria cerebro. Si propria est, aut intra vasa est, aut

Catarrhus.

Causa internæ pituitosi excrementi in cerebro.

est, aut extra vasa, aut quod accidit frequẽtissime, vtrobiq;, estq; aut maiore copia extra vasa, quàm intra vasa, aut è conuerso. Intelligo autem vasa cerebri, in quib. vltima fit coctio, q̃ proximè nutritionem antecedit, ex quibus sæpe cruda materia regurgitatur, & in reliquas corporis venas spargitur. Colligitur verò ex cõgestione vel influxu materiæ aut copiosioris aut crudioris, quam vel subigẽdo elaborari atq; excoqui ac discuti aut cõsumi vel expelli possit. Cerebrum n. cum sua natura humidius, mollius & laxius, & mole sua amplum sit, multo eget nutrimento, id dum excoquitur, præsertim cùm oporteat omne nutrimentum cerebri natura pituitosius esse, multum coaceruat superfluæ pituitæ, quã dum viget & valet, expurgat per eos meatus, quos natura multiplices sordibus cerebri educendis cõparauit, deponens, quod crassius est & aquosius perductus ortos à pia matre iuxta glandulã cerebri pituitam excipiente & per obliquos ductus primorum ventriculorum in nares ac palatum; Quod adustum est ac terreum, in aures: Quod halituosum est, tenue, humidum, siccum egerens ac prouoluens per poros, vnde sunt sordes capitis & furfures. Hæc ita fiunt à cerebro rectè valente. Quod si languefactum sit, quibuscunque de causis externis vel internis, aut plusculum refrigeratum, aut humectatum, languidius nutrimentum elaborando & imperfectius, plus recrementorum cumulat, quæ pro naturæ modo ac mensura. His si accedat vel copiosius, vel non conueniens nutrimentum, augebitur excrementorum copia; si verò & expultrix languet, hærebunt ibi talia recrementa, & cerebri poro-

porosum corpus imbuent, vt spongiam aqua imbuit, si in eam demergatur: & si augeatur, extillabunt in plicaturas ac ventriculos cerebri, sicut ex impleta spongia aqua emanat. Si cerebrum sit intemperatius calidum sua natura, vel si calefiat extraneo & aduentitio calore à causa aliqua externa languebit natiuus calor, & cerebrum ad leuissimas occasiones implebit, alieno calore ex inferioribus attrahente humorem. Nã occursu leuiusculi frigoris, halitus, qui extenuatis & fusis humoribus in cerebrum sparguntur, densati liquescunt, seq; insinuant atq; immergunt in cerebri poros, vbi si morã trahunt, & alieni caloris impressio duret in cerebro, aut coctione vlteriore lentorẽ contrahent ac viſciditatẽ cũ crassitie ob resolutas partes aqueas tenues, crassas, terreas, melius cum reliquo humore subactas, pſertim si excremẽtum natura crassius fuerit, aut si tenuius fuerit excrementum, & calor alienus creuerit, ex adustione salsedinem concipiet, vel acredinem, sc. cùm calor penetrantior terreas partes sua natura tenues & calidas prius adusserit, quàm aqueas resoluerit. Nã & *viſciditas ac lentor, & acredo ac salsedo alieni semper caloris indicium sunt:* remissioris illa, hæc intensioris & acrioris. Colligitur ergo hoc modo imbecilla coctione vltima, id est, q̃ nutritionem proximè antecedit, excremẽtum pituitosum cùm intra vasa illa, sc. primò & proximè, è quib. cerebrum haurit & transumit nutrimentum, deinde & remotiora, si augeat copia, tum extra vasa, sc. in cerebri poris, cũ fit nutritio illo humore, quoniam Hippoc. vocat φλαῖναν, quiq; est ἡμιπέπλν τροφῆς περίτλωμα, id est, superfluitas pximi nutrimenti semicocti. Illo ergo humore effuso & venis roris instar per cerebri

corpus diſperſo, ſi ſimul debilis ſit virtus expultrix, influit materia pituitoſi excrementi in cerebrum tranſmiſſa eò à pluribus, imò à præcipuis omnibus partibus corporis ſubtus locatis. Eſt enim cranium velut rectum fumoſæ domui impoſitum excipiens, quicquid ab imo ſurſum effumat, ſed plurimum effertur ex tribus membris, in quibus fiunt decoctiones, & tum maximè, dum alimentum coquitur, nimirum ex ventriculo, epate, & ambitu venarum totius corporis. Ventriculus rectè valens, ac ſui contractione cibos exquiſitè comprehendens ac cohibens, & oſculum ſuperius arctè claudens, minus halituum; ſi coctrix facultas langueat & oſculum ſuperius hiet, plurimum crudorum halituum expirat; qui per œſophagum, fauces & foramina oſſis baſilaris in cerebrum penetrant, & tum in ventriculos eius perferuntur, tùm foris circa membranas & cerebri corpus diffunduntur. Ad eundem modum epar temperatum minus, intemperatè calidum plurimum halituum edit, qui per venas efferuntur ſurſum. Hi halitus cum tenuitate ſua ſubeunt ac penetrant intra cerebri poros, atq; extra hos in ventriculis & anfractibus & extra cerebrum intra membranas diſperguntur, tum frigore coacti redeunt in liquorem. Horum liquorum qui intra cerebrum ſunt, aut diffuſi inuadunt in cerebri maſſam, vt maceratæ ſpongiæ inſtar madeat, aut paulatim extillant in ventriculos, ex ſua grauitate & cerebri contractione expreſſi. Ex anterioribus autem partibus primorum ventriculorum, quod guttatim corriuatum eſt in ſubiectum tertium ſinum, indeque in peluim deſtinatam pituitæ excipiendæ

piendæ demanat, vnde per eos meatus (de quibus dictum est) in os naresque propellitur. Ex parte posteriore eorundem sinuum coactæ guttulæ recidunt ac relabuntur ad cerebri basim; per vias easdem, per quas halitus ascenderunt, indeque in os faucesque prolabuntur. Si qui extra cerebrum ex circumfusis ipsis, circumque membranas subter cranium dispersis ac fluctuantibus halitibus eliquantur, per os ἠθμοειδὲς ad nares, vel oculorum sedem, aut ad caua spacia aurium, aut ad palatum deferuntur. Suntque sua natura aquosi & fluidi, aliàs tenuiores, aliàs crassiores, pro materiæ conditione, de qua vapores exhalarunt; sed occursu frigidioris aëris densati coactiq; crassescunt, & vel dulcedinem sapiunt, vel saporis omnis sunt expertes sua natura: Verùm longiori mora tum lentescunt, tum qualitatem salsam aut acrem à calore acquirunt. Hæ ergo sunt causæ internæ excrementi pituitosi in cerebro.

Externæ sunt, constitutio cœli humidior, & frigidior, pluuiosa & austrina, aër regionis talis ex locis palustribus, maritimis, humilibus, conclusis & non perspirabilibus. Item victus ratio, si humidior, intempestiuæ & nimiæ crapulæ, ocium, ignauia, & quæcunq; aut totum corpus aut cerebrum implere possunt excremento pituitoso. Excrementum collectum mouent, agitant & impellũt, interius quidem virtus cerebri expultrix irritata copia, pondere, acredine excrementi, & vel criticè expellit cùm vincit, vel symptomaticè, cùm sub annixu conatuque concidit. Exterius verò frigus exprimens conclusam in cerebro humiditatem, velut manus extensa præmens spongiam madefactam;

Externa causa pituitosi excrementi in cerebro.

Excrementum collectum mouentia.

factam: Æstus colliquefaciens à quibuscunq; excitetur causis: balneum laxans meatus & poros, exercitatio agitans humores, perturbationes animi, vt ira & consternationes subitæ. Si itaq; in venis capitis redundat pituita, aut serosa, aut mucida, aut ex vtraque mixta, & naturę robore propellatur ad summam cutem, quo desinunt oscula venarum distributarum in caput vniuersum, præsertim in partes exteriores, crassitudine cutis effluxum inhibente, si tenuis & serosa sit pituita, & in totam capitis cutem extendatur, tumorem efficit, quoniam ὑδροκέφαλον vocant; si crassior sit & mucidior, similiterque aut vniuersam capitis cutem, aut particulatim aliqua loca occupet, gignit tum alios præter naturam tumores, tum achores seu manantia vlcera capitis; si in oculos, aures, gingiuas, dentes, maxillas, genas, ceruicem, scapulas, brachia, atque obductam his cutem præcipitetur, pro diuersitate materiæ alia atque alia tumorum genera excitat, vt dentium dolores cum tumefactis gingiuis & buccis, strumas, oculorum ophthalmias. Si ex minutioribus venis refusa aç regurgitata materia in ampliores, indeq; in reliquas venas sub capite, si putrescat, febres incendit, & quidem valde periculosas. Si vincente natura extrudatur ad articulos, vel cutem, dolores articulorum, & in cute scabiem & diuersa pustularum genera parit. Si extra vasa è cerebri corpore, anfractib. & ventriculis, aut ex iis locis, q̄ sunt sub caua, feratur destillatio, si quidē intra cerebrum substiterit, & in ipsos cerebri irruerit ventriculos, neruorum principia ac radices, apoplexiam infert, paralysin, tremorem, &c. Si ex cerebri corpore & meati-

Ὑδροκέφαλος.

Achores.

meatibus proruperit foras ad alias atq; alias fertur partes. Hæc ergo pituitosi excrementi defluxio cum extra vasa materia in subiectas partes delabitur, vulgo generatim catarrhi nomine indicatur; de hac dicemus hoc in loco. Catarrhus ergo, quo nomine, vt dixi, & generatim vtūtur, de omni defluxu ex capite in partes subiectas, & speciatim de eo, qui palatum petit, fit pituitoso excremento expulso extra cerebrum alias per alios meatus.

Causæ collectionis (vt dictum est) aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Et internę quidem vel in cerebro solo, aut in reliquo corpore, vel toto, vel aliquibus eius partibus. Vnde transmittitur materia in cerebrum, Quod propter causas citius implet, quàm aliæ corporis partes: primò pp temperiem naturalē frigidā & humidā: secundò, ꝓpter raritatem & laxitatē substātiæ. Tertiò, ꝓpter multos & amplos ductus, qui à cerebro ad reliquum corpus tendunt: Quartò ꝓpter situm in supremo loco promptè excipientę quicquid ab imo effumat. *Cerebrum cur citius impleatur, quam reliqua corporis partes.*

Dictum est etiā de causis commouentibus materiam, vt fluat. Cùm autem catarrhus sit defluxio, & in omni fluxione consideretur *Materia fluens, mēbrum à quo fertur: via, per quas fertur: tempus fluxionis.* Primum de materia catarrhorum qūum obseruet, *quod sit excrementum pituitosum, idq; aut calidum per accidens, aut frigidum per se semper, crassum vel tenue, dulce, insipidum, acre, salsum, simplex aut spumosum.* *Quid in omni defluxione sit cōsiderandum.* *I. Materia.*

Membrum, à quo fluit, cerebrum est, quod in catarrhis aliquando affectum est, aliquando non. Et diligenter oportet explorare, an cerebri culpa & vitio aliquo catarrhi fluant, vel propter transmissos aliunde nimia copia halitus. Nunc de *2. Membrum mandans.*

meatibus dicemus, per quos fluunt, & membris, quæ petunt.

3. *Via, per quas fertur.* Possunt enim diffundi catarrhi ad omnes corporis partes, & causa fieri omnium morborum materialium.

4. *Membra recipientia.* Hipp. *in lib. de glandulis*, meatus vniuersos, qui catarrhos delabentes excipiunt ac distribuunt, reduxit ad septem fontes. Feruntur enim omnes vel ad oculos, vel ad aures, vel ad nares, qui proprii sunt & proximi meatus, vel ad alterutrum imorum ventriculorum; scilicet aut ad thoracem, aut ad ventriculum, vel ad venas & arterias, vel ad neruos & vertebras dorsi. Ad quascunque ergo harum partium pituitosum excrementum à cerebro depulsum decumbat, gignit morbos, aliàs alios. Si ergo irruerit in oculos, poterit esse causa inflammationum & lippitudinum omnis generis, suffusionum, lachrymarum & similium. Si ad aures fuerit præcipitatus fluxus, dolores aurium efficiet, tinnitus, pruritus & similes affectiones. Si ad nares, coryzam cõmouebit, pterq; hanc, si aut putruerit, aut fuerit acre & salsum, exulcerabit nares, aut polypos, cancros, fistulas excitabit; si in palatum destillarit, catarrhũ sic propriè dictum gignet, qui diuersorum existit morborum causa, prout vel partes in faucib⁹ collocatas affecerit, vel inde aut per œsophagum in ventriculum, aut laryngem & asperam arteriam in pulmonem deciderit. Si enim occupatam in faucibus columellam laxabit, σταφυλὴν, id est, vuulam; si inflammatã tumefecerit aut arrosam exulcerarit, κιονίδα pariet, q̃ duæ appellationes affecti sunt gargarionis:

Vuula. Vuula quidem, cùm in ima parte gargareon tumet tantum;

Κίων. κίων, cù[illegible]us æqualiter tumet; si glandulas, inter quas pendet columella, horum

horum modorum alterutro affecerit, ἀντιάδας, id est, humefactas tonsillas; Si interiecta his spacia exulcerarit, παρίσθμια ciet; si musculos laryngis aut œsophagi affecerit, anginam gignet; Si in colli glandulas sese demerserint catarrhi, attollent eas in strumam; Si in faucibus laterotenus per laryngem & asperam arteriam delabendo, huius membranas imbutas laxarit aut exasperarit, bronchum & raucedinem pariet. Sed Gal. bronchum nominat in genere fluxum ad fauces, vt catarrhum defluxum ad pulmones. Si confertim & affatim in cauitatẽ asperæ arteriæ irruerit & spirituum meatum impediuerit, irritabit tussim. Si in pulmonis bronchia atq; canales sese infarserit, eaq; oppleuerit aut obturarit, asthma, dyspnœam aut orthopnœam excitabit, quam vulgo nominant catarrhum suffocatiuum: Si acredine & salsedine pulmones eroserit atque exulcerarit, causa erit veræ phthisis, quæ est *vlcus pulmonis* & frequentissimè ab acribus & salsis catarrhis excitatur, totumq; corpus hectico calore absumit & emaciat. Si ad musculos pectoris dispersus fuerit catarrhus aut collectus ad membranã succingentem costas, gignet empyemata & pleuritides. Si ex faucibus per œsophagum fuerit delapsus in ventriculum, imbuet & laxabit cùm osculũ eius superius, in quo & sensum hebetabit, tum reliquum corpus & calorẽ natiuum obtundet. Inde sequuntur ἀνορεξίαι, nauseę, fastidia cibi, ἀπεψίαι, δυσπεψίαι, &c. Et ex permixtione magna catarrhorum cum cibis affectiones cœliacæ, quæ vulgò nominantur fluxus cibales; si intestina lubrificarint & læuigarint, sequentur lienteriæ & diarrhœæ; si acredine eroserint intesti-

Phthisis quid.

 na,

na, orientur dysenteriæ; si lentore ac viscidítate obstruxerint atque copia, in gracilibus intestinis ileon; in crassioribus colica pathemata ciebunt; si rectum intestinum affecerit, tenasmum inducet, & arrosione rhagadenem. Nec caret periculo longus & creber fluxus catarrhi ad vẽtriculum. Nam vel ad simplicem tabem tãdem, vel ad hydropem perducet, quæ emaciatis extremis, ventrem tumefacit, cruditates n. adfert & vias epatis obstruit: Impedit ergo, ne coquatur cibus rectè, nec cõuenienter distribuatur. Ad tales obstructiones sequuntur diarrhœæ chylosæ, & extrema destituta nutrimento tabescunt; si ad venas catarrhi refluxerint, siquidem frigidi, crudi fuerint, sanguinem refrigerabunt & epar, totumq; corpus implebunt crudis humorib⁹. Vnde καχεξία, & tandem ἀνασάρκα existit; vel ex obstructione putrescunt, & causa erunt febrium quotidianarum & robore naturæ excussi ad extrema vel corporis vel articulorũ patient tumores οἰδηματώδεις & flatulentos: si calidi acres fuerint humores in venis, & epar pter naturã calefaciunt, & vel putrescent in venis, fientq; causa febrium, vel cõtinuarum, vel periodicarum: vel nõ putrescant, sed robore naturæ extrusi ad extrema corporis vel articulorum in tumores erumpent pter naturam calidos & dolores ciebunt arthriticos, podagricos, chiragricos. Si catarrhorum defluxio ad neruos, spinalem medullam, & quæ hanc muniunt vertebras sese cõuerterit, siquidem in neruis aut spinali medulla hæserit, paralysis, spasmus, tremores, stupores gignuntur: si in vertebrarum iuncturis constiterit, arthriticos dolores inferet, si ex neruis in ipsos eruperit musculos, aut

Morbi catarrum sequentes.

ex ve-

ex venis, & hos tumefaciet cum dolore, & motus eorum impediet, inde eueniet, vt sæpe tota membra vix moueri queāt, ægrè circumagatur collum, difficulter attollantur brachia, &c. Et si autem diximus, catarrhum alium crassum esse, alium tenuem: Hoc tamen non simpliciter, sed in collatione intelligi debet, id est, alium alio crassiorem esse. *Omnis enim catarrhus sua natura tenuis aquosus & sero persimilis est*, sed partium, in quas procubuit, calore seu insito seu aduentitio sensim crassescit, tenuiorius substantia à calore dissipata. Hoc modo ex tenui & aquosa pituita, si redundet, mucosa, ex hac albuginea tandemq; vitrea & gypsea vi caloris procreatur. Tot ergo sunt viæ, per quas ex cerebro catarrhi, si extra vasa coaceruentur, vel intra caluariam in meningibus in ipsa substantia cerebri, quę spōgiæ instar porosa est, & in viis eius ac ductibus; vel extra caluariā in partes subiectas diffundi possunt. Constat igitur de causis colligentibus materiam catarrhorum & collectam mouentibus, quæ sunt vel externæ, vel internæ. In cerebro, vt in membro recipiente, in reliquo corpore, vt transmittente. Constat & de sede, & de meatibus per quos defluunt. Non negligenda autem consideratio est signorum, quorum alia sumuntur à causis, quæ præcesserunt; alia à causis, quæ adhuc adsunt: alia dependent ex fluxionis essentia, qualitatibus & quantitatibus, quæ propriè sunt παθογνωμονικὰ, alia indicant membrum recipiens.

Omnem catarrhum esse tenuem.

Signa discernentia.

DE CVRATIONE.

Catarrhvs cùm ſit ex genere defluxionum, ſymptoma eſt per ſeſe in genere eorum, quæ immodicè excernuntur & præter naturam Conſequitur autē interdum ad cerebri intemperiem frigidam, aut calidam inſitam cerebro, aut ab externis cauſis impreſſam cerebro, nimirum affecto, vt membro ſimilari. Interdum cerebro impleto, & vt membro organico affecto. Cùm ergo ſit defluxiò præter naturā excrementi pituitoſi ex cerebro prę̄ter naturā collecti, duplicē requirit indicationem; προφυλακτικὴν, q̃ habeat correctionē materiæ defluxionum; θεραπευτικὴν, q̃ collectā motā & fluentem tollat. De hac præcipuè agimus.

Indicationes. Curationis intentiones, vt in omni fluxione, ſumuntur partim à membro mandante tanquam termino à quo; partim à recipiente, & viis, per quas feruntur catarrhi, tanquā termino ad quem, & medio, per quod; partim à materia ipſa, partim à fluxionis tempore. Membrum mandans duas præſtat indicationes; vnam, quæ ſumitur à cauſa fluxionis in ipſo membro: Alteram, quæ ſumitur ab excremento moto ac fluente, quod quidem perpetuoſum euacuationem indicat, eo ordine, quem natura inſtituit ac fert. Nec ad cauſæ curationem, niſi magna parte excrementi euacuata perueniri commodè poteſt. Membrum recipiens, vt cerebrum, requirit quandam promotionem ſui, per ea, quæ roborant, & fluentis materiæ auerſionem ad alia loca minus nobilia. *Nunquam autem inter initia retineri catarrhus ſiſtentibus in cerebro debet, niſi præſens immineat periculum ſuffoca-*

suffocationis in defluxu in pulmones. Retentus enim intra cerebrum, cum sit excrementum naturæ graue & molestum, posset causa fieri multo maioris periculi, vt apoplexiæ, epilepsiæ spasmi, paralysis, vel similium. Materia ipsa rationem & modum euacuationis ostendit & ordinem agendorum Cum enim *catarrhus omnis sua natura substantia per se crudus* sit, *aquosus, tenuis, ex accidente autem acris, salsus, aut viscidus, lentus, tenax*; Requirit ergo, quantum ad tenuitatem substantiæ & cruditatem, sui concoctionem, quam molitur & peragit natura adiuta quadam materiæ præparatione. Quantum autem ad vitia qualitatum attinet, harum requirit alterationem, qua præparatur materia, vt fiat naturæ magis obediens, vel ad concoctionem vel ad expulsionem. Intendenda est ergo cócoctio materiæ, tum illius, quæ nondum fluxit, sed adhuc in fonte continetur; tum illius, quæ iam in motu est & fluit; tum illius, quæ ex fluxu in parte aliqua consistit, sed ratione diuersa, sic, vt semper imitemur naturam. Quantum attinet ad membrum mandans, natura in toto corpore & in omni membro hoc agit perpetuo, vt coquendo semp & vtile ab inutili, quodq; ad benignum reduci potest, seruet, quod excrementum totum est, expellat; & natiui caloris actio tendit eo, vt quod de excremento natura seruauit in parte aliqua, illud coctura vlteriore induat formam certam vel prorsus naturalem & ad nutritionem idoneam, vel si assequi talem nó potest, aliam non prorsus alienam à naturali & conuenientem expulsioni. In catarrhis ergo eodem modo natura pondere & copia pituitosi excremé-ti irritata, primum facta separatione expellit hoc

Catarrhus quid requirat.

quod nullam admittit emendationem, inde fit, vt inter initia prorſus cruda erumpāt, tenuia, acria, ſalſa & q̃ coctionis nihil habent, à quib. exonerata aliquantulum, incumbit in reliquum, idq; ſubigit & elaborat procedendo ad denſationem. Inde fit vt quæ progreſſu temporis in catarrhis excernuntur, natura iam vincente, craſſiora paulo ſint & per ſe ferant aliquid coctionis & craſſeſcit pculatim materia eo vſq; donec natura prorſus vincit, & excrementum cōueniente coctione elaboratum radicitus expurgat. Hæc naturæ actio in mēbro mādante, qua coquit, ſeparat, & expellit materias catarrhorum, iuuāda eſt iis, q̃ cōfortant calorem natiuum, materiā alterant & emēdant atq; corrigunt vitia, euacuādo & diuertēdo, adiuuant expulſionē & cerebrum alleuant. Calidi nimis, refrigerentur aliqñ; acrib. adimatᵃ acrimonia; Tenues nimis, modicum denſentur; ꝙ redundat, educatur aut deriuetur. Materia, quę in motu eſt & fluit, ſi tenuis ſit, ſemper denſationem aliq̃ requirit, calida iis, quæ contrahunt & aſtringunt leuiter. Etſi enim humor omnis quo tenuior eſt, eo ab eminentioribus ad decliuiora prōptius fluit; Catarrhi tamen, ii pſertim, qui in pectus feruntur, cum ab imo ſint agendi ſurſum motu contrario & violento, ſi valde tenues ſint, attolli non poſſunt, eo quòd ob tenuitatem aëris perumpentis impetu diſploſi ſinduntur ac relabuntur; vt autem eiiciantur ex pulmone per aſperam arteriam, neceſſe eſt, vt motu aëris in aſperam arteriam pectoris & pulmonis impulſu adigantur, propterea craſſitiem aliquam requirunt quam ſuſtineat aëris alliſum vt huius adactu & impetu propellantur & elidantur, ſed modicam

eſſe

esse crassitiē oportet puto. Nimia enim obturādo bronchia pulmonum & asperæ arteriæ fistulam transitum intercludit, aërique liberam meandi remeandique facultatem adimit, & ne per asperam arteriam cum impetu elidi possit, prohibet. Crassi ergo catarrhi attenuationem, viscidi incisionem & abstersionem exigunt: Ii vero, qui defluxerunt & membrum occuparunt, in alio membro aliam coctionem desiderant, prout vel in venis obstructionem & putrescentes febres excitant aut prosternunt ventriculi virtutem, aut inferunt dolores iuncturis, aut tumores & pustulas in summa cute excitāt, de his singulis suo loco dicemus. Hic de catarrhis proprie dictis agemus, qui fiunt materia in pulmones decumbente, *vbi cum ex calore pulmonis semper crassescant, & lentescant, semper requirunt, quantum ad ipsos attinet incisionem, attenuationem, & abstersionem*; quantum ad meatus, per quos debēt excerni inunctionē, illitionē & lubricitatē meatuum, sc. bronchiorum in pulmone & asperæ arteriæ, per ea, quæ illinunt inungunt, & lubrificant, vt quod attenuatum, incisum & abstersum est, egeri & prouolui possit, ne propter siccitatem & asperitatē viarum insistat; & adhærescat. Cū aūt in omni catarrho magna ex parte sit geminata fluxio qua ceu ripæ instar, affluunt refluuntq; humores, ceu refusi ex cerebro, qui influxerunt ex ventriculo, epate, & venis ambitu totius corporis, cerebro scilicet remittente id, quod aliunde hausit; Euacuatio ergo dirigenda est post coctionem ad fluxionem vtrâque, & præstandum, vt ventriculo & toto corpore expurgato, & post mundificationem ventriculo roborato, q̄ minimum cerebro commu-

communicetur,&ne quid ſuperſit in reliquo corpore,quod in euacuati locum ſuccedat & cerebrũ denuo repleat.Eſt autem hæc euacuatio ſimplex, quæ reliquas omnes antecedere debet & in ventriculi roboratione reſpiciendum eſt ad vtrunq;, tum, vt ſufficiat virtuti purgantium medicamentorum,tum vt cibos, qui aſſumuntur nutritionis cauſa,recte coquat, recte contineat,oſculo ſuperiore,quantum fieri poteſt,arctiſſime clauſo. Qua in re iuuandus eſt & ante cibi vſum iis, quæ roborant intus & foris, poſt cibum iis, quæ aſtringunt & claudunt ventriculum. Sic ſi epar ſit nimis calidum,temperandum eſt moderatè frigidis.

Quantum autem attinet ad materiam ipſam iam coctam in membro mandante, quæ in ſubiectas partes diffluit, illa euacuanda eſt cum pharmacis,quæ educunt ex cerebro, tum reuulſionib. quæ fiunt frictionibus fortib. extremorum,lotionibus,clyſteribus fortiorib.& vltimo cauſticis adhibitis ad muſculos exteriores in ſura pedũ, quib. trahatur materia ad remotiſſima. Sed in euacuatione non negligenda eſt obſeruatio temporis morbi,an ſit in principio,vel medio. *Catarrhi crudi ſigna.* Crudi nunquam ſunt mouendi, ſunt autem crudi,cum vrinæ ſunt albæ,tenues,ſpumoſæ,aut turbidæ,tuſſes ſiccæ & ſine ſputo & adeſt durities in glandulis, & flatus indiſcuſſi indicant naturam frigidam in vẽtriculo non obedientem, ſed expectanda eſt coctio, vt fiat materia obediens & ſequax. *Euacuatio particularis.* Ab euacuatione vniuerſali accedendum eſt, ad particularem capitis,quarum vna fit per laxiores & patentiores meatus egeritque materiam extra corpus,per nares quidem ii s,quæ ἔῤῥινα vocantur,per pala-

palatum apophlegmatiſmis, aut tranſlatione materiæ ad partes vicinas, ſcapulas, humeros, dorſum, iis, qui attrahunt caloris aut doloris ratione, vt frictionibus, cucurbitis, veſicatoriis, cauſticis. Tertio deueniendum eſt ad ea, quæ materiam imbibitã & infixã aut per διαφόρησιν reſoluant ac digerant, aut ex ꝓfundo extrahãt ad ſuperficiẽ, ꝙ localia p̃ſtant; illud quidẽ ſacculi, emplaſtra, pulueres, embrocationes; hoc dropaces, ſynapiſmi, cauſtica, quæ ad ſuturam coronalem applicantur. Poſt vniuerſalem euacuationem particularibus ſubinde interponi & miſceri poſſunt roborantia, quę duorum ſunt generum; proprium, quo cerebri intemperies ad habitum naturalem, à quo degenerauit, reducitur; frigida & humida intemperies, per calefacientia & ſiccantia; Calida per leuiter infrigidantia: alterum improprium, quo cerebrum moderate adſtringentibus roboratur, ne pateat illabẽtibus nouis halitibus aditus, ſed horum omnium vſus poſt peractas vtraſque tutior eſt. Reſtat membrum recipiens (quod eſt pectus & pulmo) cũ materia aut recepta iam, aut influente; aut nondum influente, etſi eſt in motu.

Materiam imbibitam reſoluentia & extrahentia.

Roborantia.

Membrum recipiens, cum materia recepta expulſionem requirit, quæ fieri ſine tuſſi non poteſt, adiuuatur autem præparatione materiæ, de qua dictum eſt, vt fiat obediens & ſequax; & meatuum dilatatione per temperate calida aut lubrificantia Quæ iam influit materia & eſt in ipſis meatibus, id eſt, in motu, ſimiliter expulſionem requirit cum p̃paratione materiæ & meatuum, de qua dictum eſt. Quę in meatibus nondũ eſt, ſed affluit ad meatus, auerſionem fluxionis & interceptionem requi-

Curatio membri recipientis.

quirit; auerſionem præſtant *ἀντισπάσεις* & *παροχετεύσεις*. Reuulſio enim fit aut per ea, quæ materiam motam retrahunt & educunt, vt per clyſteria; aut quæ retractam transferunt alio, & quidem ad remotiſſima, vt frictiones, lotiones, cauteria extremorum. Deriuationes itidem aut educunt materiam per meatus euidentes, vt per nares & os, aut transferunt ad vicina, vt partium vicinarum frictiones, affixus cucurbitarum, veſicatoria, cauteria. His n. ꝓhibetur, ne in aſperā arteriā influat hoc, ꝗ iam in via eſt. Vtendum autem his ipſis eſt, ſi ad ventriculum materia deferatur, aut ad fauces, vt in raucedine. Interceptio perficitur repulſione & inhibitiōe. Repulſio in calidis fit iis, ꝗ infrigidāt, in frigidis iis, ꝗ adſtringūt, ſed ſine ex aſperatione faucium, aſperitate arteriæ & pulmonis. Vtraque intra corpus aſſumi debent, foris nec mandanti nec recipienti parti admouenda ſunt, frigida præſertim. Nam aſtringentia capiti ad inhibitionem fluxus applicari poſſunt ſi catarrhum ſiſti neceſſe eſt, alioqui & frigida & aſtringentia applicata capiti, comprimendo plus exprimunt & frigidam intemperiem augent. Pectori admoto nimium inſpiſſant materiam, coarctāt & exaſperant meatus, infrigidant & deſiccant pulmones, augent tuſſes. Aſtringentia etiam ſputum ſanguinis commouent. Quare & quæ intro aſſumuntur frigida itemque aſtringentia moderate calida eſſe debent cum vſurpantur, vt fluxionem reprimant, quacūque forma vſurpentur. Inhibent fluxum quæ rētentum in capite ſiſtunt ac velut ſuſpendunt, ne prolabatur amplius. *Sed neutra, neque repulſione, neque inhibitione temere vtendum eſt, niſi flagitet neceſſitas,*

Aſtringentium & frigidorum incommoda. In capite & pectore.

vt in

Vt in catarrhis afferentibus periculum suffocationis, item in calidis, acribus erodentibus atque exulcerantibus pulmonem, cum quidem & repellentia frigida minus nocent, eo quod prohibent pulmonis exulcerationem, & præstant, ne nocturnæ tusses somnum impediant atque quietem, qua in catarrhis maxime est opus. Diligenter autem hic ordo obseruetur in curatione, qui si negligatur aut mutetur, vt si inuersa ratione & præpostera fiat initium à posterioribus, vel intermissis, vt non sufficienter præstitis prioribus, plus inferetur nocumenti, quam adferetur auxilii ægro. Neque enim vnquam ante coctionem & euacuationem cum simplices tum ἀντισπάσεις & deriuationes ea admouenda sunt, quæ cerebro laborem adferant, vt quę sternutationem cient; hæc enim vt materia cocta confert plurimum, ita si cruda adhuc sit & contumax, vehementer naturam lædit.

In quibus catarrhis repulsione & inhibitione vtendum.

Ad coquendos ergo catarrhos, cui rei semper præmittatur ventriculi expurgatio & ventris vsitata apertio, ad calidos quidem conueniet vsurpare *syrupos & iulepos violarum*, *rosarum, de succo viol. & rosarum, iniubinum*, & si valde sit calidus & acris humor, etiam *syrupos de nymphea & papauere simplicem & compositum*. Proderunt & *decocta ex florib. violarũ, ros. nymphea, iniubis, sebesten, prunis damascenis, hordeis, sem. papaueris, lactuca cidoniorũ*. Euacuatio fiat p ea, q̃ leniter soluũt & sine vehemẽtia. Ideo vitentur scãmoneata. Cõueniunt aũt *mãna cassia, diaprũ. nõ solutiuũ, rhabarbarũ, elect. ros. elect. de sebestẽ in forma boli, aut cũ decoctione pectorali, aut cũ aq. hordei cõdita sacchаro remediato*

Catarrhos cõcoquentia.

diato. Pilulis licebit etiam vti (si res exigit) *aureis Mastichinis*. Si catarrhus calidus fuerit, cum febre, aut si à febre propter magnam plethoram caput vehementer æstuet, aperiatur interna vena brachii sinistri. Extra hos casus, quicquid disputent de phlebotomia; non video, ad quid conducat, cum catarrhus proprie dictus, cuius curationem hic tradimus, non sit fluxio in venis, sed extra venas; idcirco neque reuellit, neque deriuat, neque euacuat materiam catarrhi sed in prædictis casibus confert. In plethora quidem, quod tollit caussam antecedentem exhausta parte materiæ, de qua fumi, catarrhos augentes exhalant. In cerebri æstu, quia hunc reprimit cerebro refrigerato præstat, ne ratione caloris fiat maior attractio. In febre, quæ ex catarrho est in venas illabente, euacuat illum putredinis fomitem. In catarrho frigido nunquam fiat phlebotomia, sed ad coctionem materiæ (si sit crassa & viscida) vsurpentur cum ea, quæ *supra* exposita sunt, in curatione cephalalgiæ frigidę, tum quę pectus proprie respiciunt, vt sunt: *Syrupi de hyssopo, de glycyrrhiza, de prasio, mel rosatum, colatum.* Item *decocta ex radicibus Ireos, hyssopi, elenii, glycyrrhizæ, rosæ, herbis hyssopi, prasio, capillis veneris, scabiosa, tussilagine floribus borraginis buglossi, vuis passis, seminibus anisi, fœniculi, cardui benedicti, basilici, &c.* Euacuatio fiat cum *agarico simplici* vel *trociscato, cum elect. de hiera simplici*, vel *agarico*, vel *elect. de sebesten, diaphœnicone, de dactylis, cum pilulis cochiis* electauriũ & agaricus poterunt exhiberi cum decocto contra tussim, quod fit ex *iuiubis, sebesten, ficubus pinguibus, passulis, violis & glycyrrhiza minutatim incisa & contusa.*

Curatio catarrhi calidi.

Venæ sectio in quibus catarrhis conueniet.

Frigidi. crassi.

Decoctum contra tussim.

Si ca-

Si catarrhus calidus & salsus habuerit adiunctam crassitiem aliquam, conueniet supra dictis aliquid admiscere ex *hyssopo, capillis Veneris, sem. altheæ, maluæ, cidoniorum*. Si fuerit frigidus, tenuis sine salsedine, misceantur prædictis in catarrho frigido, quæ modice astringendo denset, vt *saluia, mastiche, thus, olybanum, nux moschata, nux cupressi, lignum aloës.* Pro reuulsione materiæ vtriusque & de corpore ascendentis, & ex capite ad pectus collabentis, fiant clysteria, frictiones, lotiones, eodem modo, vt in cephalalgia, & ex iisdem medicamentis, sic & deriuationes per exteriora, vt per frictiones vicinarum partium, cucurbitas, vesicatoria, cauteria similiter fiant, vt in cephalalgia. Per interiora fero perficiatur deriuatio iis, quæ materiam ad ventriculum deriuant à pectore, exhibita in ingressu lecti, & tribus horis ante prandium & respiciunt materiam iam fluentem in calido *ex saccharo, manna, cassia, penidiis, diatragacantho frigido*. In frigido *ex agarico*, Sal. *si ℥ ij agarici bulliant in aq.* ℔ j *lympida ad casum medietatis, & de colatura exprimetur* ℥ j vel ex *agarici præparati* ℥ x. *thuris* ℥ j ſ. *cum succo hyssopi formentur pilulæ, quarum vna detur in ingressu lecti.*

Calidi & salsi.

Frigidi tenuis.

Ad pectoris præmunitionem in catarrho calido, tenui & salso, plurimum conducit *saccharum rosatum, diatragacanthum frigidum, diacodion, diapenidion, sine speciebus, bolus armenus orientalis.* In frigido conueniunt *penidia sine specieb. diaireos simplex, lohoch sanum & expertum, lohoch de pino, lohoch ex terebinthina, lota cum aqua tussilaginis, caricis incisis & amigdalis dulcibus incisis, ac penidiis subactis cum succo altheæ & elenii.*

Præmunitio pectoris.

Quantum ad materiam iam infarctam & inbi-

T bitam

bitam pectori & pulmonibus conueniunt, quæ emolliendo materiam, vias laxando & lubrificando cum aliqua resolutione tussim reddunt faciliorem foris & intus. Foris ea, quæ illinuntur aut emplastrorum aut cataplasmatum forma applicentur ex *oleo violarum, liliorum, amygd. dulcium, butyro non salito, mucilaginibus, sem. althea, malua, cidoniorum cum croco.* Constringunt & sistunt catarrhum, quæ deglutiuntur, in ore retinentur, foris naribus aut vertici capitis ad suturam coronalem applicantur.

Materia iam infarcta.

Calidum catarrhum sistentia.

Calidum sistunt *pilulæ bechicæ, diacodion, diatragacanthum cum bolo armeno*; Aut, si necessitas exigat, retineantur in ore *pilulæ de cynoglossa*, vel *lohoch de papauere*, item *decoctiones epaticæ, lenticulæ, rosarum, fol. rubi, plantaginis, solatrii, balaustiorum, coriandri, corticum papaueris.*

Tenuem frigidum.

Tenuem catarrhum frigidum stringunt decoctiones, pilulæ vel pastilli ex *olibano, myrrha, sandaracha, croco, gummi arabico, amylo, mastiche, nuce myristica, sem. papaueris albi & nigri, portulacæ. Et in omni catarrho multum valent adstringendo saccharum rosatum cum bolo armeno, diatragacantho & penidio* poma & odoramenta, itemque suffitus parari possunt in catarrho frigido ex *ladano, ligno aloës, styrace calamētha, olibano, sandaracha, nuce myristica, nuce compreßi, nigella torrefacta myrha, mastiche, cum aq. rof. & vino albo odorifero* (vt sit vehiculum istorum medicamētorum ad cerebrum.)

Odoramenta.

In calido ex *rosis, sandalis, floribus nimpheæ, violarum, spodio, camphora, bolo armeno, cum aq. rof. & glutine gummi arabici.* Confert & odor *aceti vel sem. lini aut sandarachæ, aut nigellæ torrefactæ aut hordei fracti,* aut *fabæ fresæ in aceto maceratæ.* Si vapor aceti per nares in cerebrum attrahatur, suturæ coronali appli-

applicentur pulueres & emplastra ex his dictis rebus. Sed vt dictum est, *non vtendum est sistentibus catarrhum, nisi exigat necessitas.* Præmittenda ergo omnia & tentanda prius deriuatio ad nares per ἔρρινα, & ad palatum per apophlegmatismos, quorum materia *supra* exposita est. Et ad ἔρρινα conducunt mirificè *succi bliti, maioranæ Ireos, cyclaminis, pulueres, nigellæ torrefactæ, ammoniaci, staphis agriæ, &c.* Ab his acceditur ad ea, quæ materiam imbibitam substantiæ cerebri resoluunt, quorum catalogus *supra* recitatus est. Ab his deueniatur ad fortiora, si sit opus, vt ad synapismos & dropaces ex *stercore columbino, castorio, euphorbio, synapi, subactis cum oleo rutacceo, costino vel de euphorbio*; Tandemque, si res cogat, & æger ferat, ad cauteria supra suturam coronalem, si tamen prius pedibus vel ceruici cauteria adhibita fuerint, & semper habeatur ratio ventriculi, vt diligenter muniatur ac roboretur, ne vel purgantium medicamentorum virore ac malignitate, vel eorum, quæ tussim prouocant, lubricitate, vel catarrhorum illapsu nimium lædatur, quod fiet inunctionibus, fomentis, ceratis &c. De quib. in vẽtriculi curatione dicet.

Errhina.

Ventriculi præmunitio.

DE MORBIS OCV-
lorum.

CAP. V.

SVpra inter ea loca, in quæ cerebrum sua vel deponit, vel depellit excrementa, oculos etiam numerauimus, quod experientia testatur, alias aliis morbis ex humorum defluxu à cerebro

corripi & affligi quandoque cum dolore, quãdoque absque dolore. Nam ophtalmias, oculorum fluxiones suffusiones, & quæcunque sunt, istiusmodi, oriri ab affluxu excremẽti cerebri, siue ꝑ vasa illa irruunt, siue ꝑ meatus peculiares, quales illi sunt, q̃ à pelui ad oculoꝝ radicẽ deducunt̃, dubiũ nõ est, ꝓsertim cũ oculi naturę imbecillioris sunt & languent. Subiungem⁹ ergo cerebri morbis affectiones oculorũ, q̧ quidẽ & eminentissimã inter sensus reliquos capitis sedẽ occupãt, & primos sortiũt̃ exort⁹ neruorũ, in distributione. Distinguem⁹ aũt primo morbos oculorũ; quorũ q̧ infestant tunicas cõditas intra corneã, quarũ origo est ex dilatatis partib. diuersis neruoꝝ opticoꝝ, aut his occlusos humores, quoꝝ chrystallin⁹ proximũ in oculo visionis organum ęst, interni sunt; qui corneã foris ipsam, aut adnatam tunicam hisq; obductas palpebras, & vbi palpebrę coëunt, angulos oculorum obsident, externi sunt. Hi vero oculorum affectus, aut visioni officiunt, aut motui, cum dolore aut sine dolore.

Vitia motus. Ex mot⁹ vitio existunt στραβισμὸς, παράλυσις. στραβισμὸς ex motu deprauatio est, & modo ad resolutionem & mollitiẽ neruorum; cum quidẽ ꝑdurat, modo ad cõuulsionẽ sequitur, cum oculorum situs ad eum modum obliquat̃, vt nequeat oculi vtriusque vnus esse aspectus; quandoque innascitur, quandoque contrahitur aut vitio malæ consuetudinis inuidendo, aut morbo aliquo. Paralysis de abolito motu existit: Causæ horum symptomatum consistunt; vel in musculis bulbum oculi mouentibus; vel in neruis secundi paris cerebri, qui in oculos motus causa desiguntur; vel in ea

στραβισμὸς.

Paralysis [c]ausa.

cerebri

cerebri parte, de qua prodeunt nerui ſeruientes motui oculorum.

Vitia viſionis. Cæterorum affectuum, qui viſioni obſunt, alii intus latent intra corneam, alii foris extant & conſpiciuntur. Intus læditur vel impeditur viſio, aut cerebri vitio, quod fons eſt ſpirituum & virtus viſiuæ; aut ſpirituum ipſorum; aut neruorum opticorum, qui ſpiritus in oculos deferunt; aut organi, quod cum intus tunicis quinque & humoribus tribus conſtituatur, in quocunque horum oboritur præter naturam affectio aliqua, ea viſioni nocere poteſt, plus quidem; ſi humores ipſos minus ſi circundatas & obductas tunicas affectio occupet. Diligenti autem inveſtigatione medico explorandum eſt, ſi foris vitii nihil appareat, an cauſæ hebetatæ viſionis cerebro vel ſpiritibus, vel neruis opticis, vel organi aliquibus partibus vni, pluribuſve inſint. Spiritus copioſus lucidus & æthereus acuit viſum; Multus, ſi craſſus ſit, hebetat, ita, vt longinqua & propinqua quidem apprehendat, ſed propinqua melius, quam remotiora diſcernit: Modicus etſi ſit lucidus atque æthereus, tamen efficit μυωπίασιν, quod malum connatum plerunque & nulla medicatione curabile, ita viſum languefacit, vt propinqua quidem contueatur ac diſcernat, paulò remotiora non aſſequatur *Μυωπίασις.* Paucus & craſſus, prorſus obſcurat viſum, vt neq; prope admota, neque diſtantia cernat. Νυκτάλωπες ſolis fulgore conſtant, nubilo die non cernunt, nec poſt Solis occaſum. *Νυκτάλωπες.* His enim cum Solis exortu oculi inclareſcunt, cum occaſu obſcurantur, cuius cauſa eſt in ſpiritus viſiui craſſitie & obſcuritate. Sunt cõtra, qui interdiu hebetiores ſunt,

 noctu

noctu præter cætera acutum cernunt quod à copia, fulgore & splendore est spirituum, qui collustrant vicinum aërem. Nonnulli nisi cum conniuent ad prope admota hebetes, ad remota acuti sunt, quod fit *copia spirituum & culpa papillæ patentioris, ac prominentioris.* Hæc mala magna ex parte congenita sunt, & vix vnquam ope medica emendantur.

Cur quidam ad prope admota hebetes, ad remota acuti.

Cæcitatis, obscuritatis & imbecillitatis causa.

Cæcitas autem, obscuritas & imbecillitas visus omnis (cuius differētias *ἀμβλυωπίας* Greci vocāt gradibus distinctas) si causas manifestas multas habeāt, existunt à vitio vel cerebri, vel nerui optici, vel organi. Cerebri vitium intemperies est, vel simplex vel cum materia. Impedimentum in neruo optico, vel obstructio est ex infarctu humoris crassi, vel coarctatio ex tabe, aut tumore pter naturā neruū cōprimēte vel disruptio vel dissectio nerui ab aliqua causa externa. Vitia in organo multiplicia sunt; ex pluribus enim, iisque diuersis humoribus ac tunicis corpus oculi conformatum est, quorum aliqua vsum conferunt certum crystallino humori. Si ergo vel temperies naturalis, vel perspicuitas ac claritas vitietur humorum vel mutetur magnitudo aut situs, protinus visui impedimentum obiicitur. Si crystallini aut vitrei humoris, vel lucidi, claritas infuscetur colore alieno, vt glauco vel fusco, fit *γλαύκωμα*, quo vitio obnoxii caligant, vt velut per nebulam res contueri videantur. Accidit eidem humorum substantia nimium crassescente, & si quo alio tingantur colore præter naturam, referunt eum res visæ. Hoc malum vt rarum, ita immedicabile est: Diminuta enim humorum substantia existit, vnde impressa labes

γλαύκωμα

labes elui atque extergi nequit. *Confusio omnibus humoribus communis est morbus immutato situ*, cum scilicet humores ex ictu aliquo inter se confunduntur, citra tamen alicuius eruptionem. ὑπόχυμα, id est, suffusio, vulgo cataracta fit, cum humor præter naturam vel in pupilla vel inter vueam tunicam, qua illa perforata, obductæ corneæ & inter crystallinum humorem in ea cauitate, quæ expletur humore aqueo, vt pupilla tumeat. Ibi ergo cum humor densatus concrescit in pelliculam illabitur humor talis ex cerebro in oculi cauitatem per neruum opticum sensim, ac principio, dum adhuc tenuis, traiectos radios ab obiectis excipiens atque inhibens, facit vt res tota non sincere percipiatur, sed fumi quidam ac vapores oculis obuersari, præsertim si æqualiter diffundatur per totum humorem aqueum; mox vero si sparsim coëat, atque crassescat, nec dum cohæreat continuo tractu, quod cæpit densari, muscæ etiam ante oculos volitare videantur. Progressu temporis, si coalescant & cohærescant densatæ particulæ in crassitiem pelliculæ confirmatam suffusionem efficiunt. In qua pellicula ex humore concreta, aut toti pupillæ aut parti eius obducta excludit radios visiuos, ne perferantur & pertingant in humorem crystallinum. Idcirco alias totum obiectum, alias partem eius tegit atque abscondit. & pro quantitate & crassitie pelliculæ natæ variant. In confirmata suffusione manifestè crassus, albus humor corneæ subesse cernitur. Incipiens symptomata adfert non absimilia suffusioni, quæ

ὑπόχυμα. Cataracta. Suffusio.

Differentia inter suffusionem veram & alteram per consensum.

ex consensu osculi ventriculi oritur. Nam visa & fumos aut muscas repræsentant; sed inter verã suffusionem & alteram per consensum hoc inter est: quod fere in vera suffusione talia symptomata, aut vtrumque, non tamen eodem modo aut eadem vehementia: In altera per consensum vtrumque & simul & æqualiter. Deinde verę suffusionis symptoma nec cessant, nec remittunt sed vrgent & ingraueſcunt. Non veræ & remittunt & interquieſcunt, & per vices exacerbantur, ventriculo ab excrementis libero discedunt, cruditatibus repleto redeunt ac intenduntur.

Pupilla & eius affectiones.

Vueæ tunicæ foramen, cui cornea obtenditur, Græci vocant κόρην, latini pupillã. Huius affectiones sunt dilatatio, diminutio, ruptio, inuersio, distorsio.

Dilatatio.

Dilatatio, αὔξησις τῆς κόρης siue connata sit, siue post contracta ex scyrrho, phlegmone, abscessu aliquo, aut quod frequentius ex humoris aquei intra vueam nimia redundantia, spiritum visiuum diffundit ac dissipat, eo quod foramen vueę nimium amplificet.

Diminutio.

Diminutio μύωσις, pupillam contrahit atque coarctat, vel ex oculi phthisi & atrophia, vel ex humoris aquei aut vitrei defectu, quo fit, vt vuea ceu corrugata concidat. Ab iisdem causis fiunt παραστροφὴ & ῥῆξις, sed frequentius ab externis causis inferuntur.

Affectiones corneæ tunicæ.

Caligo.

Corneæ tunicæ affectiones sunt, caligo & nebula. Caligo rarum vitium ex morbo est, frequens ex senectute, cum ariditate cornea densata visio fit obscurior. Nam perinde vt vngues digitorum, ita membranæ etiam ætate crassescunt ac densantur.

Nebula

Nebula fit, cũ corneæ tunicæ halitus densiores suffunduntur. Nebula νεφέλιον, cum tenuis humor eidem subtenditur, cuius culpa fit, vt eo malo laborans, videatur res cernere per vaporem aut fumum. Hic humor sensim crassescens, gignit albuginem; quæ λεύκωμα dicitur: fit enim albugo ex crasso alboque humore in vuea, aut supra hanc ita concreto atque densato, vt radios visiuos excludat. Interdum hæc mala ex ophthalmia & epiphora oriuntur. Interdum, si nihil horum præcesserit, ex humore proprio. Ῥῆξις est, cùm cornea finditur & aperitur ruptura, punctione, sectione, aut excisione, & vulnere albugineus humor emanat, cuius aliqua parte exhausta globus oculi redditur multò minor. Per vulnus verò corneæ erosæ, ruptæve, si quæ subest vuea, exeat, fit πρόπτωσις, quam oculi procidentiam vocant. Hæc cum exigua adhuc est à similitudine capitis μιοκέφαλον dicitur: aucta, vt acinum vuæ repræsentet, σταφύλωμα. Si eousque propendeat, vt etiam supra palpebras promineat, μῆλον dicitur. Quod si duratum occallescat, degenerat malum in clauum, ἧλον Græci vocant. Vlceribus etiam & pustulis corripi & infestari solet. Pustulæ non absimiles sunt exanthematibus. Cùm suppurantur, efficiunt ὑπόπυον, quod malum ab vnguium forma Græci ὄνυχον nominant. Pustulis ruptis, relinquuntur vlcera varia, quorum quod cauum, angustum & purum est, βότειον; quod minus, profundum & magis latum est, κοίλωμα; quod circulum iridis occupat in exteriore pupilla rubicundum, in interiore candidum ἄργεμον; quod sordidissimum est omnium & crustuosum ἐπίκαυμα dicitur.

Nebula. *Albugo.* Λεύκωμα. Ῥῆξις. Πρόπτωσις. *Oculi procidentia.* Μιοκέφαλον. Σταφύλωμα. Μῆλον. Ἧλον. Ὑπόπυον. Ὄνυχον. Βότειον. Κοίλωμα. Ἄργεμον. Ἐπίκαυμα.

Affectiones tunicæ adnatæ & palpebrarum.
Τάραξις.

citur. Accidunt corneæ & anthraces seu carbunculi & carcinomata, sed rarò. Adnatæ tunicæ oculorum & palpebris affectiones frequentius accidunt. Græci distinguunt inter *τάραξιν, ὀφθαλμίαν* *καὶ φλεγμονὴν*. *Τάραξις* Auicennæ conturbatio & vacillatio, & non vera ophthalmia, *humiditas est oculi cum rubore & calore præter naturam*, attracta vi causæ externæ, vt sole, fumo vel puluere, quæ celeriter soluitur causa submota. Eadem si non ab externa causa cõmoueatur, sed interna, sitq; permanentior atque stabilior, propriè ophthalmia dicitur, Latinis lippitudo. Hæc augescens, vertitur in phlegmonem humore ex oculorum angulis in totam membranam effuso & inflammatam, cùm quidem tenues oculorum venæ intumescunt, & quæ obscuræ erant ex concepto rubore fiunt conspicuæ, acceditq; dolor atq; ardor, qui sæpe lachrymarum fluxionem attrahit. Si aucta inflammatione, albumen oculi adeo erubescat, vt non tumeat tantum, sed & nigro sublimius euadat, & id ipsum plurimis in locis obscuret, fit *χήμωσις*, quam Auicennas vocat Alguardenegi, & inflammationem ophthalmiam. Causa inflammationis est tenuis ac biliosi sanguinis in oculos influxio, qui ex venis temporum ac angulorum in obscuras ac latentes venas irruit, quæ si ex crebro affluxu humorum laxentur, fit, vt pateant, dein vt promtius impulsos humores admittant & recipiant. Tales ex leui quauis læsione inflammatione corripiuntur.

Ὀφθαλμία.
Lippitudo.
Φλεγμονή.
Χήμωσις.
Alguardenegi.
Causa inflammationis.

Aliud est fluxionis genus in oculos, quod *ἐπιφορὰν* simpliciter, Celsus pituitæ cursum Plinius delachrymationes vocant, cùm tenues humores in ocu-

Ἐπιφορά.

in oculos illabuntur, & ex iiſdem deſtillant ſpeciē lachrymarum. Differt ab ophthalmia materia, origine & loco fluxionem recipiente. Humor, qui ἐπίφοραν facit, alias frigidus & planè aquoſus emanat ſine dolore aut rubore; aliàs acris eſt, aut ſalſus, qui & dolorem & acredinis ſenſum & ardorem ruboremque ciet. Vnde ſæpe palpebrarum fit exulceratio. Origo fluxionis non ex venis, ſed ex pituita eſt, quæ intra vel extra cranium coaceruatur. Extra cranium, ſub ſummo vertice cutis, vnde pericranium, in tunicā adhærentem & palpebras ꝑcipitatur, atq; inde demum foris excidit. Intra cranium in cerebro ipſo, & extra hoc, vndè ad angulos oculorū perdeſtinatos meatꝰ effunditur, ibidemq; erumpit. Græci n. vocabulo τῆς ἐπιφορᾶς generatim cōprehendunt oēm tenuis ac pituitoſi humoris ad oculos delationē, ſiue ad oculos ipſos, ſiue ad eorum angulos feratur. In ἐπιφορᾷ rubor palpebrarum cilia, quib. pili inhærent, ſicut in inflāmatione oculi albū occupant, ſed non rarò cum inflāmatione ἐπιφοραὶ coniunguntur. Cauſæ huius fluxionis eædem ſunt, quæ catarrhorum, & conſiderandę ſunt in eadem generales fluxionum cauſæ, de quibus ſæpe aliàs dictum eſt.

Πτερύγιον, qua alam dixeris, *neruoſa eſt, dura & albicans membranula à maiore oculi angulo ſeſe verſus iridem extendens, adeò vt pupillam plerunque pereat.* Oritur ex ipſa adnata membrana ſenſim multo temperie excreſcente, ſi permittatur. Celſus vnguem nominat. Auicennæ vngulam. Πτερύγιον. *Vnguis.*

Angulos infeſtare ſolet creberrimè & maximè αἰγίλωψ Auicennæ Garab. Eſt autem phlegmone parua inter maiorē angulum oculi & naſi radicē, Αἰγίλωψ. *Garab.*

ex tenui

ex tenui biliosoque sanguine eò à frontis & faciei venis adacta. Hæc vbi maturata rumpitur, cutem exulcerat, & pure profuso relinquit vlcusculum. Non rectè curata in sinum aut fistulam vertitur. Nam si pus intus moram diutius trahat, aut non accuratè expurgetur, rodendo cuniculos agit, & vicinis partibus excauatis sinum parat, in quo copiose colligitur, & ad ossa vsque excedendo penetrat, atque intus nares perforat. Vnde perpetua narium graueolentia ex illapsu sordidi ac fœtidi puris existit.

In eodem magno oculi angulo crescit interdum caro, adeo, vt palpebras commodè contrahi & obduci non patiatur. Interdum adeo diminuitur, vt capacitas anguli euadat maior, atque efficitur cùm ab aliis causis, tum ab humoribus aut medicamentis exedentibus. Horum malorum illud

Ἐγκάνθις. Ῥύας.

ἐγκάνθιν hoc ῥυάδα Græci vocant. Auicennas illud additionem, hoc diminutionẽ carnis lachrymalium nominat.

Vitia palpebrarum. Τύλωσις. Σκληροφθαλμία. Ψωροφθαλμία. Ξηροφθαλμία.

Palpebrarum vitia sunt τυλώσις, cùm supra modum crassescunt cum rubore, calore & pilorum defluxu. σκληροφθαλμία *durities est palpebrarum, motum earum impediens, & dolorem afferens, ac ruborem sine humore exstillante.* Scabiem ψωροφθαλμίαν vocant ex humore calido, acri, atque erodente. Pruritum simplicem absque fluxione ξηροφθαλμίαν nominant, cuius origo est ex humore calido & acri, salso, nitroso, vulgò lippitudo sicca. Auicennæ oculi siccitas. Interdum palpebræ laxo quodam & doloris experte humore turgescunt, quæ ἐμφύσημα est Græcis. Auicennæ inflatio. Interdum exasperantur intrinsecus, quod malum Græcis τράχωμα,

Ἐμφύσημα. Τράχωμα.

ξωμα, Celſo aſperitudo: hæc quandoque in tantum creſcit, vt ab ea palpebra tendi videatur. Interdum palpebra ſuperior aut parte inferiori, aut oculi albo, aut corneæ tunicæ ita agglutinata cohæret, vt vtriſq; diductis aperiri oculus nequeat, ἀγκυλοβλέφαρον, Auicennas inuiſcationem vocat. Interdum ſuperior ad eum motum conuellitur, vt album oculi non tegat; λαγωφθάλμους vocant tales, Auicennas palpebræ inuerſationem. Idem accidit interdum inferiori, vt pars eius interior rubra promineat, quod malum ἐκτρόπιον nominant. Oritur vitium vtrunq; vel ex cicatrice, vel ex carnis exuperantia. Χαλάζιον grando, *tuberculum eſt durum, quod ferè ſuperiori palpebræ innaſcitur.* κριθὴ & πόσθια, id eſt, hordeolum, *tuberculum eſt calidum, quod ex palpebræ margine atque è cilio prorumpens ferè in abſceſſum deſinit.*

Ἀγκυλοβλέφαρον. Λαγοφθαλμία. Εκτρόπιον. Χαλάζιον. Κριθὴ. Πόσθια.

Accidit & ciliis & ſuperciliis pilorum defluxus, qui eſt μαδάρωσις vel μίλφωσις, Auic. pilorum caſum nominat; item vt augeantur præter naturam pili & infeſtentur pediculis, quorum malorum Paulus illud δυστιχίασιν, Galenus τειχίασιν, Auicennas inuerſos & additos pilos nominat; hoc φθειρίασιν.

Affectus ciliorum & ſuperciliorum. Μαδάρωσις. Μίλφωσις. Δυστιχίασις. Φθειρίασις.

DE CVRATIONE.

EX his morbis, quos commemorauimus, curatio aliquorum pertinet ad chyrurgiam; his præteritis, hoc in loco cæteros pharmaceuticè tractabimus, ſumpto initio ab ophthalmia, quæ frequentiſſimè accidit. De cuius ſede, cauſis & differentiis *ſupra* diximus, quod oriatur ex affluxu

Curatio ophthalmiæ incipientis.

tenuis

tenuis & biliosi sanguinis in eas venas, quibus intertexta est adnata oculi tunica ex venis frontis & angulorum. Morbus ergo est inflammatio tunicæ adnatæ. Causa eius fluxio est sanguinis tenuis & calidi per venas. In curandi ergo ratione diligenter distingui oportet tempora & morbi ipsius, & quæ morbum variat affluxionem, vt cùm ex his, tum ex materia affluentis, natura atque conditione instituatur ac varietur ratio curationis. Principium humoris irruentis, foris repulsionem, intus ἀντίσπασιν ac reuulsionem exigit: Quarum hæc influentem repellit, & oculum, ne fluxionem admittat, constringendo roborat. Cùm autem humor influens contineatur in venis, manifestum est, ἀντίσπασιν fieri debere ex tractione sanguinis per phlebotomiam cephalicam, brachii vtriusque, si in oculum vtrunque fluxio decumbat, præmissa lenitione ventris per pharmacum, vel enema, vel vtrunque, quod aliquantulum materiam reuellat. Potest autem iterari phlebotomia, si corpus sit plethoricum, vt præstet vtrumque, & euacuationem simplicem & reuulsionem. Deinde cum ophthalmia declinet ad calidam & biliosam tenuitatem cum ardore & acredine, requirit euacuationem etiam ac reuulsionē per pharmaca electiuè ducentia humores tenues ac calidos, præmissa vsitata præparatione. Euacuandum est tum corpus totum, quod à toto ferè humores sursum impelluntur; tum caput ipsum, à quo proximè fluxio in oculos decumbit. His expeditis, reuulsionis causa administrantur enemata, & fiant ligaturæ extremorum ac frictiones. Medicamenta autem huic vsui in-

ſui inſeruientia repetantur ex iis, quæ *ſupra* tradita ſunt in curatione doloris capitis à cauſa calida, & phrenitide. Hoc tamen obſeruato, vt ſemper præmiſceantur medicamentis ophthalmicis ea, quæ proprietate quadam oculos reſpiciunt, & vim cæterorum ceu dirigunt ac deferunt ad oculos: in quo genere præcipuè commendantur & valent, *betonica, verbena, fœniculum, euphraſia, chelidonia, ruta, ſiler montanum.* Apocruſtica applicentur oculis ipſis & partibus circumſitis, à quibus humor in oculos illabitur, vt fronti & temporibus. Conueniunt autem ophthalmicis maximè moderatè aſtringentia citra mordicationem & exaſperationem, ſicut ſunt *folia, flores, & ſuccus roſarum, ſuccus plantaginis, endiuiæ, lactucæ, ſolatri, mucilago pſyllii, lycium, hypocyſtis.* Et ſi fortioribus ſit opus, *oleum omphacinum, balauſtiæ, gallæ,* quæ cum dolore ferè palpebras & tunicas oculorum exaſperant. Ex his parentur collyria, ſed ſemper collyria hæc diſtemperentur vel concuſſione vel attritione in cote cum albumine oui deſpumato, aqua vel ſucco roſato, lacte mulieris iuuenculæ & ſucculentæ, ſucco vel decocto fœnugræci.

Oculorum propria medicamenta.

Proſunt & ſola hæc per ſe initio applicata oculis. Sed à valde infrigidantibus abſtinendum eſt, niſi vehemens dolor vrgeat propter magnitudinem inflammationis vel acredinem ac mordacitatem humorum influentium. Abſtinendum etiam eſt à valde deſiccantibus, quod cogunt ſeu coagulant materiam & meatus, exaſperandoque dolorem augent. Conueniet ergo ophthalmiæ in initio & principio vel ſolùm

albumen

albumen oui despumatum, vel cum lacte muliebri, & aqua rosacea dilutum ac conquassatum.

Si fortiori sit opus, misceri aliqua ex prædictis possunt, si dolor adsit, addatur aliquid ex decocto papaueris, vel paretur tale collyrium:

Collyrium.

℞ *Albuminis despumati oui* ℥ j.
Lactis muliebris ℥ j ß.
Succi plantaginis,
Succi chamom. ana ℥ ß.

Agitentur inter se & imbuatur his petia linea, quæ oculis applicetur, donec calefiat, postea iteretur. Si dolor sit intensus, addantur *opii g. ij. cum modico croci*: vel fiat collyrium *ex cerussa lota, gummi arabico, tragacantho & modico opii cum oui albumine, quod ad vsum distemperetur in cote cum lacte muliebri*, repentè fronti & superciliis cùm eadem applicentur, cùm alia, vt emplastra *ex acacia, & sanguine draconis, bolo armeno, pilis leporinis subactis cum albumine oui*. Vel misceatur aliquid de lycio & hypocystide; hæc initio fluxionis fieri debent.

Curatio augescentis.

Augescente verò inflammatione post principium, quod fit, cùm pars fluxionis iam consistit in adnata tunica, & quæ succedit, vrget augeturque & ingrauescit cum rubore dolor; deriuatio fiat materiæ eius, quæ fluxit & fluit: Maturatio verò & resolutio illius, quę iam consistit & impacta est. Deriuetur ergo materia, quæ intra venas est hirudinibus defixis post aures, cucurbitis ceruici appositis cum scarificatu, qua cranium collo committitur, scarificatu ambitus aurium: Denique si sit opus, fronti etiam admotis hirudinibus. Pilulis etiam quod propriè ex oculo euacuant, vt sunt pilulæ lucis maiores & minores, sine quibus esse nolo:

olo: Item apophlegmatiſmis, errhinis, & aliis, uæ caput exonerant & alleuant, materiaſque in oculos ferri conſuetas educunt. Oculis verò applicentur, quę minus repercutiunt, plus reſoluunt & maturant, ſicut eſt lac muliebre recens emulſum, dum adhuc calet, item collyrium ex mucilagine fœnugræci ſem. altheæ, tragacanthi, lacte muliebri. Item ex tutia bene præparata, camphora ſubtiliſſimè trita, aqua roſata, vino albo vel ex ceruſſa lota, ſarcocolla enutrita in lacte muliebri, gummi Arabico, croco, myrrha, thure; cui ſi dolor adſit acris, admiſceatur aliquid de opio. Eadem fiant in augmento, ſed virtus reſoluentium ac digerentium multo ſit minor, quàm repercutientium. Si affluxus non deſinat, apponatur oculo alternatim medulla panis albi macerata in aq. roſacea fronti illinatur vnguentum ex bolo armeno, ſanguine draconis, pilis leporinis combuſtis, & in puluerem redactis, exceptis omnibus albumine oui. In declinatione adhibeantur ea, quę reliquias diſcutiant atque conſumant, & oculos roborent, vt ſunt *aq. verbenæ, fœniculi, roſarum, vinum album, tutia præparata, ſaccharum candum, aloë epatica, pompholyx. ſpodium Græcorum, decoctum chamomillæ & meliloti.* Nunquam autem perduci debet ophthalmia ad ſuppurationem, ne ſi à pure erodantur tunicæ, periculum ſit. Quod ſi ne tunc quidem deſierint fluxiones, ceruix aperiatur cauteriis. Quæ quoque apertio ſi non inhibuerit impetum excrementorum in oculos, eadem cauteria accommodentur ſuturæ coronali; qualia autem cõueniant, *ſupra* expoſuimus in catharrhis.

Oculis applicanda.

Interdum ophthalmiæ fiunt, vt in ſenibus ma-

Curatio ophthalmiæ ex humore frigido. ximè, ex humore frigido, craſſo phlegmatico, aut melancholico aduſto interdum. In tali ophthalmia fiant reuulſiones, deriuationes, euacuationes vniuerſales & particulares per ea, quæ *ſupra* expoſita *in cap. de cephalalgia.* Fiant & repercuſſiones in principio, in quibus ſemper caueatur, ne illa frigida *ſupra* tradita ſola applicentur, ſed diluantur ac temperentur calidis reſoluentibus. Ideo valent in hoc caſu *ſacculus ex roſis rubeis contuſis, maceratis in vino albo, vel propria vrina, & expreſſus & ſuperpoſitus.* Ad frontem conueniet applicare epithema, ex *aloë, ſucco citrino, myrrha, acacia, maſtiche, galbano ſubactis cum albumine oui, vel macerato tragacantho.* Poſtea in augmento & ſtatu ad digerendum & diſcutiendum proderit adhiberi collyrium, quod

Collyrium. ℞ *Gummi arabici,*
Mucilaginis Fœnugræci ana ℥ ij.
Sarcocollæ maceratæ in lacte muliebri,
Fœniculi,
Spicænardi,
Myrrhæ,
Cinamomi,
Caſſiæ ligneæ,
Aloës in ſubtiliſsimum puluerem tritæ, ana
℈ ß. Subigantur in lacte muliebri: Et fiat collyrium. Item collyrium *ex ſucco fœniculi, verbenæ, euphraſiæ, & albumine oui deſpumato, additis aliquibus ſpecierum præcedentium,* ſi fuerit opus. Item *vnguentum alabaſtrinum.* In declinatione conueniet ablutio oculorum, aut fomentum *ex decocto chamomillæ, fœniculi, meliloti, verbenæ ex vino albo.* Balneum item, & potio meri. Hippoc. *ſect. 6. Aphor. 31.* Etiam incipien-

cipientes oculorum dolores curat balneo, & vini meracioris potu, cùm inquit: *Dolores oculorum, meri potio, aut balneum aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum purgans soluit.* Id vt quandoque succedit optimè in corporibus non valde immundis, si malum vehemens non sit, ita temerè tentandum non est, sed aut phlebotomiam, aut κάθαρσιν, aut vtrumque, prout fuerit opus, præmitti conueniet. *Cuius enim ophthalmiæ in declinatione meri potio, balnea aquæ dulcis mirificè conferunt.* Sed à principio & maximè corpore existente impuro plurimum nocerent. Repetit hunc Aphorismum Hippoc. *in parte* 7. sed mutatum, propterea eo loco suppostitium esse credo. Tantum autem conducunt, ophthalmiis crebræ alui subductiones, Hippoc. 6. *Aphor.* 17. testatur: *Lippientem alui profluuio corripi, bonum esse.* Quod vt de spontaneo alui profluuio intelligi debet; ita non minus conferunt pharmacis atque clysteribus prouocatæ deiectiones & ventriculi crebræ expurgationes cum hiera Galeni & aliis similibus, quæ osculo ventriculi inhærentes sordes abstergunt, vt experiuntur ophthalmici omnes. In valde senibus autem tales ophthalmiæ Hippocr. teste valde rarò maturantur. *Aphor. 45.*

DE CVRATIONE ἀμβλυωπίας, ID est, debilitatis visus, & cæterarum affectionum, quæ in oculorum humoribus consistunt.

ΑΜΒλυωπία ex senio, & defectu spirituum & ariditate & crassitie cõfirmata crystallini aut

vitrei humoris, vix vnquam curationem recipit. Quæ ex densatione aut perfrigeratione cùm humorum, tum aquei humoris aut caliginosi spiritus redundantia existit, curatur vt incipiens suffusio, sed medicamentis mitioribus. Fiant ergo reuulsiones, deriuationes, euacuationes vniuersales & particulares humoris phlegmatici, frigidi, crassi, viscidi: Primum attenuatione, incisione, & abstersione ad expurgationem bene præparati, per medicamenta *supra* dicta. Quibus semper adiungatur aliquid eorum, quæ proprietate quadam vim medicamentorum ad oculos dirigunt, & per alia ingenia sæpe *antè* repetita. Tandem corpore & capite diligenter expurgatis, adhibeantur oculis topica, quæ quod in oculis consistit intra tunicas ex influxu per neruos opticos attenuent, digerant, ac dissipent. Intra corpus ergo conueniunt ieiuno stomacho theriaca dissoluta in aqua fœniculi. Item myrobalani conditi. In introitu verò lecti tryphera, vel fiat electuarium tale, quod sumi potest quolibet tempore:

Electuarium.

℞ *Pulu. Betonicæ,*
Verbenæ,
Chelidoniæ,
Euphrasiæ,
Hyssopi,
Pulegij,
Acori ana ℈ ß.
Siler. montani,
Sem. Fœniculi,
Anisi,
Coriandri præparati,
Maioranæ, Basilici,

Macis

Macis,
Cardamomi ana ʒ ß.
Cinamomi,
Zinziberis,
Galangæ,
Nucis myristicæ ana ℈ j.
Piperis longi,
Ligni aloës,
Mastiches,
Spicæ nardi ana ℈ ß.
Corticis Citri ʒ iij.
Conseruæ boraginis,
Anthos ana ℥ ij.
Saccha. q. s. cum aq. fœniculi & rosar. Fiat elect.

Laudantur etiam fellis differentiæ diuersorum animantium, vt *fel tauri, leporis, perdicis, vrsi, hirci, passerum, de grue, de hirundine, vulpis, canis, capri, felium,* vt si fiat tale collyrium:

℞ *Fellis gruis,* — *Collyrium ex diuersis fellis generibus.*
Lucii,
Hirci,
Accipitris,
Perdicum, ana num. j.
Succi Euphorbii,
Colocynthidos,
Sagapeni ana ʒ j.
Fœniculi, ʒ j ß.
Albuminis oui q. s. est, misceantur.

Vel fiat ex commixtione puluerum & fellium tale collyrium:

℞ *Sileris montani,*
Maioranæ, — *Aliud.*
Euphrasiæ,

Rutæ, Chelidoniæ,
Fœniculi ana ℥ j ß.
Zingiberis,
Spicæ nardi,
Piperis longi,
Cariophyllorum,
Tutiæ præparatæ,
Sarcocollæ nutritæ in lacte muliebri,
Ligni aloës, ana ℥ ß.
Fellis anguillæ,
Accipitris, Hirci anà num. j.
Liquoris expreßi ex myrrhà ℥ j.
Mellis rosati colati ℥ j ß.

Misceantur & agitentur continuò in æstate ad Solem, hyeme super prunas, donec bene coierint, & seruentur in vase vitreo ad vsum, cumque opus est, in oculos instillentur. Valent & *succi & aquæ destillatæ, fœniculi, rutæ, chelidoniæ, euphrasiæ, maioranæ, meliloti, solæ, vel ex aliis mixtæ.* Laudatur & *succus*, qui ex *epate hircino cum pipere longo*, aut similibus aromatibus assato extillat ad ignem. In suffusione laudat Auicennas medicamentum, quod fit *ex baccis lauri excorticatis, num. x. Gummi Arabici parte* j. *tritis vtrisque & subactis cum vrina pueri.* Sed de curatione suffusionis per pharmaca rectè inquit Gal. *Promißiones Medicorum esse magnificas, præstari verò ab illis sæpe nihil, interdum parum admodum.* Si ergo suffusio confirmata fuerit, non aliter nisi acu à pupilla remoueri potest, sed non omnis curationem recipit, & differentia multiplex est suffusionum in substantia & coloribus. Quædam enim aëreæ sunt, quædam albæ, quædam ad glaucedinem tendunt, quædam colorem iaspidis imitantur, quæ mitiores sunt. Diffi-

Medicamentum contra suffusionem.

Suffusionum differentia.

Difficilius curantur, quæ ad ipſum candorem accedũt, aut viredinem, nigredinẽ, pallorem plumbi, aut flauedinem, vel turbidum quiddam præ ſe ferunt. Et facilius remouentur, quarum ſubſtantiæ mediocriter ſubtiles ſunt, quàm craſſæ, ſed nec ſubtiles nimis, nec valde craſſas eſſe neceſſe eſt, quæ curari debent.

DE CVRATIONE VNGVLÆ in oculo.

VNGVLA, quæ eſt *ſuppuratio corneæ*, ſi craſſa ſit & inueterata, ſine apertione quę ferro fit, tolli nequit, poſt apertionem, quam ſemper præcedere debet maturatio, reliquum abſtergentibus & aſtringentib⁹ eſt corrigendum, cuiuſmodi ſunt collyria deſcripta apud Rhaſem, *viride de calaminthо.* Si ſit tenera ſuppuratio & ſubtilis, ſine ferro iiſdem collyriis, vel aliis etiã mitioribus amoueri poteſt, præmiſſis ſemper euacuationibus vniuerſalibus & particularibus. Inter mitiſſima ſunt collyrium ex *mellicrato ſuccoq; fœnugraci.* Item collyrium, quod fit, ſi thus exactiſſimè tritum calida aqua maceretur per horam vnam. Fortiora ſunt, quæ fiunt ex *aloë, myrrha, croco ana* ʒ j. *vini albi partibus tribus, mellis partibus* vj. *quæ inter ſe mixta reponantur in vaſe fictili.* Item aliud, quod *Vngula quid.* *Collyrium.*

℞ *AEruginis Rhaſis,* *Aliud.*
Vitrioli, Salis ammoniaci,
AEris vſti, ana ℈ j.
Fellis hircini, ℈ *ij.* *Metallica*
in puluerem tenuiſſimum ſubacta & mixta felle hircino, excepta ſucco maioranæ & melle, ſubigantur in collyria. Sequuntur autem ὄνυχες ad ὑπόπυα ſeu ſuppurata,

Emplastrũ ex mucilaginibus. purata, & vngulis ruptis vel pustulis remanent vlcera. Ad suppurata vtile est emplastrum de mucilaginibus, quod, vt sequitur,

℞ *Sem. Lini,*
Fœnugraci ana ℥ ß.

Macerentur per horas duas lacte asinæ vel mulieris, postea detrahantur mucilagines, & cum modico croci, redigantur in formam emplastri. Remouetur autem pus ex oculo vel abstergentibus, vt hydromelle cocto ex aqua pluuiali & melle rosato colato vel collyrio parato ex thure, quod

Collyrium ex thure.

℞ *Thuris ℥ x.*
Ammoniaci,
Sarcocollæ ana ℥ v.
Croci ℥ iij.

Misce & vtere cum lacte mulieris. Hoc collyrium plurimum valet in maturanda & extrahenda sanie & vlceribus solidandis, vel cum desiccantibus, cuius generis est *puluis Tutiæ*, aliquoties extinguitur. Postea vlceribus ipsis conferunt *collyrium album :* Item hoc ipsum collyrium ex thure: Vtrumque applicatum cum lacte mulieris. Tandem ratione consolidationis adhibeatur collyrium de plumbo, quod fit hoc modo:

Collyrium de plumbo.

℞ *Plumbi vsti,*
Antimonii præparati,
Tutiæ ablutæ,
Æris vsti,
Gummi arabici ana ℥ v.
Opii ℈ ß.

Apparetur cum aqua pluuiali & cum albumine oui.

DE CVRA

DE CVRATIONE VITIORVM *quæ accidunt tunicæ adnatæ.*

Πτερύγιον Celsus vnguem oculorum vocat. si sit magnum & inueteratum, curari sine chirurgia non potest: si recens sit, tolletur crebro vsu emollientium, vt de cocto fœnugræci & similium, & eorum quæ scabiei oculorum prosunt, scilicet si alternatim & per vices adhibeantur; Conferunt autem oculis scabie infectis vt topica, ablutio oculi quam aqua calida, item succus rosarum cum calida aqua, aut vinum: Item emplastrum ex vitellis ouorum, & aq. rof. Commendatur & hoc collyrium, quod Πτερύγιον.

℞ *Pompholigos* ℥ x, Collyrium.
Aloës ℥ v i,
Piperis nigri, Longi,
Æruginis,
Rhabarb. an. ℥ iiij,
Boracis ℥ ij,
Cardamomi,
Cariophyll.
Spicæ an. ℥ j,
Nucistæ j ſ,
Comphoræ ℥ ſ,

Terantur, & fiat collyrium, quod applicetur cum lacte muliebri.

Suggillata, ex effuso ob contusionem venarum sanguine, si recentia sint, nec dum sanguis coierit in grumum, requirunt in principio resoluentia cum modice astringentibus. Gal. Laudat in hoc casu *collyrium diarrhodon, cum decocto meliloti & fœnu-* Sugillata.

græci & cœteris, præfert diarrhodon quod fit *ex foliis rosarum, croco, myrrha, gummi arabico, modico opii, vino odorato.* Potest vsurpari & hoc diarrhodon, quod

Aliud diarrhodon.

℞ *Rosarum rubrarum* ℥ iiij,
Croci ℥ ij,
Acatiæ ℥ j;
Gummi arab. ℥ iij ſ.
Opii,
Spicæ Indicæ an. ℈ j,

Misce cum aqua pluuiali, postea vtimur *solo decocto meliloti & fœnugræci in vino odorato.* Conuenit & *succus hyssopi & farina fabarum & sanguis pulli columbini aut turturis*; item *ossa & sepiæ trita cum aceto.* Et *emplastrum ex folijs Rhaphani & passulis cum modico stercoris* columbini. Ita si liuescat anguis & oboriantur *πεϱιώματα*, resoluentibus misceantur mollificentia.

ἐπιφοϱαί. Lachrymæ crebræ.

Ἐπιφωϱαὶ seu lachrymæ oculorum crebræ sunt (trieffende Augen) sed accidunt frequentius iis, qui oculos habent magnos extentos, & quibus caput natura humidius est. In his post acuratas phlegmatis euacuationes, & capitis roborationes, fronti applicentur repercutientia, quæ in ophthalmia tradita sunt, & suturæ coronali resoluentia ex *ladano, ammoniaco, mastiche, milio mundato & torrefacto cum oleo chamomillæ.* Oculis applicentur exiccātia, vt *tutia in puluerem trita & subacta cum aqua myrrhæ.* Fortiter enim desiccat, vel *collyrium ex pompholyge, cerussæ, croco, opio, his cum aqua pluuiali exceptis,* vel aliud fortius ex *tutia infusa & abluta cum aq. myrrhæ, corallis albis & rubris, oßibus myrobal. chebulorum combustis, sumach, gallis, aloe, mastiche, olibano, opio, cum aq. in-*

aq, infusionis tragacanti & gummi arabico. Si accedat pruritus cum dolore sumatur *lana non lota, & comburatur, combustæ cinis teratur minutissime & cum albumine oui imponatur fronti.* Confert & collyrium, quod fit ex *tutia Alexandrinæ ℥ j optime tritæ, cum ℔ ij vini albi austeri agitatione continua in mortario, donec cum vino tutia bene coëat, ac commisceatur. Postea feruefactis vtrisque & additis ℥ ij aloes epatice.*

Vlcera, quorum differentias quatuor recensuimus ex Galeno, abstergentibus desiccantibus & solidantibus curantur. Sæpe ad phlyctenes & exanthemata sequuntur maxime in pueris cum pustulæ rumpuntur frictione, aut cum à sanie dextre & plene non purgantur. Ad mundificationem conferunt mel rosatum syrupus de melle, aqua decoctionis fœnumgræci, mucilagines, sem. fœnugræci aut lini. lac muliebre. Ad desiccationem vero & solidationem collyrium de thure; item collyria ex tutia & cerussa ablutis, amylo, tragacantho, & aliqua parte croci cum aq. pluuiali & albumine oui subactis. vel ex tutia abluta, cerussa abluta, myrrha, antimomio vsto & abluto, plumbo vsto & abluto amylo, tragacantho & albumine oui.

Αιγίλωψ si non curetur recte, aut post maturationem, si non rectè mundificetur, abit in fistulam. Curatur autem iisdem, quibus phlegmone seu inflammatio, si suppurauerit, pus educatur vel emplastro ex pane, cum semine fœniculi, olibano & lacte muliebri, vel aq. erucæ cum croco, vel myrrha subacta cum tertia parte gummi arabici in felle vaccino; postea mundificetur vel *hydromelle* Αιγίλωψ.

melle decocto ex aq.rutæ, & melle rosato, quibus, si sit opus, aliquid rosarum incoquatur. Post mundificationem solidetur iisdem, quibus vlcus.

Fistula.

Si αἰγωλωψ in fistulam desierit longa & difficilis cura erit, in qua præcipua erit vis *rutæ cum succo granatorũ in formã emplastri redactæ*. Sed ante omnia suprema fistulæ labra dilatentur, vt ad callosam carnem medicamenta possunt penetrare. Vt fiet vel spongia vel medulla sambuci, aut tritici. Si satis laxe fiet orificium, excindatur callus cauterio actuali & potentiali, quæ nisi remoueatur, expleri cauitas sinuosa ac caro consolidari nunquam potest. Possunt autem vsurpari cauteria huiusmodi: vt

Cauterium.

℞ *Arsenici rubri,*
Atramenti,
Cantharidum abscißis alis & capitibus,
Calcis vrinæ,
salis Ammoniaci,
Aluminis an ℈ j,

Terantur hæc in tenuißimum puluerem & cum vrina pueri facta desiccentur ad solem. De his singulis diebus, mane aliquid in fistulam inspergatur, quodque de callo exesum fuerit, diligenter remoueatur & expurgetur. Cauteria possunt & alia parari: vt

Aliud.

℞ *Fol.rutæ,*
Chelidoniæ,
Agrimoniæ an.M.ſ.

Incidantur minutatim & coquant in ℔ *ſ.aq. vitæ, vel aq. rutæ ad consumptionem medietatis. Decolato guttulæ vel tres, qualibet die instillentur in fistulam:* vel

℞ *Zinziberis* ℥ *iij,*
Viridis æris ℥ j,

Teran-

Terantur in puluerem subtilissimum & in ℥ ß aceti fortissimi bulliant ad iustam crassitiem. Post calli remotionem & expurgationem diligentem, in iiciantur, quæ promoueant carnis reparationem, quale est. quod

Vnguentum carnem restituens.

℞ *Aloës,*
Olibani,
Sarcocollæ nutritæ in aq. fœniculi an. ℨij, olei ros. ℨj ß. ceræ q. s. addito modico puluere Ireos, fiat vnguentum.

In palpebris χαλάζιον curatur *linimento facto ex sordibus, quæ reperiuntur in alneariis apum. Nam ex ammoniaco aceto dilutum; aut Galbano.*

χαλάζιον. est concretio lenti humoris in palpebris referens speciē grauedinis, quæ χάλαζα dicitur & χαλάζιον.

Eodem modo hordeolum curatur illitu *sagapeni in calida aqua dissoluti, aut emplastro ex farina aut fermento aut iterata applicatione panis calefacti.*

Contra pediculos.

Pediculos necat ablutio oculorum ex aq. salsa aut sulphurea: Illitio ex *albumine & staphysagira, cui addi potest aliquid de aloë & borace.* Item *acetum squilliticum* in hoc genere valet.

Cæteras oculorum affectiones, quod & raræ sunt & citra chirurgiæ opem tolli nequeat, hoc loco omitto. In qua libet autem visus debilitate post cōpletas euacuationes, roborandi visus causa prosunt, myrobalani chebuli conditi, si summa tantum quacunque parte diei. Item *theriacæ optimæ ℨ j cum aqua fœniculi* exhibitæ mane, præsertim si ab humorum crassitiæ, aut spirituum vapore debilitas visus existit.

DE MOR-

DE MORBIS NARIVM ET *symptomatis olfactus.*

CAP. VI.

NAres conditas esse, vt inter respirandum hausti aëris partem vel solius, vel conuenientib. odorib. ad roborandum cerebrũ imbuti transmittãt in cerebrũ per foramina ossis ἠθμοειδοῦς & vicissim è cerebro educant partẽ pituitosi excrementi, experientia docet & anatome. Constat n. nasus geminis ossibus, septo osseo in duas cauitates distinctus, ima parte vestitus cartilaginibus quinq; mirifico nexu inter sese in rotunditatẽ orbicularẽ coaptatis. Earũ cartilaginũ duæ, q̃ pterygia vocantũ & alæ, motu voluntario nariũ foramina coarctant & dilatãt. Intus nares amplis foraminib. in fauces & palatum dehiscunt & versus oculos insignib. cauitatib. accipiunt ductus ab infundibulo cerebri p oculorum sedẽ pituitã efferentes, Qua vero superne gemina & interiora nasi ossa, quę inter maxillæ superioris ossa quinto loco recensentur cuneiformi cõmittunt, ibi narium amplitudini octauum os cranei incũbit q à cribri figura quantum ad foramina, quib. est ptusum ἠθμοειδὲς anatomici vocarunt. Hoc os foris pducit osseum septum nariũ, de quo dixi. Intus versus cerebrum ppagatos ex cerebri substantia, paulo ante exortum neruorũ opticorũ longos, teneros, candidos & planos processus q sunt immediata & ppria olfactus organa, excipit ac sustinet foraminib. velut attẽtos, itidemq; osseo septo diremptos.

Partes & structura.

Propria olfactus organa.

Cum ergo nares seruant olfactum, q̃rendę sunt causæ symptomatum olfactus, seu læsio olfactus

in af-

in affectionibus internis & principii organorum huic sensui destinatorum. Læditur autem sensus olfactus, vt cœteri, vel principio affecto ac spiritu animali; vel corruptis processibus cerebri, qui vim olfaciendi ex cerebro ad nares deferunt, vel naribus affectis, quæ aërem odorib. imbutum ad illos processus subuehunt.

Si ergo sit aliquid vitii seu olfactu, primo oĩm consideret̃ narium constitutio, in quib. si nihil reperiet̃ vitii, malum inerit aut principio aut ꝓcessibus organicis è principio deriuatis, eritq; ex intẽperie aliqua, vel ex humorum copia, crassitie aut viscititate; Quor̃ illa nimium humectat organa olfactus, & idcirco hebetat atque obtundit sensum; Hæc obstruunt foramina ossis ἠθμοειδὲς, vt fit in magnis catarrhis & grauedine capitis, vel ex corrupta substantia illor̃ ꝓcessuum, à venenato & pestilenti halitu, & nimia ariditate, vel alia causa. Si à narium aliquo vitio ꝓuenerit impedimẽtum olfactus, aut deprauabit̃ is, vt à fœtore; aut hebetabit̃, vel abolebit̃. vitiũ ipsum aũt vel erit tumor aliq̃s p̃ter naturã in narib. vel ex vlceratio, vel nimia & p̃ter naturalis expulsio humor̃ ex cerebro; quã dicit Gal. vocari ὑπερέκκρισιν. Tũor p̃ter naturã oĩs in naribus aut phlegmone est, aut hyperſarcoma, aut polypus, aut pustula, vt in morphea, lueq; gallica. ὑπερσαρκωμα.

ὑπερσάρκωμα excrescit pustulis sæpe refricatis aut vlcerib. nõ recte curatis. Hoc si augeat̃ in tm̃ vt vel ex narib. foras ꝓpẽdeat, vel int⁹ in fauces ꝓcũbat, polyp⁹ dicit̃ à scyrrhis polypi quib. narib. adhęrescit. Obstruit aut nares, & interclusa aëris & spirituum via offendit vocem, quæ inconditum quiddam graui voce resonat & perstrepit, aëris per interseptos meatus inordinato elisu enixuque. Polypus. Exulceratio.

Exul-

Exulcerantur nares aut præter labentium humorum acrimonia & mordacitate, vt in acribus catarrhis; aut ruptura pustularũ; aut ictu, casu, vulnere, aliisve causis procatarcticis; sed nullũ ferè vlc⁹ nariũ interdũ statim ostendidt aliquo dolore insigni aut acrimonia, sed latet eousq; donec sordescat, & tenella ossa erodit. Quod recens est, ferè agnoscitur ex crebro sanguinis emuncti aut huiùs defluxu, cum nasus attingintũr aut comprimitur, & perpetuo narium madore, cui si nihil adhibeatur præsidii, crustula tandem accrescit, quæ vel tota, vel in parua ramenta comminuta atque pituitæ emunctæ impetu derasa nonnunquam simul excernitur. Sordidum ac putridum cum fœtore, qui & laboranti & vicinis grauis est, vocant ὀζαίναν. Hæc radicibus sæpe vniuersam narium cartilaginem ipsaque tenera ossa ad fauces vsq; depascens magna cum deformitate nares denudat. Vt fit in polypo cancroso, aut aliis vlcerib carcinomatum speciem referentibus; item in vlceribus ex infectione Gallica. Restat ergo tertia, quam ὑπερέκκρισιν vocant ob nimiam & naturæ modum mensuramque præter gressam superfluorum expulsionem: Ea duorum generum est: vna humorum, qui extra venas coaceruantur & in magna redundantia, cum per eos meatus, qui ab infundibulo oriuntur, tum etiam per ossis ἠθμοειδῆς foramina præcipitantur, vt in grauedine, quæ græcis est κορύζα, frigida & pituitosa destillatio è cerebro, & partibus cerebro circumsitis, initio tenuis, deinde crassiuscula, de hac in catarrhis dictum est. Altera humorum est, qui intra vasa, venas & arterias cerebri continentur, vt sanguinis & cæterorum humorum, qui cum san-

Ὀζαίνα.

ὑπερέκκρισιν.

catur, cum per venas & arterias narium, quarum origo proxima est à ramis Guiden exterioris venę iugulans & arteriæ soporalis sanguis profunditur. Quæ vasa in nares & palatum desinentia, natura voluit tanq̃ emissiaria esse supflui sanguinis, q sursum fertur, aut in supiorib. colligit, sicut hæmorrhoides & vasa in fundũ ac ceruicẽ vteri dehiscentia alterius qui repit ac tendit deorsum.

Non sunt plures venæ in toto corpore, quæ ita in summũ corporis desinũt & sponte aperiuntur quam ista tria genera. I. Venæ nariũ hæmorrhagi dictæ, quæ deriuant ex vicino, vt in phrenitide & reuellunt ex lõginquo, vt in epatis inflãmatione Angina &c. II. Venæ hæmorrhoides, quarũ sunt quinq;. III. Venæ vteri, per quos mẽses fluunt. Reliquæ venæ non foris, effundunt sanguinem, sed sub cute habẽt inflammationes, tumores, vlcera, &c.

Fit aũt hęmorrhagia narium oĩs aut natura sanguinẽ superfluum extrudentẽ κατὰ κρίσιν, & eã expulsionẽ ita moderante, vt rursus inhibeat ac sistat fluxionem, si opus est nec plus effundat q̃ naturæ oneri est. Aut fit sanguine p̃ter naturã erpente sci. cũm natura irritata vsurpatur βοήθημα κρίτικαν, sed victa sua imbecillitate aut ruentiũ copia & impetu symetriã cõuenientẽ nõ seruat in expellẽdo. Causæ internæ hęmorrhagię sunt in natura, ipsa & vasis & humorib. Externæ & p̃catarcticæ ab ictu, casu, vulnere nimio æstu & similib. existũt.

Hæmorrhagia vnde.

Quantum ad internas, fit hæmorhogia aut apertis & dehiscentibus osculis vasorum; aut fissa diuisaq; substantia; aut sanguine p poros oscula ad eum modum sese egerente, & transcolari vel resudare videatur. Primum ἀναστόμωσιν alterum διαίρεσιν, Tertium διαπήδησιν vocant. Διαίρεσις fit aut vulnere incisis aut contusis, aut ruptis, aut excesis vasis & quandoque duobus pluribusve, maiorib.

Διαίρεσις.

aut minoribus. Incidunt acuta, vt sagittæ, gladii, interdũ resecta aliqua parte substantiæ, interdũ fissa tantum citra mutilationem. Cõtundunt grauia duraq;, vt lapides, & alia eiusmodi. Quæ rumpunt, tendẽdo id faciunt, vt agitatio, cõmotio, aut extensio corporis & partium magna violẽtia, plethora, q̃ vocãt ad vasa, casus ab alto prodit humorum acrimoniam siue intra vasa contineantur siue foris circumfundantur, vt in vlcerib. ἀναστόμωσιν faciunt vasorum, qui humores vehunt, imbecillitas, copia sanguinis & multitudine sua oscula diducentis vel impetu quodã ruentis ac prorumpentis item acris qualitas aliqua medicamentorum, sicut de aloë recte disputat Mesue.

Ἀναστόμωσις.

Διαπήδησις fit propter raritatem texturæ tunicarum, quibus vasa constant thumorum tenuitatem.

Διαπήδησις.

Hæmorrhagia quotuplex.

Est aut hæmorrhagia omnis aut Critica, aut symptomatica. Critica fit natura sese exonerante, vel in plethora magna totius corporis, aut capitis, vt sæpe in acutis dolorib. cephalalgiæ, vel in mor-
1. bis acutis, vt variolis, morbillis, &c. biliosis aut sanguineis; Itẽ apostematis internis, vt phrenitide angina, pleuritide, peripneumonia, epatis inflammatione, vteri; & semp adfert leuationẽ capitis post plethorã, morbi diminutionẽ aut solutionẽ, æqualitatẽ coloris post vehemẽtem rubedinem, æqualitatem formæ post inflationem & tumorem faciei, ac semp confert. Symptomatica, q̃
2. natura inchoat, irritata humorũ seu acredine, seu impetu, vel morbi vehementia, nõ moderatur tamen, nec temperatur, nocet semper. Nam & ægri corp⁹ extenuat & vires debilitat, & spiritus exhaurit, &

rit, & infrigidat extrema. Calor post tale profluuium, aut flauescit, cum bilis dominatur; aut pallescit, cum phlegma; aut liuescit & denigratur, cum humor melancholicus redundat. Et distinguitur arterialis hæmorrhagia à venali, subtilitate & rubedine, caliditate sanguinis & eruptionis impetu quodam saliendo, sicut sanguis arteriarum, aut sine impetu, vt venarum. Interdum etiam periodos seruat hemorrhagia. Interdum sine periodis, quocunque tempore erumpit. *omnis tamen nimia profusio sanguinis ex naribus est mala.* Sæpe enim deliria euacuatis spiritibus & cerebro desiccato, sæpe etiam conuulsiones & singultus immedicabiles adfert, Hipp. 5. *Aph.* 3. teste: *vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum.* Cui Aphorismo etsi aliqui addunt (*si infra sanguis fluxerit*) tamen de omni effluxu nimio verum est. *Aph.* aut 25. *part.* 4. in quo inquit: *sanguinem quidē supra ferri qualiscunque sit, malum, infra autem bonum, si niger deiiciatur;* Non de profluuio sanguinis ex naribus, neque de eiectione sanguinis per os ex venis & faucibus intelligi debet, sed de erumpente ab inferioribus per superiora sanguine, scilicet cum vel ex pectore prosilit, vel ex ventriculo, vel ex partibus huic vicinis. Talis enim profusio semper mala est, melior autem, quæ fit per inferiora, si paulatim fiat, & eiiciatur sanguis niger, qui argumento est, talem sanguinem ex hæmorrhoidibus effundi, & purgari melancholicum sanguinem, alioquin etiam sanguinis copiosa profusio per inferiora perinde mala est, vt per superiora.

Signa hæmorrhagiæ arterialis.

Hæmorrhagia nimia incommoda.

DE CVRATIONE OLFACTVS HEbetati vel aboliti.

SI ergo vel abolitus sit, vel hebetatus olfactus propter obstructionem aliquam in naribus & foraminibus ossis ἠθμοειδοῦς, restituetur iis, q̃ impedimentis amotis vias recludunt. In quo genere valent errhina *supra* enumerata in prouocatione & eductione pituitæ, vt *succus Ireos cum puluere pyrethri*, vel *oleum nardinũ, cũ puluere euphorbii, castorii, moschii*, si æger moschi odorem non abhorreat. Vel fiat decoctum, ꝙ attrahatur in nares: vt

Decoctum per nares attrahendum.

℞ *Maioranæ,*
Chamomillæ,
Fol. Lauri,
Calamenthi,
Stoechados an. M ſ.
Ireos,
Nigellæ an. ℥ ij,

Fiat decoctio in ſ. q. aq. fontanæ, vel iniiciatur in nares puluis talis.

Puluis.

℞ *Nigellæ,*
Colocynthidos,
Ellebori albi,
Piperis an. ℥ ſ.

Pomum odoratum.

Terantur omnia in tenuiſſimum puluerem, qui per calamum insuffletur in nares. Sola etiam *nigella torrefacta* & odoris causa in fasciola naribus crebro admota plurimum confert. Item pomum, quod fit ex *ſtorace calamita, nuce muſchata, cubebis cariophylis, nigel[l]a, ligno aloës, ſpica, cinamomo ambra moſcho: ſubactis his omnibus cum ladano.* Proderit & vaporem calidum ex *decocto calamenthi, rutæ & origani*. *ſi eſſer-*

efferbuerint in vino, intra nares recipere. Sed his omnibus præmittantur præparatio & euacuatio humorum in toto corpore, & præsertim in cerebro redundantium, cum iis, quæ *supra* dicta sunt *de morbis cerebri frigidis*. Aliqua parte humorum obstruentium euacuata, præsertim si obstructio sit profundior & confirmatior, & reliquo præparato ad exitum fiet eductio per errhina promptior & facilior. Si offensionis causa sit in cerebro ipso, aut in iis propaginibus, in quib. est odorandi sensus; Existatque vel ab humorum copia, vel ab intemperie, tollatur iis præsidiis, quibus cerebri internas affectiones curari docuimus.

Polypi & sarcomatis, cuius curationem tradit Auic. sub titulo de hæmorrhoidibus nasi; Horum ergo curatio ad Chirurgos potius, quam ad pharmaceuticen pertinet. Suntque polypi duorum generum: Vnũ est καρκινώδης, quod iam degenerauit in malignitatem cancri, estque durum, pertinaciter adhærens, caloris fusci, sine humiditate, excrementitium, fœtidum, dolore infestans, & si accedat vlceratio, tumefaciens nasum cũ liuore. Alterum mitius est, rubens & albicans pẽdens à radice gracili, sine dolore & fœtore, cum humiditate nõ exigua. Horum illud cura (quam blanditiuam vocãt) demulceri ac leniri tantum postulat, verâ curâ irritatum angescit, serpendoque sese dilatans & in profundum subiens mortem accelerat, cum magna fœtidate & deformitate. Alterum genus tollitur cauteriis actualibus vel potentialibus, quibus radicitus eruatur atq; extirpetur, quale est *vnguentum Ægypti acum Vigonis*, aut *aqua decoctionis arsenici citrini, calcis viuæ, floris æris argenti viui, salis ammoniaci*;

Polipi species.
1.
2.

Trocisci. Aut *trocisci formati ex puluere arsenici citrini, calcis viuæ, floris æris, aluminis, gallæ, balaustiorem; Subactis his omnibus cum aceto in mortario & posteà in pastillos coactis.* Valet ad idem aqua, in qua sit extincta *calx viua.* Polypo remoto dolor sedatur illinitione olei ex vitellis ouorum & rosarum; vel

Vnguentum.

℞. *Olei de vitell. ouorum,*
Pul. Tragacanthi,
Gummi arabici au, ℥ ij,
Olei sesamini ℥ j,
Ceræ q. s. fiat vnguentum. Posteà solidetur vulnus vnguento *de cerussa,* vel tali:

Linimētum.

℞. *Olei amygd. dulc, ℥ ß.*
Olei rosati ℥ ij,
Butyri recentis loti, adipis gallinæ, mucilaginis tragacanti, an. ℥ j. Ceræ q. s. Fiat linimentum. Cui, si sit fortiori solidatione opus, addatur aliquid *cerussæ, aut plūbi vsti loti, & in puluerem triti, & oleum myrtinum.* Hæc eadem medicamenta conferunt etiam in vlcerib. narium, in quibus habeatur diligens mundificationis ratio.

DE CVRATIONE HÆMORRHAGIÆ *Narium.*

HÆmorrhagia narium ex genere fluxionū est, in qua adapertis vasis narium fit humorum effusio. In curatione ergò, hæmorrhagiæ respiciēdum est ad ea, q̄ in quauis fluxione considerari necesse est, scilicet ad membrum mandans, ad membrum recipiens & effundens, ad humoris erumpentis qualitatem, quantitatem & motum, ad vias seu ductus, per quos à mandante humore impellitur

pellitur, ad fluxionis tempus; de horum indicationibus constituatur, quid fieri debeat inter membra mandantia sunt, sicut dixi, caput affectum aut dolore cephalalgieo ex plethora, vel ex motu aliquo, aut ex impulsu humorum, vt in febribus, vel interna aliqua inflammatione, vt in phrenitide. Deinde fauces & musculi faucium, vt in angina; Deinde pectus & partes pectoris, vt membranæ inflammatæ in pleuritide, pulmo inflammatus in peripneumonia, epar laborans intemperie calida aut inflammatione, vterus ex retentione mensium, aut suppressæ hæmorrhoides. Interdum totum corpus plethora laborans. Viæ seu meatus sunt rami venæ cauæ; Membrum recipiens sunt venæ narium, frontis, temporum, à quibus hæ omnes oriuntur & deriuantur regulares in collo. Humor fluens est massa sanguinea, quam venæ aut arteriæ vehunt. Cum autem hæmorrhagia non sit tantum fluxio sanguinis, sed & effusio, vtrumque requiritur, & vt incitati & prosilientis sanguinis impetus inhibentur ac sistatur, & vt prohibeatur effusio osculis obturatis. Sed in quo profluuio hoc fieri conueniat, Medico accurate aogitandum & distinguẽdum est. Nunquam debet sisti profluuium sanguinis narium, quod euacuat sanguinem à parte aliqua quacunque dolori aut inflammationi obnoxia in certis & conspicuis morbis; Item quod minuit plethoram corporis & alleuationem adfert naturæ, aut morbum vel soluit, vel reddit mitiorem. Nunquam etiam statim inter principia sisti debet profluuium, priusquam constet, criticane sit, an symptomatica expulsio,

Quod robori naturæ virium metuendum eſt. Quę ſi attenuari & deficere animaduertentur ex ægri relatu, pulſu, mutatione coloris, attenuatione habitus corporis, & aliis inditiis, ſtatim fluxio reſtringui debet. Si itaque proueniat fluxio ſanguinis à plethora, vel à copia ſanguinis calidi & ſubtilis, qualem fere generat epar calidum; aut fiat ꝑpter virtutis & naturæ imbecillitate, danda eſt opera, vt reſtinguatur, pręſertim ſi animaduertatur; naturam effuſionem eam non moderari nec regulare. In plethora magna, mandat totum corpus, pellẽs humores ab imo ſurſum. Ergo ratione motus humorum & ſitus partium, mandantis ac recipientis, tẽtetur reuulſio; quæ incitatum iam & ruentem humorem inhibet & refrenat, fitque duob. modis: vno, quo patefacto exitu ex parte alia directe appoſita, humores velut reuocati eo ferri ac fluere coguntur, quo ſua natura promptius feruntur & vbi obturato foramine, ne profluant amplius, cum opus eſt, prohiberi poſſunt. Pręſtat enim talis reuulſio, vt eniti ac contendere ad ſuperiora deſinat. Idcirco aut venæ pedũ circa malleolos, aut cephalica bracchii alterutrius, vel vtriuſque, prout ex vna vel vtraque nare ſanguis profluxerit, aperiatur & extrahatur ſanguis non vna vice multus, ſed per vices & interualla, paulatim modicus, habeaturq; diligens ratio virium ægri, an ſuſtinere retractionem talem poſſit. Idem præſtant cucurbitulæ cum ſcarificatu ad brachiorum ſuffragines; & ad dorſum defixæ. Alter reuulſionis modus nihil euacuat; quod ſenſibile ſit & manifeſtum, ſed aut excitati caloris, aut doloris ratione, humores incitatos ad partem aut calefactã, aut do-

aut dolentem retrahit ac reſtringit,& inhibet motum, fitque frictionibus fortibus & ligaturis extremorum,crurum & brachiorum & cucurbitularum ſine ſcarificatu affixione. Ligaturæ etiam humorum impetum intercipiunt in vaſis meatibus intercluſis reſtrictione. Præferatur aut hic modus reuulſionis priori, ſi ægrum ob reſolutos ſpiritus & calorem ſanguinis effuſione iam languor magnus & virium defectus obtinuerit, aut ſi plethora non adfuerit admodum inſignis: Si non tantum plethoræ ratione, ſed propter epatis intemperiem calidam, aut naturæ imbecillitatem profluuium euenerit, non parum reuellet cucurbitula magna vitrea ad alterum vel vtrumque hypochondrium defixa, prout ex alterutra, vel vtraque nare ſanguis proſilierit, & promoueatur paulatim cucurbitula amplius ad mammilias vſque. Poſt reuulſionem epati applicetur epithema refrigerãs ex ceroto ſantalino,aut talé vnguentum:

Vnguentum refrigerans epar.

℞ Succi ſolatri ℥ j.
Olei roſarum,
Nymphea ana ℥ ß.
Sem. Lactucæ,
Portulacæ,
Papaueris ana ʒ ß.
Santalorum omnium ℈ j.
Trociſcorum de camphora ℈ ß.
Spicæ nardi Gr. vij.
Ceræ modicum, fiat vnguentum.

Quo illinatur totum hypochondrium dextrũ.

Quantum ad humores ipſos attinet, copia reuulſione ex parte oppoſita debet educi.

Qualitas alterationem requirit. Humoribus

 cali-

calidis ergo infrigidantia, tenuibus densantia, vtrisque astringentia adhibeantur. Densant autem sine astrictione iuiubæ, cum leui astrictione, lentes, oryza, mala cotonea. Pro alteratione afferri tale aliquid potest:

Rotula.

℞ *Spec. Diatrion santalion* ʒ j ß.
Diamargaritarum frigidarum ʒ j.
Trociscorum de terra sigillata ℈ j.
Conserua rosarum veteris ʒ ij.
Sacchari q. s. dissoluti in ℥ iij. *aq. cichorei, fiat confectio in rotulis*, de quibus capiat æger vnam atq; alteram rotulam & superbibat ℥ j. *aq. plantaginis* aut *bursæ pastoris*, aut *polygoni*. Astringendo restringunt reprimuntq; sanguinis fluxum, intus *syr. cidoniorũ, myrtill. ros. de agresta, Rob. de Ribes, Rob. berberis, cum aq. bursæ pastoris, plantag. ros. mentæ.* Item, *trocisci de terra sigillata, de carabe, de spodio, de berberis.* Foris verò quæ alligantur vel suspenduntur de collo, aut sub axillis conduntur, aut tenentur manibus, vt sunt *lapis hæmatites, corallia rubra, corneolus, iaspis, adamas, bufo desiccatus. Trocisci possunt* vel *puluerum, vel elect. vel confectionum solidarum forma* exhiberi, vt:

Externa appropriata.

Haustus.

℞ *Trociscorum de terra sigillata* ʒ ß.
Succi plantaginis ℈ ij.
Vini rubri styptici ℥ j.
Aq. acetosæ ℥ ij.
Misce, fiat haustus: Vel:

Electuarium.

℞ *Conserua rosar.* vel,
Diacidonii simpl. ana ℥ j.
Trociscor. de spodio, de berberis, ana ʒ j.
Corall. vtrorumq; frigidorum ℈ ij.
Succi virgæ pastoris q. s. in saccharo dissoluti. In quo subigantur omnia in formam opiati, de quo offerantur

fantur ægro manè ℥ j. vel ij. Postea hauriat cochlearia duo *aq. menthæ*, vel *ros.* vel *plantag.*

Quantum ad locum recipientem, scil. ad nares ipsas & loca vicina, vt frontem, collum, verticem totum, interdum conferunt, quæ infrigidant, quæ astringunt, quæ agglutinant, & quæ à proprietate sanguinem reprimunt.

Conferent ergo infrigidationes frontis, colli, spatularum, epatis, testiculorum, cum panno infuso *in aqua rosar. & aceto*, aut cum *albumine oui, succo solatri, plantag. aceto*: quibus admisceri possunt aliqua adstringentia, vt *acacia, hypocystis, gallæ, balaustia*. Et si magna infrigidatione sit opus, *opium, mandagora, hyoscyamus albus*, vel *pilorum leporis vstorum, thuris, mastyches, sanguinis draconis ana* ℥ j. *Boli armeni, spodii, gummi arabici, torrefacti ana* ℥ ß. *Excipiantur albumine oui & applicentur fronti & temporibus.* **Epithema frontis.** Intra nares conueniunt maximè, quæ glutinant, aut quæ virtute specifica valent, vt:

℞ *Telæ araneæ puræ,*
Farinæ molendinæ volatilis, **Naribus imponendum.**
Pilorum leporis vstorum,
Aloës,
Thuris,
Sanguinis draconis ana ℥ j.

Subigantur in succo plantag. & cum gossipio imponantur in nares. **A proprietate iuuantia.** Ex his & præcedentibus speciebus errhina formari possunt solida, aut pulueres. A proprietate valent, *succus menthæ, porri, vrticæ, bursæ pastoris, stercora calida recentia, equinum, asininum, suillum, & succi eorundem.* Item, *ranæ virides vstæ, & in puluerem tritæ.* Item, *sanguis proprius vstus, tritus in puluerem.*

DE AV-

DE AVRIVM MORBIS ET SYMptomatibus auditus.

CAPVT VII.

VT in cæteris sensibus, sic in auditu, quæ hunc lædunt affectiones, vel in fonte ipso cerebro, vel in neruis, qui vocantur ἀκουστικοὶ, eò, quod auditum præstant, vel in organo sonis excipiendis foris comparato, auribus scilicet inquiri debent.

Aurium structura. Aurium structura nota est, quæ foris anfractuosas concharum aut ostreorum testas imitatur, & incuruis velut spirarum flexibus in cauitatem ossi petroso incisam desinit. Intus verò obliquo admodum & anfractuoso ductu neruos auditiuos ex cerebro aduehit; qua verò vtrumque foramen exterius & interius penè in medio ossis petrosi concurrit, insignis & ampla est & rotunda cauitas, per quam neruus auditiuus in geminas membranulas dilatatus orbiculatim expanditur. Hæ membranulæ vt coria tympanorum tenues ac pellucidæ, sed firmæ & rigidissimè tensæ, fulciunt officula duo parua, malleum & incudem, quorum illo resonantis impetu aëris, allisuque, quasi ictu membrana pulsatur, & sonus inde per neruum, vt in chorda pulsata diffunditur.

Auditus symptomata. Sunt autem symptomata auditus κώφωσις, seu surditas; βαρυκοΐα, grauis & difficilis auditus; δυσηκοΐα deprauatus & corruptus auditus. Horũ symptomatum quædam congenita sunt, & ab ipsa contracta origine, quorum causæ sunt in vitio aliquo, conformationis scilicet, quod vel ex organis aliquod deest, vel figura organi & meatuum est vitiosa: vel temperies neruorũ auditiuorum corrupta

pta est. Hæc mala sunt incurabilia. Quædam pòst accidunt, eaque vel longo durarunt tempore, & inueterarunt, quæ curam etiam difficulter admittunt, vel adhuc sunt recentia. Causæ horum symptomatum, vt dixi, sunt à morbis vel cerebri, vel neruorum, vel organi, id est, aut proximi organi, pellicularum scilicet fulcientium ossicula prædicta, aut meatus alterutrius, vel vtriusque, interni aut externi, aut cauitatis, quæ communis est vtrique meatui, in quo immediatum organum continetur. Morbi, qui cerebrum aut neruum auditiuum occupant, sunt dyscrasiæ omnis generis sine materia, frigida præsertim, & cum materia humorali vel flatulenta, calida vel frigida, crassa, pituitosa, aut melancholica. Nam ex retentis fluxionibus, surditates suboriri, materia scilicet, quæ euacuanda erat, sese ad cerebrum vertente, & regionem aurium intra membranas & cranium occupante, testatur Hipp. 4. *Aph.* 28. cùm inquit: *Quibus biliosæ deiectiones sunt, hæ superueniente surditate cessant: Et quibus surditas adest, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.* Nec rarò in criticis vel expulsionibus vel permutationibus ardentium febrium, aut aliarum ægritudinum acutarum, materia naturæ impetu ad aures detrusa, surditatem adfert. *Causæ.* *Morbi cerebri aut nerui auditiui.*

Morbi organici sunt obstructiones, scilicet neruorum, quas efficiunt aut humores neruis infarcti, aut sanies, aut inflammationes & abscessus, aut inflammationes membranarum circa illam regionem. Potest ex vlcere vel corrosione accidere solutio vnionis neruorum. Eædem affectiones in aure occupare panniculos ex diducta & expansa nerui auditiui substantia, & ea ratione auditum impe- *Organici.*

impedire & auferre possunt. Rumpi etiã & erodi eædem pelliculæ possunt, externis vel internis causis. Internis, vt, tensione nimia à flatibus aut humoribus; Foris impetuoso adactu, & allisu resonantis aëris. In meatibus aurium & cõmuni cauitate impediunt ea, quæ obstruunt, & vel foris impulsum aëris sonum excludunt atque introferri nõ sinunt, vel intus prohibent, quo minus vis animalis in auros diffundatur ad organa, in auribus auditus proxima. Obstruunt aũt interius quidem abscessus, purulenta excrementa, cõcretæ sordes, carnosa tubercula, calli, scyrrhi, vermes. Vnde fiunt σκωληκιῶντα ὦτα. Item frigidi, crassi, lenti, ac tenaces humores, multæ sordes. Exterius concreti sanguinis θρόμβοι, arenæ, nuclei, vermes, & quæ in aures illabuntur. Morbi ergo, à quibus existunt symptomata prædicta in auribus, quæ vel hebetant aut auferunt auditum, sunt phlegmone, vel inflammatio interior, ἐμφράξεις seu obstructiones, & excretiones, quibus quandoque cerebrum per aures, sicut per nares exonerat: Vnde fiunt ὦτα πυοῤῥοοῦντα, id est, purulentæ aures, ἰχωῤῥοοῦντα ὦτα, id est, aures sanguinem stillantes, & [illegible] ὦτα, id est, aures sordidæ, coaceruantes multum sordium. Inflãmationes autem cum dolore semper sunt, qui vocatur ὀταλγία: & si sit vehemens atq; intensus, περιωδυνία. Obstructiones non semper sunt cum dolore, sed quandoq; in tãtum acuitur, pſertim si sit à flatibus, vt non multum discrepet ab inflammationum dolore. Deprauant auditum oẽs species alieni sonitus in auribus, vt τρισμὸς seu sibilus; βομβὸς, tinnitus; ψόφος, strepitus, ἦχος, sonitus, συριγμὸς, sonitus vt fistulę, & existunt ab iisdem

Ὠταλγία, Περιωδυνία.

dem causis, quib. affectiones reliquæ. *Phlegmone*, q̄ intima occupat, crassæ meningi, & membranæ, q̄ meatui auditus p̄tenditur, interiecta, ex acri tenuiq; sanguine inflāmato ac putrescente, gignitur, & infestat cū dolore asperrimo, pulsante & velut pungente ac lancinante, qualis est in inflāmationibus, q̄ membranas & arterias obsident. Nam & acrimonia pungit humor, & copiâ distendit, adestq; febris continua. Foris aūt tumor ruborq; nō apparet, eò, ꝙ inflammatio intus latet. Nam si in exteriore cartilagine inflāmatio conspiciatur, minus est periculi, dolor ēt minor affligit, sed interna & latens, si vehemens sit & ad cerebrum vsque pertingat, sæpe subitò interficit, vt in apoplexia. Sępe ad suppuratione peruenit, q̄ à cerebro lōgius abest, & maximè in adultis & senib⁹: *pueri n. magna ex parte extinguuntur, priusquā pus maturetur.* Suppurata autē inflāmatio abscessum inuehit, quo rupto pus effundit, & per aurium anfractus emanat, cum doloris atq; grauitatis leuatione, & febris remissione insigni. Interdū, si pus accrescit, vt expurgari non possit sufficienter, in loco abscessus erosione vlcus efficit. Sed quibus imbecillius est cerebrum & excremētis redundans, iis affluente noua materia subinde ad locū affectum, suppuratio & fluxus vel puris albi vel saniei tenuis ac sordidæ diu durat. Vnde fiunt ὦτα πυοῤῥοῦντα & ἰχωῤῥοῦντα. *Sæpe enim in magnis repletionibus cerebri, ab impuro phlegmate, si adsit imbecillitas aurium, natura sese exonerante, talis fluxio occupat & infestat aures citra inflammationem & abscessum, quæ puri aut saniei aliquid simile habet.*

Obstructio anfractuum vel meatuum in aurib. fit, vel à purulēta materia, vel ab excrescētia carnis

meatum

Phlegmone.

meatum obturante. Huius origo inde est, cùm vlcus humidum & sordidum, nec tempestiuè desiccatur, nec satis perpurgatur; vel à copiosis sordibus, quas propter imbecillitatẽ cerebrum coacervat, & ad aures deuoluit, aut si sordes concrescant in anfractibus, vel ex ariditate obdurescant. Fit & obstructio à vermibus aliisque rebus casu in aures illabentibus, vel à materia flatulenta; aut ab humore lento, frigido, viscido, crasso, aut à materia calida, biliosa, ex retentis biliosis excretionibus. Flatus sæpe dolorem cient intra membranas conclusi, cùm ob copiam exitum quęrunt, sed circumsepti membranas vehementer distendunt, atque ab osse diuellunt, sed talium dolorum sensus est sine ardore, & sine febri, sineque grauedine. Et distensionem efficit cum tinnitu aut strepitu valido, quibus notis distinguitur à dolore phlegmonis. Etiam frigidus & crassus humor internæ auri infarctus, dolorẽ ciet, sed remissiorem multò quàm aut phlegmone, aut flatulenta materia, & citra ardorem, citraque grauedinis ac distensionis sensum. Sed & aliæ sese notæ ostendunt, quæ redundantis pituitæ copiam arguunt. Cietur dolor & ab aliis humoribus, calidis, biliosis, quibus ardor adest, sed sine febre, & sola frigiditas aëris, ac ventorum, subitò auribus illisa, dolorem nónunquam infert. Ex sordibus aurium aut materia pituitosa, diu intra aurem detenta, vermes etiam gignuntur, perinde vt in intestinis, vnde σκωληκώδη ὦτα fiunt. Species sonitus & sibili in auribus similes sunt suffusionibus, quæ accidunt oculis, fiuntque aëre interno, qui inter pelliculas meatui auditus prætensas, continetur, impulso & agitato, allisoque

Signa dolorum ex flatibus.

Ex frigido & crasso humore.

Ex calido.

allisoque ad membranulas, quæ sunt organum auditus, sicut eædem foris impulsi gyratique, & velut inundantis aëris allisu intenduntur atque repelluntur. Omnis ergo sibilus ex motu & agitatione oboritur eorum, quæ sunt intra aures, sed agitantur hæc, vel ab immissis flatibus, aut ibidem agitatis, vel à feruore puris ac saniei in partibus vicinis, vt quando inflammationes suppurantur, vel à motu vermium, vel à commotione & exæstuatione humorum in toto corpore, & propriè in capite, vt in febribus, vel à repletione capitis, ex ebrietate, vel ab agitatione ventriculi in vomitu, aut feruore, vel exæstuatione humorum in osculo ventriculi, vel propter materiam viscidam redundantem in cerebro, aut locis auribus vicinis, & debili calore in flatus resolutam. Sed *à flatibus magna ex parte sunt tinnitus omnes*, siue ex cerebro ipso, siue ex toto corpore, siue à partibus cerebro consentientibus, vt ventriculo, intestinis, liene, epate, matrice originem primò habeant. Sibilum autem & tinnitum cient flatus tenues; sibilum quidem illapsu leni & sine violentia; Tinnitum verò cursu interrupto, sed cum allisu vehementiore, & quasi vibratis ictibus per interualla. Sonitum cient flatus crassiores plenius irruentes, & copia maiore, sed sine violentia, sicut strepitum validus eorundem impulsus efficit. Fluctuationis sensus ab humorum tenuium aut saniei, aut crassorum halituum iactatione oritur.

Sibilus & eius causa.

Tinnitus.

Sonitus.

Strepitus.

DE CVRATIONE.

PRIMVM de curanda phlegmone interna dicemus, in qua reuulsionis causa administrentur

Curatio phlegmonis internæ.

tur principio enemata, ex iis, quæ dicta sunt *supra in capite de phrenitide*, & secta eiusdem lateris humeraria educatur bona sanguinis quantitas, pro ratione ætatis, virium. Postea euacuationes fiant cum iisdem, quæ in phrenitide diximus, esse vsurpanda, & deriuationes. Denique, si incidat Medicus in principium, experiatur omnia, quibus prohiberi solet, ne phlegmone perueniat ad abscessum. Apocrustica tamen valide repellentia auri non applicentur, ne materia ab aure repulsa irruat in cerebrum: neque validè calida, *neque frigida conueniunt auribus.* Conueniunt ergo in principio *oleum rosatum, omphacinum, quod bulliat in modico vini albi, cui addatur aliquantum croci.* Et si fuerit opus maiore resolutione, sumatur *oleum rosatum completum cum chamomelino, & amygdalarum dulcium, vino albo & modico croci*, quæ ferueant ad vini consumptionem. Valet & *emplastrum de meliloto*, & plurimum quidem, præsertim si dolor adsit, *lac muliebre sæpe infusum*: si etiam per vices aliquando *oleum rosatum cum aceto decoctum* instilletur, item *oleum sesaminum, & mucilago fœnugræci, ac sem. lini.* Nam hæc leniter calefaciendo dissoluunt ac dissipant, si quid ex affluxu constitit, & dolorem leniunt. Si prohiberi abscessus nequeat, adhibeantur ea, quæ leniter maturant, quibus insit (vt Galenus *6. de tuenda sanit.* monet) aliqua virtus desiccandi, eaque tum circa aurem, tum in ipsam aurem indantur. Sed & admisceantur ex prædictis aliqua semper, ad dolorem mitigandum. Poterit ergo parari *emplastrum ex farinis fabarum, hordei, fœnugræci, mucilagine fœnugræci, & sem. lini, foliis maluarum, violarum, chamom. meliloto, radicibus*

cibus althea, sufficienter decoctis, & cum oleis sesamino & rosaceo, vel amygd. dulc. & pinguedine gall. & anatis, in formam emplastri subactis. Aut aliud fortius parari potest, quod

℞ *Farina frumenti q. s.*
Mucilag. sem. lini,
Fœnugraci ana ℥ ß.
Pingued. gallinæ vel anguillæ, quæ extillat, dum assatur, ℥ ij.
Lithargirii,
Cerussæ,
Olibani optimè tritorum ana ℥ j.
Aceti ℥ j.
Olei sesamini q. s. fiat emplastrum liquidum,

Emplastrũ liquidum.

quod in aures instilletur. Potest autem præmitti applicationi emplastri, fomentum vel suffumigium ex *decoctione foliorum maluæ, violarum, hordei, radicibus altheæ, furfurum, meliloti, pomorum dulcium prius confricłorum, sem. cidoniorum*, quod & maturabit phlegmonem, & dolorem sedabit mirificè. Poterit & linimentum in aures instillari, *ex oleo de vitellis ouorum, amydal. dulcium, violis, butyro recenti, pinguedine gallinæ, mucilag. fœnugraci, sem. lini, croco.* Auicenna laudat hoc emplastrum, quod fit *ex lithargyrio, cerussa, thure, farina volatili, resina de pino, oleo communi, adipe recenti porci, & succo sem. lini.* Si in phlegmone dolor sit intensus, & periculo non careat, *narcotica* in aurem immitti possunt, quale est sequens illud: quod

Emplastrum Auicenna.

℞ *Olei dulcis ℥ j.*
Opii, Gr. iij.
Cassiæ ligneæ,
Castorei, ana gr. ij.

Anodynum.

Croci Gr. j.

Lactis muliebris parum. *Misceantur.*

Aut *philonium Romanum cum lacte muliebri & oleo rosato.* Si extra aurem sit phlegmone & conspicua, eadem conducunt; Et interdum sufficit vel *emplastrum ex decocto farinæ tritici, solatri, & oleo sesamino.*

Curatio apostematis frigidi. Si non sit phlegmone, sed œdema, seu, vt vocant, apostema frigidum, quæ resoluendi & maturandi causa adhibeantur, calidiora sint, augeatur quantitas mucilaginum, admisceatur pinguedinibus & pinguedo vulpis. In principio verò conducent, *oleum chamom. amygdalarum dulcium, anethinum, emplastrum de meliloto.* In progressu verò *emplastrum paratum ex cœpis assatis sub prunis cum butyro.* Item: *Vermes siue lumbrici terrestres, vel aselli, qui sub vrceolis colliguntur, si assentur, & in puluerem terantur, cum oleis liliorum alborum, nardino, costino, rutaceo, in quibus aliquid castorei dissoluatur.* Fiant & fomenta & suffumigia *ex decocto calamenthi, absynthii, origani, maioranæ, fol. lauri, sem. anisi, anethi, cumini.* Et pro maturatione maiore & efficaciore prædictis emplastris addi possunt, *capita liliorum alborum, radices altheæ, ficus, vuæ passæ,* prout videbitur, & vsus

Vlceris. exegerit. Si rupto apostemate, remanet vlcus saniosum, id expurgandum est. Conferent autem, si vlcus manifestum fuerit, illitio oxymellis, vel ablutio cum aqua mellis, vel mel rosatum, vel *decoctio mellis cum rosis & myrtis.* Denique quæ abstergunt & deficcant, vt est *aqua myrrhæ cum oleo rosarum.* Si vlcus profundius fuerit, longa erit mundificatione opus. Conducet autem *oleum de vitellis ouorum cum melle rosato,* in quibus aliquid *sarcocollæ*

cocollæ diſſolui poteſt. Item *vinum granatorum cum melle roſato*, & ſi maiore abſterſione ſit opus, addi poteſt aliquid terebinthinæ lotæ cum vino granatorum, item *ſuccus virgæ paſtoris, & centumnodiæ, cum vino granatorum, additis lino, thure, ſarcocolla, melle roſato.* Si vlcus putre ſit, & valde ſordidum, *ſcoria ferri ter lota, in vino granatorum, & admixto vnguento AEgyptiaco, aloë, thure, ſarcocolla, deducta ad formam linimenti.*

Si neque ab apoſtemate, neque ab alia aliqua excreſcentia, neque à vermibus, aut granulis in aurem illapſis extiterint, ferè ab iiſdem oriuntu cauſis & affectionibus, quibus tinnitus, id eſt, à materia frigida, craſſa, viſcida, obſtruente vel non obſtruente, aut flatulenta.

Sed dolorem etiam ſæpe calida materia ciet, vbi ad dolorem ſedandum conueniunt ea, quæ de apoſtemate dicta ſunt, vt *lac muliebre, caprinum, vaccinum, oleum omphacinum in pomo aſſatum, cum modico croci. Oleum violarum & amygdalarum dulcium, cum modico croci decoctum in vino granatorum, ad vini conſumptionem, additis vermiculis, qui aſelli vocantur.* Vel, *pulpa pomi aſſati ſubactiq; in linimenti formam cum oleis roſarum & violarum, croco & vitello ouorum.* Proderit & cataplaſmata parari *ex farinis hordei & fabarum, furfuribus, & oleis roſato & chamomelino.*

Si cauſa frigida ſit doloris, ſurditatis, vel tinnitus cum vel ſine obſtructione, toto corpore diligenter euacuato, clyſteribus & medicamentis purgantibus eo ordine, qui *ſupra* expoſitus eſt; Caput etiam ſingulatim à ſuperfluis exoneretur, exhibitione pilularum *aurearum, ſine quibus eſſe no-* *Curatio doloris, ſurditatis vel tinnitus ex cauſa frigida.*

lo, aggregatiuarum, cochiarum, Azaiaret, agarici trocisati, & pilulas de agarico Mesue. Postea administrentur topica *ex oleis de castorio, amygdalarum amararum, anethino, nardino, costino, rutaceo, in quibus decoqui possunt lumbrici.* Item fomenta *ex foliis sambuci, ebuli, matricariæ, granis Iuniperi, baccis lauri, radicibus cyclaminus, asphodeli, maioranæ, absynthio, calamentho, betonica, ruta, hyssopo, centaurio minore, stœchade, spica nardi:* si bulliant hæc vel in aqua simplici & melle; vel applicentur forma sacculi. Mirificè etiam conducit *emplastrum ex cœpa assata sub cineribus feruentibus, additis oleis chamomelino, anethino, rosato, butyro recenti, & modico croci.* Commendantur & medicamenta ex elleboro, quod ℞ *olei amygdal. amararum* ℥ j. *fellis taurini* ℥ j. *ellebori nigri in puluerem triti gran. ij. castorei, aceti, ana* ℨ v. *Ferueant hæc simul ad consumtionem aceti.* Idem præstabit *elleborus niger, si cum granis iuniperi ferbuerit in oleo sesamino, amaracino, rutaceo, vulpino, de castoreo, aceto & vino albo odorato, ad consumptionem vini & aceti.* Valde laudatur & hoc medicamentum, quod fit ex *radicibus vitium ferentium albas & nigras vuas, absynthio, fellibus taurino & leporino, pinguedine vulpis & anguillæ, castorio, elleboro nigro decoctis cum aceto, vino odorato, & oleis nardino & laurino, decocti ad vini & aceti consumptionem:* pro pauperibus.

Doloris ex Vermibus. Vermes si in aures irrepserint, prius necare oportet, quàm extrahantur. Necantur autem oleis *amygdal. amararum, & de absynthio, in quibus dissolutum sit aliquid aloës epaticæ, & fellis taurini:* vel, *succo cucumeris asinini, in quo aliquid diagridii sit dissolutum.* Postea suffumigatur auris, *decocto anodynorum*, cuius formulas aliquot *supra* posuimus. Laxatis

xatis enim meatibus tali fomento, vermis aut ſponte excidet, ſi auri æger incubuerit; aut ita procidet, vt inſtrumento apprehendi & extrahi queat. In extractione aquæ, vel lapillorum, vel granorum conuenit ſuffumigium *ex decocto calamenthi & maioranæ in vino*: *Corporis ſuccuſſatio*, & præſertim illius partis, in qua eſt auris læſa, & decubitus ſupra aurem læſam: Commotio enim corporis, & præſertim pedum, brachiorum, ad aurem læſam lapidem prouoluet, vt excidat, vel arripi atque prouolui poſſit.

DE MORBIS ET SYMPTOMAtibus, quæ accidunt oris partibus interius, & primo de iis, quæ dentibus accidunt.

CAPVT VIII.

DENTES ſolos ex reliquis oſſibus nudos prominere, & quadam ſui parte extare, quadam inter alueos maxillarum oſſibus inciſa & carne gingiuarum, quæ eſt peculiaris membranis maxillarum veſtitu incluſa: Solos etiam attritu & mutuo ciborumque manſu atteri quotidie & comminui, & accreſcere atque augeri, cumque exciderint, renaſci tantiſper, donec materia ſuppetit, quæ eſt craſſior & terrea nutrimenti pars, quæ à neruis tanquam ſuperflua in dentium præſæpiola depulſa vlteriore coctione denſata ac velut ſolidata dentium ſubſtantiæ adnaſcitur atq; conformatur. Solos etiã ex omnibus oſſibus ſentire per ſe neruorũ beneficio, quos receptos intra ſe ter-

Dentes quid inter omnia oſſa habeant peculiare.

Dentium nutrimentum.

tii paris cerebri ſurculos continent; Solos dentes non ſimul cum reliquo corpore gigni, niſi rariſſimè, ſed aliquanto poſt prodire, vbi excrementitia cerebri neruorum & oſſium ſuperfluitas, quę in tenellis corporib. valde fluida eſt, aliis plus, aliis minus, calore coire cœpit atq; craſſeſcere, & ex copia nimia affluentis ſc. ſupfluitatis in tumorē attolli, atque inflammari, vt partes carnoſæ, tendi, frangi, loco moueri, denigrari; liuore deformari, obſtrui, omni denique dyſcraſiæ genere & dolore affici poſſe videatur: Neque obſtat oſſis ſoliditas. Omne enim, quæ à nutrimento augmentante extendi poteſt, idem à ſuperfluo etiam plus iuſto redundante poteſt extendi.

Vnde dentes proueniant.

Cùm autem omnis dentium affectio ſit vel cum dolore, vel ſine dolore, ὀδονταλγίαν tanquam vnum genus ſymptomatum ſtatuentes, cauſas eius in dentium affectionibus demonſtrabimus.

Ὀδονταλγία.

Ὀδονταλγία infeſtat, aut priuſquam dentes erumpunt gingiuis nondum perforatis: aut dentes iam editos & exortos. Prius vocant dentitionem, malum infantibus familiare. Sed & adultis interdum accidit, cùm dentes edunt, qui genuini vocantur; & circa annum vigeſimum octauum ferè prodeunt. Infantibus interdum cum alia ſymptomata præter dolorem, tum diarrhœas periculoſas, languefacta ſcilicet doloris magnitudine, natura; Phlegmonas gingiuarum cum febribus continuis, quæ tamen ſunt ſymptomata; Interdum pruritum gingiuarum, nonnunquam paroxyſmos epilepticos, quandoque & mortem afferunt.

Dentitio.

Ita Veſalius lib. 1. c. 11.

Vnde diarrhœa in dentitione.

Symptomata dentitionis.

Adultis

Causa dolorum dentium in adultis.

Adultis dolor dentium omnis esse aut ab affectione conspicua & euidente, vt cum perforatus est dens, vel erosus, vel fractus, vel gingiuę sunt inflāmatę, aut putres, vel lęditcalidis vel frigidis ꝓmpte aut vtrisq; aut est à latente & occulta affectione, q̄ in ꝓfundo hæret. Cietur aūt vel à sola & nuda dyscrasia simplici vel composita calida, frigida, sicca, humida, intus forisve impressa; Etsi sola humiditas per se dolorem non facit, sed copia vel ab intemperie cum materia. Intemperies cum materia dolorem facit, aut ratione phlegmonis seu inflammationis, quæ vel dentem ipsum, vel huic insertum neruum; vel eidem circundatam carnem gingiuarum obsidet; ex parte ex venis oritur per affluxum, & dolorem commouet acutum & pulsantem. Si nulla inflammatio adsit, dolor, qui vel dentem ipsum, vel neruum, vel membranam maxillæ circundatam obsidet cietur aut ab humore, aut à flatulento spiritu. Humor aut copia, aut crassitie, aut acumine, & simul calore aut frigore infestat. Calidus multus dispositionem efficit similem inflammationi tensione. Acris, erodit, vnde τρίμματα τῶν ὀδόντων, id est, dentes perforati & erosi fiunt. Frigidus pituitosus multus imbutus, neruos laxat, & alueolum facit ampliorem & laxiorem, vnde dentes fiunt vacillantes, sed eosdem & alię causæ labefactant, vt concussio ex ictu vel casu, erosio, siccitas etiam in senibus & cōualescentib. Item diminutio carnis gingiuæ. Frigidus & siccus crassus aut extendit, aut obstruit neruos & circundatam membranam, aut stuporem dentibus inducit; quem efficiunt etiā gustus acerborum crudorumque fructuum; ructus aut vomitus accidi,

&ex ventriculo exhalationes tales crudę, acerbæ, acidæ. Interdū humore putreſcente vermes in dẽte naſcuntur. Humor autem omnis, qui extra venas eſt, vel gignitur, vel coaceruatur in ipſo dente vitio nutrimenti, aut coctione; vel influit aliunde. Qui influit, aut ex ventriculo, aut ex cerebro, aut ex vtroque oritur. Interdum redundante in toto corpore cacochymia, quæ ex cerebro oritur, à vertice per tempora defluit in maxillam aut ſuperiorem, aut inferiorem, & in eum maxime dentem ꝓcumbit, qui antea aliquid vitii habet. Frigida fluxio ferè ſimul genas tumefacit, & dolorem excitat mitiorem; Calida acriorem, mixta medium. Cerebro recurrens deſtillatio, tandem excauat, exedit, putrefacit, & eroſo nerui ligamento dentem extrudit.

DE CVRATIONE.

Curatio dentitionis.

PRimum ſi indentitione natura nequeat extrudere dẽtes, aut ſi propter gingiuarum duritiem detineantur aut hæreant, proberit gingiuam ſæpe inungere butyro non ſalito aut ſolo aut cum melle mixto, vel adipe gallinæ, vel pinguedine anatis, vel medulla oſſium leporum, additis, ſi videbitur, pulueribus hyſſopi & origani. Commendantur & aſſata cerebra leporum, gallinarum & pullorum, ſi cum his gingiuæ fricentur. Gal. in *lib. theriaca ad Piſonem* valde laudat cerebrum ouillę. Vſurpantur & dentes luporum, vulpium canum, ii maxime, qui canini vocantur, & vrſini, de collo ſuſpenſi, ſi his mandenda gingiuæ atterantur. Hæc omnia valentà proprietate & attritis ruptiſve gingiuis exortum dentium promouent & accelerant. Ad duriti-

duritiem gingiuarum emolliendam conducunt *mucilagines. sem. lini, alth. commixta cum supra dictis pinguedinibus*, si febris absit. Si vero, quod frequenter accidit, adsit calor febrilis, sumatur *mucilago seminum cidoniorum cum oleo violaceo*. In adultis, si dolor dentium fit à dyscrasia calida, infrigidantibus; Si à frigida, calefacientibus; si à sicca, humectantibus; si ab humida, desiccantibus remoueatur. In quibus hoc semper obserua, *vt siue calefactioni intendas, siue in frigidationi habeas rationem astrictionis miscendo moderate styptica seu astringentia*. Ex calidis valent: *sal per se adustus, mel, saccharum, saluia, flores squinanthi, mentastrum, capilli Veneris, fructus & cortex radicum capparum: fructus cupressi, lignum aloës, mastiche, sandaraca, tragacanthum vstum, cinis de pilis leporinis vstis*. Ex frigidis valent: *santala, rosa, balaustia, myrtilli, folia & cortex arboris mori, folia tamarisci, gallæ, carabe, margaritæ, radix acetosæ, plantaginis semē acetosæ, cāphora, farina hordei*. Et à ꝓprietate valēt, *spolium serpentis*, si sc. decocto illius dētes colluant, *puluis cornu cerui vsti*, Itē *puluis de cornibus damarum, canini dentes contriti, lumbrici terrestres præparati, borax*.

Ad duritiem gingiuarum emolliendā.

Omnibus medicamentis dentium styptica esse immiscenda.

Medicamenta calida.

Frigida.

Appropriata

In calida ergo intemperie fiant collutiones vel epithemata ex *succis vel aquis plantag. portulacæ, semperviui, solatri, rosarum & acetos*. In frigida ex *decocto saluiæ, hyssopi, mētastri, origani, vel inūctio ex oleo been*. Proderit & foris applicare *medullā panis calidi extracti ex furno*, vel ʒ. dentē dolentē *vitellū assati oui calidi*. Et si sit dens ab externo frigore affectus, ꝓderit *decoctū ex baccis lauri, radice aristolochiæ lōgæ alumne*. Cui si videbit̃ aliqd de speciebus hieræ simplicis addi potest. Et si hæc nihil profecerint, applicari poterit synapismus, de oleo synapis, & ceræ albæ.

Si de

tur principio enemata, ex iis, quæ dicta sunt *supra in capite de phrenitide*, & secta eiusdem lateris humeraria educatur bona sanguinis quantitas, pro ratione ætatis, virium. Postea euacuationes fiant cum iisdem, quæ in phrenitide diximus, esse vsurpanda, & deriuationes. Denique, si incidat Medicus in principium, experiatur omnia, quibus prohiberi solet, ne phlegmone perueniat ad abscessum. Apocrustica tamen valide repellentia auri non applicentur, ne materia ab aure repulsa irruat in cerebrum: neque validè calida, *neque frigida conueniunt auribus.* Conueniunt ergo in principio *oleum rosatum, omphacinum, quod bulliat in modico vini albi, cui addatur aliquantum croci.* Et si fuerit opus maiore resolutione, sumatur *oleum rosatum completum cum chamomelino, & amygdalarum dulcium, vino albo & modico croci*, quæ ferueant ad vini consumptionem. Valet & *emplastrum de meliloto*, & plurimum quidem, præsertim si dolor adsit, *lac muliebre sæpe infusum*: si etiam per vices aliquando *oleum rosatum cum aceto decoctum* instilletur, item *oleum sesaminum, & mucilago fœnugræci, ac sem. lini.* Nam hæc leniter calefaciendo dissoluunt ac dissipant, si quid ex affluxu constitit, & dolorem leniunt. Si prohiberi abscessus nequeat, adhibeantur ea, quæ leniter maturant, quibus insit (vt Galenus 6. *de tuenda sanit.* monet) aliqua virtus deficcandi, eaque tum circa aurem, tum in ipsam aurem indantur. Sed & admisceantur ex prædictis aliqua semper, ad dolorem mitigandum. Poterit ergo parari *emplastrum ex farinis fabarum, hordei, fœnugræci, mucilagine fœnugræci, & sem. lini, foliis maluarum, violarum, chamom. meliloto, radi-*

cibus

cibus althea, sufficienter decoctis, & cum oleis sesamino & rosaceo, vel amygd. dulc. & pinguedine gall. & anatis, in formam emplastri subactis. Aut aliud fortius parari potest, quod

℞ *Farinæ frumenti q. s.*
Mucilag. sem. lini, — *Emplastrū liquidum.*
Fœnugræci ana ℥ ß.
Pingued. gallinæ vel anguillæ, quæ extillat, dum assatur, ℥ ij.
Lithargirii,
Cerussæ,
Olibani optimè tritorum ana ℥ j.
Aceti ℥ j.
Olei sesamini q. s. fiat emplastrum liquidum, quod in aures instilletur. Potest autem præmitti applicationi emplastri, fomentum vel suffumigium ex *decoctione foliorum maluæ, violarum, hordei, radicibus altheæ, furfurum, meliloti, pomorum dulcium prius confrictorum, sem. cidoniorum*, quod & maturabit phlegmonem, & dolorem sedabit mirificè. Poterit & linimentum in aures instillari, *ex oleo de vitellis ouorum, amydal. dulcium, violis, butyro recenti, pinguedine gallinæ, mucilag. fœnugræci, sem. lini, croco.* Auicenna laudat hoc emplastrum, quod fit *ex lithargyrio, cerussa, thure, farina volatili, resina de pino, oleo communi, adipe recenti porci, & succo sem. lini.* Si in phlegmone dolor sit intensus, & periculo non careat, *narcotica* in aurem immitti possunt, quale est sequens illud: quod — *Emplastrum Auicenna.*

℞ *Olei dulcis ℥ j.*
Opii, Gr. iij. — *Anodynum.*
Cassiæ ligneæ,
Castorei, ana gr. ij.

Croci Gr. j.

Lactis muliebris parum. *Misceantur.*

Aut *philonium Romanum cum lacte muliebri & oleo rosato.* Si extra aurem sit phlegmone & conspicua, eadem conducunt; Et interdum sufficit vel *emplastrum ex decocto farinæ tritici, solatri, & oleo sesamino.*

Curatio apostematis frigidi. Si non sit phlegmone, sed œdema, seu, vt vocant, apostema frigidum, quæ resoluendi & maturandi causa adhibeantur, calidiora sint, augeatur quantitas mucilaginum, admisceatur pinguedinibus & pinguedo vulpis. In principio verò conducent, *oleum chamom. amygdalarum dulcium, anethinum, emplastrum de meliloto.* In progressu verò *emplastrum paratum ex cæpis assatis sub prunis cum butyro.* Item: *Vermes siue lumbrici terrestres, vel aselli, qui sub vrceolis colliguntur, si assentur, & in puluerem terantur, cum oleis liliorum alborum, nardino, costino, rutaceo, in quibus aliquid castorei dissoluatur.* Fiant & fomenta & suffumigia *ex decocto calamenthi, absynthii, origani, maioranæ, fol. lauri, sem. anisi, anethi, cumini.* Et pro maturatione maiore & efficaciore prædictis emplastris addi possunt, *capita liliorum alborum, radices altheæ, ficus, vuæ passæ,* prout videbitur, & vsus exegerit.

Vlceris. Si rupto apostemate, remanet vlcus saniosum, id expurgandum est. Conferent autem, si vlcus manifestum fuerit, illitio oxymellis, vel ablutio cum aqua mellis, vel mel rosatum, vel *decoctio mellis cum rosis & myrtis.* Denique quæ abstergunt & desiccant, vt est *aqua myrrhæ cum oleo rosarum.* Si vlcus profundius fuerit, longa erit mundificatione opus. Conducet autem *oleum de vitellis ouorum cum melle rosato,* in quibus aliquid *sarcocollæ*

cocolla dissolui potest. Item *vinum granatorum cum melle rosato*, & si maiore abstersione sit opus, addi potest aliquid terebinthinæ lotæ cum vino granatorum, item *succus virgæ pastoris, & centumnodiæ, cum vino granatorum, additis lino, thure, sarcocolla, melle rosato.* Si vlcus putre sit, & valde sordidum, *scoria ferri ter lota, in vino granatorum, & admixto vnguento AEgyptiaco, aloë, thure, sarcocolla, deducta ad formam linimenti.*

Si neque ab apostemate, neque ab alia aliqua excrescentia, neque à vermibus, aut granulis in aurem illapsis extiterint, ferè ab iisdem oriuntur causis & affectionibus, quibus tinnitus, id est, à materia frigida, crassa, viscida, obstruente vel non obstruente, aut flatulenta.

Sed dolorem etiam sæpe calida materia ciet, vbi ad dolorem sedandum conueniunt ea, quæ de apostemate dicta sunt, vt *lac muliebre, caprinum, vaccinum, oleum omphacinum in pomo assatum, cum modico croci. Oleum violarum & amygdalarum dulcium, cum modico croci decoctum in vino granatorum, ad vini consumptionem, additis vermiculis, qui aselli vocantur.* Vel, *pulpa pomi assati subactiq; in linimenti formam cum oleis rosarum & violarum, croco & vitello ouorum.* Proderit & cataplasmata parari *ex farinis hordei & fabarum, furfuribus, & oleis rosato & chamomelino.*

Si causa frigida sit doloris, surditatis, vel tinnitus cum vel sine obstructione, toto corpore diligenter euacuato, clysteribus & medicamentis purgantibus eo ordine, qui *supra* expositus est; Caput etiam singulatim à superfluis exoneretur, exhibitione pilularum *aurearum, sine quibus esse no-* ***Curatio doloris, surditatis vel tinnitus ex causa frigida.***

 lo, ag-

lo, aggregatiuarum, cochiarum, Azaiaret, agarici trocis̄ati, & pilulas de agarico Mesuæ. Postea administrentur topica *ex oleis de castorio, amygdalarum amararum, anethino, nardino, costino, rutaceo, in quibus decoqui possunt lumbrici.* Item fomenta *ex foliis sambuci, ebuli, matricariæ, granis Iuniperi, baccis lauri, radicibus cyclaminus, asphodeli, maioranæ, absynthio, calamentho, betonica, ruta, hyssopo, centaurio minore, stœchade, spica nardi:* si bulliant hæc vel in aqua simplici & melle; vel applicentur forma sacculi. Mirificè etiam conducit *emplastrum ex cœpa assata sub cineribus feruentibus, additis oleis chamomælino, anethino, rosato, butyro recenti, & modico croci.* Commendantur & medicamenta ex elleboro, quod ℞ *olei amygdal. amararum* ℥ j. *fellis taurini* ʒ j. *ellebori nigri in puluerem triti gran. ij. castorei, aceti, ana* ʒ v. *Ferueant hæc simul ad consumtionem aceti.* Idem præstabit *elleborus niger, si cum granis iuniperi ferbuerit in oleo sesamino, amaracino, rutaceo, vulpino, de castoreo, aceto & vino albo odorato, ad consumptionem vini & aceti.* Valde laudatur & hoc medicamentum, quod fit ex *radicibus vitium ferentium albas & nigras vuas, absynthio, fellibus taurino & leporino, pinguedine vulpis & anguillæ, castorio, ellebro nigro decoctis cum aceto, vino odorato, & oleis nardino & laurino, decocti ad vini & aceti consumptionem:* pro pauperibus.

Doloris ex Vermibus. Vermes si in aures irrepserint, prius necare oportet, quàm extrahantur. Necantur autem oleis *amygdal. amararum, & de absynthio, in quibus dissolutum sit aliquid aloës epaticæ, & fellis taurini:* vel, *succo cucumeris asinini, in quo aliquid diagridii sit dissolutum.* Postea suffumigatur auris, *decocto anodynorum*, cuius formulas aliquot *supra* posuimus. Laxatis

xatis enim meatibus tali fomento, vermis aut ſponte excidet, ſi auri æger incubuerit; aut ita procidet, vt inſtrumento apprehendi & extrahi queat. In extractione aquæ, vel lapillorum, vel granorum conuenit ſuffumigium *ex decocto calamenthi & maiorana in vino: Corporis ſuccuſſatio*, & præſertim illius partis, in qua eſt auris læſa, & decubitus ſupra aurem læſam: Commotio enim corporis, & præſertim pedum, brachiorum, ad aurem læſam lapidem prouoluet, vt excidat, vel arripi atque prouolui poſſit.

DE MORBIS ET SYMPTOMAtibus, quæ accidunt oris partibus interius, & primo de iis, quæ dentibus accidunt.

CAPVT VIII.

DENTES ſolos ex reliquis oſſibus nudos prominere, & quadam ſui parte extare, quadam inter alueos maxillarum oſſibus inciſa & carne gingiuarum, quæ eſt peculiaris membranis maxillarum veſtitu incluſa: Solos etiam attritu & mutuo ciborumque manſu atteri quotidie & comminui, & accreſcere atque augeri, cumque exciderint, renaſci tantiſper, donec materia ſuppetit, quæ eſt craſſior & terrea nutrimenti pars, quæ à neruis tanquam ſuperflua in dentium præſæpiola depulſa vlteriore coctione denſata ac velut ſolidata dentium ſubſtantiæ adnaſcitur atq; conformatur. Solos etiã ex omnibus oſſibus ſentire per ſe neruorũ beneficio, quos receptos intra ſe ter-

Dentes quid inter omnia oſſa habeant peculiare.

Dentium nutrimentum.

tii paris cerebri surculos continent; Solos dentes non simul cum reliquo corpore gigni, nisi rarissimè, sed aliquanto post prodire, vbi excrementitia cerebri neruorum & ossium superfluitas, quę in tenellis corporib. valde fluida est, aliis plus, aliis minus, calore coire cœpit atq; crassescere, & ex copia nimia affluentis se. supfluitatis in tumorē attolli atque inflammari, vt partes carnosæ, tendi, frangi, loco moueri, denigrari; liuore deformari, obstrui, omni denique dyscrasiæ genere & dolore affici posse videatur: Neque obstat ossis soliditas. Omne enim, quæ à nutrimento augmentante extendi potest, idem à superfluo etiam plus iusto redundante potest extendi.

Vnde dentes proueniant.

Cùm autem omnis dentium affectio sit vel cum dolore, vel sine dolore; ὀδονταλγίαν tanquam vnum genus symptomatum statuentes, causas eius in dentium affectionibus demonstrabimus.

Ὀδονταλγία.

Ὀδονταλγία infestat, aut priusquam dentes erumpunt gingiuis nondum perforatis: aut dentes iam editos & exortos. Prius vocant dentitionem, malum infantibus familiare. Sed & adultis interdum accidit, cùm dentes edunt, qui genuini vocantur; & circa annum vigesimum octauum ferè prodeunt. Infantibus interdum cum alia symptomata præter dolorem, tum diarrhœas periculosas, languefacta scilicet doloris magnitudine, natura; Phlegmonas gingiuarum cum febribus continuis, quæ tamen sunt symptomata; Interdum pruritum gingiuarum, nonnunquam paroxysmos epilepticos, quandoque & mortem afferunt.

Dentitio.

Ita Vesalius lib. I. c. 11.

Vnde diarrhœa in dentitione.

Symptomata dentitionis.

Adultis

Adultis dolor dentium omnis esse aut ab affectione conspicua & euidente, vt cum perforatus est dens, vel erosus, vel fractus, vel gingiuę sunt inflāmatę, aut putres, vel lęditˊcalidis vel frigidis ꝓmpte aut vtrisq; aut est à latente & occulta affectione, q̄ in ꝓfundo hæret. Cietur aūt vel à sola & nuda dyscrasia simplici vel composita calida, frigida, sicca, humida, intus forisve impressa; Etsi sola humiditas per se dolorem non facit, sed copia vel ab intemperie cum materia. Intemperies cum materia dolorem facit, aut ratione phlegmonis seu inflammationis, quæ vel dentem ipsum, vel huic insertum neruum; vel eidem circundatam carnem gingiuarum obsidet; ex parte ex venis oritur per affluxum, & dolorem commouet acutum & pulsantem. Si nullà inflammatio adsit, dolor, qui vel dentem ipsum, vel neruum, vel membranam maxillæ circundatam obsidet cietur aut ab humore, aut à flatulento spiritu. Humor aut copia, aut crassitie, aut acumine, & simul calore aut frigore infestat. Calidus multus dispositionem efficit similem inflammationi tensione. Acris, erodit, vnde τρίμματα τῶν ὀδόντων, id est, dentes perforati & erosi fiunt. Frigidus pituitosus multus imbutus, neruos laxat, & alueolum facit ampliorem & laxiorem, vnde dentes fiunt vacillantes, sed eosdem & alię causæ labefactant, vt concussio ex ictu vel casu, erosio, siccitas etiam in senibus & cōualescentib. Item diminutio carnis gingiuæ. Frigidus & siccus crassus aut extendit, aut obstruit neruos & circundatam membranam, aut stuporem dentibus inducit; quem efficiunt etiā gustus acerborum crudorumque fructuum; ructus aut vomitus accidi, *Causa doloru dentium in adultis.*

&ex ventriculo exhalationes tales crudę, acerbæ, acidæ. Interdū humore putreſcente vermes in dęte naſcuntur. Humor autem omnis, qui extra venas eſt, vel gignitur, vel coaceruatur in ipſo dente vitio nutrimenti, aut coctione; vel influit aliunde. Qui influit, aut ex ventriculo, aut ex cerebro, aut ex vtroque oritur. Interdum redundante in toto corpore cacochymia, quæ ex cerebro oritur, à vertice per tempora defluit in maxillam aut superiorem, aut inferiorem, & in eum maxime dentem procumbit, qui antea aliquid vitii habet. Frigida fluxio ferè ſimul genas tumefacit, & dolorem excitat mitiorem; Calida acriorem, mixta medium. Cerebro recurrens deſtillatio, tandem excauat, exedit, putrefacit, & eroſo nerui ligamento dentem extrudit.

DE CVRATIONE.

PRimum ſi in dentitione natura nequeat extrudere dētes, aut ii propter gingiuarum duritiem detineantur [illegible] hæreant, proberit gingiuam ſæpe inungere butyro non ſalito aut ſolo aut cum melle mixto, vel adipe gallinæ, vel pinguedine anatis, vel medulla oſſium leporum, additis, ſi videbitur, pulueribus hyſſopi & origani. Commendantur & aſſata cerebra leporum, gallinarum & pullorum, ſi cum his gingiuæ fricentur. Gal. in *lib. theriacæ ad Piſonem* valde laudat cerebrum ouillę. Vſurpantur & dentes luporum, vulpium canum, ii maxime, qui canini vocantur, & vrſini, de collo ſuſpenſi, ſi his mandenda gingiuæ atterantur. Hæc omnia valentà proprietate & attritis ruptiſve gingiuis exortum dentium promouent & accelerant. Ad duriti-

Curatio dentitionis.

duritiem gingiuarum emolliendam conducunt mucilagines. sem. lini, althea commixta cum supra dictis pinguedinibus, si febris absit. Si vero, quod frequenter accidit, adsit calor febrilis, sumatur mucilago seminum cidoniorum cum oleo violaceo. In adultis, si dolor dentium sit à dyscrasia calida, infrigidantibus; Si à frigida, calefacientibus; si à sicca, humectantibus; si ab humida, desiccantibus remoueatur. In quibus hoc semper obserua, *vt siue calefactioni intendas, siue infrigidationi habeas rationem astrictionis miscendo moderate styptica seu astringentia.* Ex calidis valent: *sal per se adustus, mel, saccharum, saluia, flores squinanthi, mentastrum, capilli Veneris, fructus & cortex radicum capparum: fructus cupressi, lignum aloës, mastiche, sandaraca, tragacanthum vstum, cinis de pilis leporinis vstis.* Ex frigidis valent: *santala, rosa, balaustia, myrtilli, folia & cortex arboris mori, folia tamarisci, gallæ, carabe, margaritæ, radix acetosæ, plantaginis semē acetosæ, cāphora, farina hordei.* Et à ꝓprietate valēt, *spolium serpentis,* si sc. decocto illius dētes colluant, *puluis cornu cerui vsti*, Itē *puluis de cornibus damarum, canini dentes contriti, lumbrici terrestres præparati, borax.*

Ad duritiem gingiuarum emolliendā.

Omnibus medicamentis dentium styptica esse immiscenda.

Medicamenta calida.

Frigida.

Appropriata

In calida ergo intemperie fiant collutiones vel epithemata ex *succis vel aquis plantag. portulacæ, semperviui, solatri, rosarum & acetos.* In frigida ex *decocto saluiæ, hyssopi, mētastri, origāni, vel inūctio ex oleo been.* Proderit & foris applicare *medullā panis calidi extracti ex fumo,* vel ℥. dentē dolentē *vitellū assati oui calidi.* Et si sit dens ab externo frigore affectus, ꝓderit *decoctū ex baccis lauri, radice aristolochiæ lōgæ aliūne.* Cui si videbit aliqd de speciebus hieræ simplicis addi potest. Et si hæc nihil profecerint, applicari poterit synapismus, de oleo synapis, & ceræ albæ.

Si do-

oleo rosato, omphacino, lacte vaccino. In frigida fiăt collutiones *ex decocto saluiæ & mastiches, quib. gallæ, balaustiæ, rosæ, myrtilli & similia styptica* addi possunt. Postea adhibeantur resoluentia. In calida *decoctũ passularum, fœnugræci, florum chamō. maluarum.* Aut emplastrum *ex medulla pomorum dulcium, farina hordei & aliis.* In frigida, *decoctio hyssopi, betonicæ, origani rad. diptami, cum vino infusionis pœoniæ*; Aut *vinum vel acetum, in quo ferbuerit sandarcaca, mastiche, borax, saluia, cornu cerui vstum*: Extra inflammationem in defluxionibus frigidis vsurpari possunt, tum hæc ipsa, q̃ iam enumerata sunt, tum, si nihil proficiant, alia, vt linimentum ex *hiera simplici & mithridatio cum aq. vitæ*, vel ex *theriaca cum pulueribus nigellæ, pyrethri, & piperis*; *vel decoctum pyrethri, nigellæ, piperis fol. lauri, origani, rad. diptamni, chelidoniæ,* q̃ à tota specie valẽt. Ad extremum in magnis doloribus à causa frigida, laudantur *radices colocynthidas, cucumeris asinini, aristolochiæ longæ, pyrethri, sem. synapis, staphysagriæ, & asæ fœtidæ.* In calida vel frigida, si dolor sit intensus, & ex his, quæ prædicta sunt, nihil dolorem leniuerint, Narcotica adhiberi possunt, quæ dolorem non tam sedant, quam violenter extinguunt, hebetato ac stupefacto sensu dentis. Possunt autem vsurpari talia, ordiendo à lenissimis.

Radix hyosciami, in frigida affectione decoquatur cum aceto, & calida cum vino. Et hoc decocto abluatur dens dolens. Quod si hæc nihil proficiant, inungatur denti dolenti philonium Romanum, vel linimentum paretur *ex modico opii camphora puluere pyrethri, & oleo rosato*; vel pilulæ fiant ex his: *Pilula narcotica.*

℞ *Rad. hyoscyami albi,*
Styracis, Galbani an. ℥ j,

Piperis,

Piperis, Assæ fœtide,
Opii an. ℈ j,
Subigantur, cũ rob. vuæ agrestis in massam, vnde *pilulæ formentur,* quæ denti dolenti applicentur.

Ad dentium dolorem experimentum mirabile remouens eum in media hora.

Alia. ℞ *Sem. Apii gr. ij,*
Opii,
Hyoscyami, an. Gr. iiij,
Cum syrup. de papauere, vel vino, fiant pilulæ vnamq; teneat intra dentes doloris tempore.

DE COMMOTIS DENTIBVS & necandis vermibus.

AD cõmotionem dentium, præsertim si sit à laxatione neruorum, post euacuationẽ vniuersalem & particularem, conueniunt desiccantia & astringentia, cum aliqua resolutione, vt sunt, *cornu cerui vstũ, capillus Veneris, thus, sandaraca, mastiche, crocus, gallæ, alumen, cupressus, myrrha, pyrethrum & similia.* Fiat ergo puluis talis.

Puluis astringens. ℞ *Corall. alb. vel rubeorum* ℥ ß.
Mastich. ℥ ij, *Terantur in puluerem exactissime & applicentur denti dolenti.* In stupore dentium *mastiche & portulaca cum nucleis nucis iuglandis* vel *amygdalis,* vel *auellanis.* In corrosione post euacuationem materiæ putridæ acris & corrodentis, conducunt resoluentia initio, vt sunt *Nigella decocta in aceto,* vel *radices capparum,* aut *zinziberis similiter in aceto decocta.* Postea astringentia, quæ & affluxum nouæ materiæ & corrosionem prohibeãt, vt sunt *Gallæ, mastiche, cyperus,* Ὀδοντρίμματα *dealbandus &*

Contra stuporem dentium.

Corrosionẽ.

dis & firmandis dentibus conuenientia, plurima recenset Galenus in 5. κατὰ τόπους. Poterit autē & tale vsurpari dentifricium.

℞ *Nitri,*
Osis sepiæ,
Myrrhæ, an. ʒ *iij,* Dentifriciū.
Mastiches,
Cyperi an. ʒ *ſ.*
Cornu cerui vsti,
Rosarum,
Costi,
Cinnamomi,
Anisi,
Gallarum,
Salis ammoniaci,
Aluminis fissilis,
Sandaracæ an. ʒ *j,*

Fiat puluis, quo dentes fricentur à cibo, & post frictionem abluantur vino calido. Hic puluis & dealbat & roborat dentes eosdem, & suauem gratumque reddi halitum oris. Potest & simplicius dentifricium parari ex *sale vsto, cinnamomo & spica.* Aliud.

Vermes dentium necant *sem. porri & synapios & cum cera alba* subacta *pilulæ formentur*, & de his super carbones proiectis fumus recipiatur per infundibulum ad dentem verminantem. Contra vermes dentium.

Ad extrahendos dentes commendantur *radix tithymalli cū lacte eiusdē & radices abrotani. Item Ammoniacum cum sulphure.* Sed in horum vsu & applicatione cauendum diligenter, ne medicamenta vicinos dentes sanos attingant. Ad dentes extrahēdos.

DE MOR-

DE MORBIS ET SYMPTOmatis faucium.

Faucium descriptio.

QVod φάρυγγα καὶ ἰσθμὸν Græci, Latini fauces nominant, totam oris cauitatem interiorem gulæ, gutturique, quod λάρυγγα pprie nominant, præiacentem, in qua Columella, tonsillæ, & ipsum caput asperæ arteriæ, continentur, sicut anteriorē & superiorem ὑπερῴαν & οὐρανίσκον, notum est ex anatome. Afficiuntur autem fauces vel desuper à capite, vnde morborum, qui fauces infestare consueuerunt, materia proficiscitur cum defluxu; vel ab imo, faucibus, scilicet compatientibus, ipsius thoracis, & imi ventris affectionibus, vt initiis vētriculi, inflammationibus epatis, pulmonum, laterum. Itemque febribus ardentibus ac pestilentibus, quibus fauces aduruntur, exulcerātur, incrustantur; Item infectionibus sanguinis, vt in morbo gallico. Defluxiones superfluitatum cerebri, siue quæ intra ea vasa continentur, siue quæ extra; hæc in cauis spaciis quibuscunque intra cranium concluduntur, cum virtute cerebri extrudūtur, diuersorum morborum fiunt causæ, prout in partes feruntur diuersas. Ex earundem ergo defluxu decubituque in fauces, alias aliter inclusæ his ac comprehensæ partēs afficiuntur. Sunt autem partes Gurgulio seu Columella, q̄ veteres Galeno autore γαργαρεῶνα & κωνίδα vocarunt. Etsi hoc nomen posterius recentiores tribuerunt cuidam affectui præter naturali. Estq; gurgulio, *caruncula species Columellæ* ex alto dependens. Gurgulioni vtrinque adiunctæ sunt glandulę, quas recentiores ἀντιάδας nominant, etsi Galenus has voces declarant ἀντιάδας

Faucium affectus vnde.

Gurgulio quid.

ἀντιάδες.

τιάδας glandularum, παρίσθμια vero vicinarum his partium inflammationes ex veterum doctrina nominat. Prominet in fauces & caput asperæ arteriæ, q̃ λάρυγγα & guttur nominat ex cartilaginib. tribus & musculis quibusdã ꝓpriis, quibusdã communibus cum lingua & faucibus coagmentatis. Primum ergo dicemus de vitiis harum partiũ, quibus afficiuntur, vt morbis, nõ vt symptomatis. παρίσθμια. Larynx guttur.

Quæ ex cerebro in fauces decumbunt, ferunt eo aut per venas σφαγίτιδας, Itemque per arterias καρωτίδας, quas cum cerebro communes habent; aut per foramina incisa ossi basilari, per quæ cerebrum in fauces deponit pituitam. Fluctiones per vasa, si calidę sint, sanguineę aut biliosę, ciẽt phlegmonas seu inflammationes; si frigidæ, pituitosæ οἰδήματα; si melancholicæ, scyrrhos. Vnde Paulus, *lib. 3. cap. 26.* ἀντιάδας scyrrhos nominat.

Fluxiones extra vasa pro humorum qualitate & natura, aut laxant, aut tumefaciunt, aut erodũt partes easdem, sunt enim magna ex parte pituitosæ. Si ergo ex defluxu per venas columellas obsederit inflãmatio, cum tumore, rubore, dolore, ardore, febre, & impedimẽto deglutitionis, vocatur, si inde figuram acquisiuerit tenuem columella & oblongam, κιονὶς nomine partis, ab oblonga columnæ figuræ. Si inferius rotunda fuerit instar acini vuæ, σαφυλὴ Si glandulas gurgulioni vtrinque vicinas inflammatio obsederit, malum vocãt ἀντιάδας, quod crebro accidit sub ætatem pubescẽtem, teste Hipp. *3. Aph. 26.* Et puellis crebrius, q̃ masculis tempore mensium. Si vel tunicam vestientẽ fauces, quæ ventri gulæque, totiq; ori communis est atque continua, vel substratos illi musculos occupant, κιονίς. σαφυλή. ἀνδιάδαι.

παρίσθμια. cupant, παρισθμίων sortitur appellationem. Si
Angina. musculos laryngis inuadit, anginam adfert, morbum peracutum, vt qui cibi potusve & spiritus vis interclusis respirationem omné adimit, aut facit difficilimam, & deglutitione prohibita, si quid infunditur regurgitat in nares & dolore acerbissimo fauces exercet cum febri ardente. Galen. vtraque voce κυνάγχης & συνάγχης veteres vsos esse prodidit. Facit autem fere legitimæque anginæ diffe-
Angina differentiæ. rentias quatuor, quam distinctionem secuti sunt & cæteri. Primam omnium periculosissimam cen-
1. suit Hipp. cum interioribus musculis gutturis, qui
κυνάγχη laryngis proprii, & cartilagines eius inter se coniungunt, inflammatis, neque in faucibus, neq; in ceruice tumor apparet. Galen' κυνάγχην nominat; symptomata hæc infligit grauissima, eum plerumque [illegible] suffocationes, piculo. II. Altera est, cũ exteriores
2. musculi gutturis (quos larynx cõmunes habet cũ faucibus) inflammatur, tumore in faucibus ma-
παρακυνάγχη. nifeste & conspicuo; Galenus παρακυνάγχην nominat. Hæc etsi sæua est, tamen minus habet periculi, eo, quod malum se proferens auxilia promptius admittit. III. Tertia in musculis est faucium in-
3. terioribus, qui ad ceruicem vergunt, seq; cum rubore & tumore foris ostendunt. De hac Hipp. inquit 6. Aph. 37. & 7. Aph. 49. *Angina correpto si tumor in collo fiat, bonum est, foras enim morbus fertur.* Item *angina correpto, si tumor in pectore apparet, bonum, foras enim morbus fertur.*

IIII. Quarta mitissima & tutissima est, cum
4. interioribus omnibus ab inflammatione immunibus, musculi, qui ad exteriora ceruicis vergunt, inflammatione laborant quorum tamen tumore

præ-

premuntur atque coarctantur interiora, & eo cõpressu introitus spirituum ceu impeditur. Cognata huic est ea anginæ species, quæ de luxatis & inflammatis ceruicis vertebris, vel de ijsdem arthritide correptis, existit. Si, quod crebro fit in catarrhis, humor, qui extra venas est, in fauces decubuerit, diuersa etiam excitabit affectionum genera pro qualibet humoris & copia; & pro ratione affectæ partis. Si enim humor tenuis aut crassus gurgulionem luxarit, & tumefecerit, malum commouet, quod nos vuulæ laxationem (κιονίδα) vocamus. Cum fauces & παρίσθμια compleuerit humor viscidus & lentus & copiosus, periculum strangulationis adferet; aut si copiosus non fuerit, adhærebit tamen & obstruet impedietq; deglutitionem & respirationem cum enim in musculos Laryngis & faucium talis sese humor ingesserit, anginam nothã & mendosam excitabit, quæ sine febri est, & sine fauciũ ardore & rubore. Si humor acredine pditus fuerit, erosione fauces exulcerabit. Sed ab imo, vt ex thorace, vẽtriculo, epate, graui⁹ multo afficiunt fauces. Nã & in ardẽtib. febrib. ac pestilẽtib. & inflãmationib. thoracis, epatis, vẽtriculi durant, denigrant, ac velut incrustant, quod malũ improprie angina dicũt; & quãq; symptoma est, tamẽ peculiarẽ curationẽ exigit post morbũ, ne prius ęgrũ suffocet, quã morb⁹ ipse tolli possit; Et opplẽtur fauces sordido, lento ac putri phlegmate, ea sc. pituita q̃ à capite defluit & ex vẽtriculo resudat sursum ex febrili calore lentescente, aut exulcerantur fauces ventriculo obnoxio biliosis acribus ac mordacibus humoribus. Ex epatis etiam & massæ sanguinex infectionibus, à liene venenatis corripiuntur *Angina notha.*

 vlceribus

vlceribus pessimis, quæ rodendo exedendoque serpunt, gurgulionem absumunt & fauces perforant.

Causa harum affectionem interna & propinqua.

Causæ ergo internæ, propinquæ harum affectionum sunt, humores intra & extra venas, vel vapores etiam ad fauces transmissi à partibus corporis superioribus vel inferiorib. recte valentibus vel affectis, q̃ sunt partes mittentes. Nam ex affluxu humorum plerçque faucium affectiones oriũtur, illis exceptis, quas causæ procatarcticæ cient, vt comestio ciborum acrium, quare interfluxiones recte recensent causæ internæ. Remotæ & externæ multæ sunt, q̃ cum generant ꝑparantq; materiã, tum eandẽ cõmouent, impellunt ac protrudunt, tum fauces ipso transitu afficiuntur, vt plethora, vini meracioris largior ingurgitatio, voracitas, iracundia, vsus rerum vrentium, æstus & ardor, venus.

Externa.

Paristhmiis infantes crebro corripiũtur, illis sc. q̃ nõ ex inflãmatione, sed ex defluxu rudæ pituitæ fiunt. Lactentes quidẽ ex haustu lactis, pueri & adultiores ex voracitate, sicut testat Hip. 3. *Aph. 26.* Est & laxatio gargarionis familiaris infantib. aut pueris & adultis cũ pubescunt: Deinde ii, qui sanguine abundãt, his inflãmationib. valde obnoxii. Angina vera & συφλὴ pueris & infantib. citius accidit adultis frequẽtius. *Omnis aũt agina vera periculosa est,* sed oĩm piculosiss. cum neq; in faucib. neq, in ceruice, neque in collo, vel pectore foris tumor roburve apparuerit. Hæc n. eodẽ die, vel secundo, vel tertio quartove strangulat, teste Hip. 3. *prognost.* Ideo recensetur inter morbos peracutos, & declarat hoc Gal. erudite *in com. 34. Aph. 4 parte. Si à febre*

habita

habita repente suffocatio superuenerit, tumore in faucibus nullo apparente, lethale est. Securissima ergo omnium erit, si tumor maxime foris appareat, vel in collo aut ceruice secundũ *Aph.37 part.6.* vel sub cute pectoris secundũ *Aph.4 .part.7.* Si aũt intra pulmonem cõuersio fiat, partim adfert magna ex parte purulẽtiã, secundum Hipp. *3.prognost.& Aph.10.part.5. Quicunq; ab angina liberãtur, iis ad pulmonẽ vertitur in 7.diebus perimit. Si aũt hos effugerint, suppurãtur,* semp n. fluxiones, q̃ ad cutẽ & exteriora ferunt, salubriores multo sunt ijs, q̃ in ꝓfundum decumbunt. Pueris talis angina raro oboritur, nisi cum ceruicis vertebræ luxatæ loco excidunt, ꝙ fiet cũ casus antecessit, ictusve, vel humor ꝑter naturam vertebrarũ vincula luxauit, vel sua copia easdem de propria sese dimouit. Non raro enim ex defluxu catarrhorum in spinalem medullam vertebra luxatur.

DE CVRATIONE.

CVm faucium affectiones præcipue & pleræq; oriantur à fluxionib. humorum, q ad eas partes vel per vasa vel extra vasa deferuntur, curationem exigunt, q̃ fluxiones ceteræ; Consistentem sc. in reuulsione & repercussione materiæ affluentis, Deriuatione eorum, q̃ in parte decubuerunt, & reliquarum resolutione; Consideratis sc. mẽbro mãdante, membro recipiente, vijs deferentibus, tempore fluxionis & materiæ. Omnibus autem his affectionibus statim in principio occurrendum est, & ne collecta & fixa fluxio tumorem excitet & adaugeat, neue tumor in abscessum degeneret, quãtum fieri potest celerrime prohibendum est, ꝑsertim in angina, quæ nullam concedit morã aut

cunctatione. Si itaq; fluxio p venas impulsa in fauces excitauerit anginam, vuulam, paristhmia, vel anthiades, quæ sunt affectiones ex genere inflammationum, & suis discernuntur notis, de quibus dictum est; Primo omnium fiat reuulsio materiæ affluentis, non vno modo, sed diuersis ac pluribus incisione venæ primum in cubito, mox in cephalica, præsertim in angina. Deinde alui subductione, cum clystere aut glande acriore. Tertio ligaturis atque frictionibus, extremorum, fortissimis sed in sanguinis detractione vtendum est potius ἐπαφαιρέσει, id est, iterata aliquoties sanguinis eductione, q̄ conferta semel, sicut & Alex. *lib.* 4.*c.*1. diligenter monet. Copiosior enim & largior sanguinis detractio, p̄sertim in magna plethora aut totius corporis, aut solius capitis, quod humores ex superioribus commouet, facit vt cum maiore impetu ad fauces ruant & perruptis osculis vasorum præcipitentur in pulmones subitoque suffocent. Habenda etiam ratio est, ætatis, virium, habitus & cōstitutionis corporis, q̄ si plethora est, sanguis audacius & copiosius educatur. Clysterium formulas *supra* tradidimus, quibus cum frictionibus & ligaturis extremorum pro reuulsione vtendum est in ægris, quibus per ætatem sanguis minui non debet. Reuulsionem mox sequatur vsus repercutientium, quibus à parte fluxioni obnoxia repellatur & arceatur humorum impetus. Commendantur autem in hoc casu; *succi lactucæ, plantaginis, rosarum, prunellæ, myrtillorum, sumachi, gallarum* præsertim ὀμ-[illegible], id est, turcicarum *balaustiorum, corticum* [illegible] *granatum, thuris, corticis thuris &* [illegible], præcipue vero valent *succi expressi ex moris, nucibus viridi*[illegible]

ris cel-

Circa venæ sectionem obseruat.o.

Repercutientia.

ris celsi, moris rubi, Item confectum ex succo nucum viridium, Si vero corpus fuerit cacochymicũ ante vsum repellentium diligenter purgetur; Inquit n. Gall. *impossibile est sola repellentia pfecte mederi his malis, præsertim si corpus fuerit cacochymũ*. Hæc aũt psidia ꝓprie respiciunt humorẽ fluentẽ, q est in motu; sed eam, qui iam ex fluxu constitit, transfert alio deriuatio, quæ fieri debet vel venis geminis incisis sub lingua, vel cucurbitis affixis collo & aduersõ faucipm, aut ẽt sub mento eum scarificatu; vel incisis venis ad angulos oculorum, aut etiã in frõte, vel ꝓuocato fluxu sanguinis nariũ. Ex motu à deriuatione insistendum resolutioni illius, ꝙ ex affluxu parti obsessæ inhæsit, nec deriuatione euacuari prorsus potest. In quo casu valent munctiones *ex oleo cham. violaceo, amygd. dulc. pingued. gallinæ* pserum in angina. Inter cæteris inflãmationib fauciũ, gargarismi & fomenta, & leniter resoluẽtib. vt *cham. meliloto, althea, malua, sem. lini, fœnugræci, furfur*. His expeditis exhibeãtur topica ad locum affectũ, q aut fomentor, aut inunctionũ, vel emplastror aut gargarismatum forma applicent. Sed de angina, q cæteris inflãmationib fauciũ piculosior est, & nisi inter principia curet ipsa ęgrũ suffocat; Obseruandũ diligenter, vt occurratur initio, priusq̃ cõfirmetur inflãmatio. Angina facta n. aut subito strangulat, aut si piculũ suffocationis naturæ ac medicamentor auxilio depellitur, terminatur vno triũ modor *resolutione, suppuratione, vel pmutatione* Resolutio tutissima est oim & optima, & locũ habet maxime tũ, cũ quo ex affluxu in loco affectocõstitit, modicũ tenue ac subtile est, sed nõ pficit his q cq nisi pmissis ijs, q expolita sunt. Tollũt aũt diaphoretica reliquas morbi intra quatriduũ oẽs (si curabiles est) Nã

Quomodo angina terminetur.

si intra hoc tempus inflammatio non soluitur, aut interficit, aut si vltra quartum diem, pdurat in abscessum suppurantem degenerat, qui alter modus est terminationis & tum maxime, anginam consequitur, cum materia crassior est & impactior copiosiorq;. Tertia via resolutionis permutatio est, quæ fit affluxu materiæ translatę ad aliam partem. Transfertur autem interdum ad pectus, cum ii empyema desinit, & adfert phthisin pulmone exulcerato, cum perpetua tussi; Aut si ad cor peruenit, excitat tumorem & palpitationem cordis; si in pulmones irruit & bronchia eius opplet, interclusis meatibus aëris & spirituum, asthma parit cum periculo suffocationis, aut subito strangulat; si ad caput effertur, phrenitidem ciet, turbata & alienata mente; Si præcipitetur in ventriculum, cōmouet vomitum & nauseam, Etsi autem omnis pmutatio anginæ periculosa est, cæteris tamen tutior est ea, q̄ materiā ad vētriculū deijcit, qpinde pmptius vomitu aut alui deiectione excerni potest, & sine p̄senti piculo. Itaq; cum duo posterius modi, suppuratio sc. & pmutatio materiæ nō minus vitæ piculum adferant, q̄ morbus ipse, danda opera est, vt statim reliq̄ morbi resolutione extirpent. Signa autem permutationis sunt, cum q̄ pcesserunt notæ anginæ, subito euanescunt, & sese cōdunt cum *Signa permutationis.* læsione euidēti alteri⁹ partis alicui⁹. Notæ suppurationis sunt augescēs dolor in loco affecto cum *Suppurationis.* pulsu febris. Repercutientia ergo inter initia adhibeantur talia, vt:

Gargarisma repercutiēs.

℞ Pomorum acidor. nro. iiij,
Sumach, Rosarum an. M ß.
Sem. Cidoniorum ʒ ij,

Bullant

Bulliat in s.q. aq. ad cõsumptionẽ medietatis; Colaturæ addantur vini granatorum ℥ ij. Rob. nucum viridium, diamoron.ana ℥ j ß. fiat Gargar. Vel, **Aliud.**

℞ *Aquæ rosarum ℥ ij.*
Aq. solatri, Plantaginis,
Prunellæ ana ℥ j ß.
Diamoron ℥ ij. Fiat Gargarismus.

In augmento repercutientibus misceantur resoluentia, sed vincant tamen repercutientia, vt:

℞ *Rosarum,*
Sumach ana M j.
Hordei mundi,
Passularum ana M ß.
Ficuum siccarum num. vj.
Iuiubarum num. x.

Decoquantur in s.q.aq.ad consumptionem partis tertiæ: Colaturæ addantur dianucum, diamor.ana ℥. ij. Mell.ros. colati ℥ j ß. Fiat gargarismus. Conducet & gargarismus ex *pulpa cassiæ fistulæ dissolutæ in aq. plantag. & solatri.* Item, *lac caprinum chalybeatum.* Item, *brodium pulli, in qua decoquantur balaustia, rosæ, hordeum, glyzyrrhicæ, rosæ, vuæ passæ mundatæ, caricæ pingues, semen psyllii, cidoniorum, papaueris albi, addendo in fine mel. ros. & diamoron.* In statu resoluentia adhibeantur, tẽperata tamen stypticis, sed vis resoluentium superet, præsertim in iis, quæ induntur in os pulueris, aut gargarismi forma. Etsi enim styptica resolutionem prohibent, & ne materia promptè discuti queat, impediunt; tamen propter roborationem membri affecti minimè negligi debent. Foris aut illinantur, vel fomenti forma applicentur purè resoluentia. In statu ergo talia vsurpari possunt: *in mediocri astrictione, quia membrum est obnoxium fluxioni.*

℞ *Glyzyrrhicæ rasæ ℥ ß.*

Aliud resoluens.

Hordei, M j.

Ficuum ping. num. iiij. Fiat decoctio in aq. rosʃ. Colaturæ adde mel rosʃ. Colati diamoron, ana ℥ j. Vel:

℞ *Dactylorum,*

Aliud

Ficuum,

Passularum ana num. viij.

Rad. Glyzyrrh. rasæ,

Althea, ana ℥ ß.

Fiat decoctio in aq. fœniculi & hyssopi. Colaturæ adde mellis rosati colati, oxymell. simpl. ana ℥ ß. stercoris hirundinum ʒ ij. succi agrestæ ℥ j. Misceantur & fiat gargarismus. Possunt autem quocunque tempore cæteris medicamentis admisceri ea, quæ à proprietate valent, vt sunt *stercora canum alborum pastorum ossibus, infantum, hirundinum.* Item, *nidi hirundinum triti, scil. in tenuissimum puluerem.* Paretur ergo talis puluis, qui vel per se inspergatur in fauces flatu, scil. per calamum impulsus, vel ebulliat semel in gargarismo aliquo, vel exhibeatur forma eclegmatis cum *syrupo violato, aut melle rosʃ. aut oxymell. simpl.* vt:

A proprietate iuuantia.

Puluis.

℞ *Pulu. stercoris canis albi,*

Stercoris hirundinum,

Stercoris infantis ana ℥ iij.

Aut pro stercore hirundinum sumatur *puluis de nido hirundinum pondere ℥ ij. Glyzyrrhizæ rasæ ʒ ij ß.*

Sacchari candi ʒ j ß.

Misceantur & fiat puluis. Foris inungatur guttur vnguento *dialthea, Marciaton.* Vel, *ol. liliorum albiss. amygd. dulc. & modico ceræ.* Postea obuoluatur & muniatur lana succida. Vel fiat linimentum tale:

Linimentum.

℞ *Mucilag. sem. lini,*

Pulu. [illegible],

De nidis hirundinum, ana ʒ j.

Ol. cha-

Ol. Chamomælini,
Amygdal.dulcium, ana q.s.
Ceræ modicum. Fiat vnguentum.

Si materia apostematis durior fuerit & contumacior, nec resolutioni obedierit, poterit exhiberi emplastrum tale:

℞ Rad. Althææ mundatæ & in partes minutas concisæ, Emplastrum.
Flor. Chamæmillæ,
Violarum,
Fol. Maluæ cum rad. ana M j.

Decoquantur omnia in s.q. aq. ad consumtionem aq. Deinde addantur farinæ hordei, sem. fœnugræci, lini, ana P. j. ping. gallinæ ℥ j. oleor. chamom. amygd. dulc. ana q.s. ad impinguendum, fiat emplastrum, & applicetur collo, & collum muniatur lana succida. Valet & in hoc casu *emplastr. de meliloto.* Si verò materia apostematis fuerit frigida, phlegmatica, crassa, viscida, præmissa mundificatione totius corporis & capitis cum pilulis *de agarico Mesuæ & cochiis*, præter illa, quę de reuulsione ac deriuatione dicta sunt in augmento & statu administrentur pulueres & gargarismi intus, foris emplastra & fomenta ex iis, quæ plus resoluunt, vt:

℞ Origani, Gargarismus resoluens.
Calamenthi,
Fol. caulium rubeorum ana M ß.
Rad. Pyrethri,
Squinanti,
Blaccæ Bezantiæ,
Aluminis,
Nucis cupressi, ana ℥ j.

Fiat decoctio in s.q. aq. ad casum medietatis. Colaturæ ℞ ℔ j ß. cui addantur oxymell. simpl. vel oxym. squilliticì, mell.

mell. rof. colati ana ℥ j ß. Vel ſi reſolutione fortiori ſit opus:

Alius.

℞ *Rad. raphani,* ℥ j.
Ireos,
Glyzyrrhicæ raſæ, ana ℨ iij.
Sem. Fœniculi,
Synapios,
Spicæ nardi,
Aluminis ana ℨ j.
Herb. Hyſſopi,
Origani ana M ß.

Fiat decoctio. In colatura diſſolue ſtercoris hirund. aut canini ℨ ij. *diamoron* ℥ ij. *hydromell. ſyr. de hyſſop. ana* ℥ ß. *ſyr. de glyzyrrh.* ℥ j. *miſceantur & fiat gargariſ.*

Curatio anginæ ad ſuppurationem tendentis.

Si angina reſolutioni non obtemperabit, ſed augeſcente dolore & febre ad ſuppurationem properabit, Medicus ad πεπτικὰ & ἐμπυητικὰ, id eſt, coquentia & ſuppurantia properet, eaque foris & intus admoueat & det operam, vt quàm citiſſimè abſceſſum purè coquendo, emolliat, maturet, aperiat & abſtergat, atque à ſordibus expurget. Nam vlcus diligenter expurgatum natura ſponte faciet. Ad maturationem conducet intus gargariſmus talis:

Gargariſmus maturans.

℞ *Rad. Altheæ,*
Liliorum ana ℥ ij.
Caricarum pinguium, num. x.
Paſſularum, ℥ ij.
Furfurum M ß.
Hordei M j.
Glyzyrrh. ℥ j.
Nidi hirund. ℔ ß.
Pullorum hirund. num. iij.

Aut loco eorum vſurpari poſſunt deſiccati num. ij. decoquantur in brodio caſtrati aut gallinæ pinguis ad conſumptionem partis tertiæ: addendo mell. roſati colati ℥ ij. ſacch. rubri ℥ j ß. croci ℈ j. ſyr. de duabus rad. ℥ j. miſceantur. In materia craſſa addatur *oxymel.* Poſſunt autem addi & alia, vt calida ſi ſit materia, *ſemina lini, fœnugræci, folia ſolatri, maluæ, altheæ, pulpæ caßiæ fiſtulæ.* In frigida, *flor. chamom. meliloti, fol. caulium, calamenthi, ſem. fœniculi, lini, ſeſeli, cidoniorum, fœnugræci, & fiat decoctio in aq. & melle.* Poteſt vſurpari & lambile tale, quod paratur ex *mucilag. ſem. maluæ, caulium, ficuum, butyro non ſalito recenti, ſucco glyzyrrhizæ.* Id teneat æger in ore perpetuo, vt liquefiat & diffluat. Nam & maturabit apoſtema & cætera accidentia corriget. Foris collo admoueantur emplaſtra, vel cataplaſmata. Emplaſtrum tale vel ſimile aliud parari poteſt: **Lambitiuum.**

Emplaſtrum.

℞ *Rad. Altheæ,* ℔ ß.
Capitum liliorum albiß. ℥ ij.
Maluarum,
Violarum, ana M. ij.
Marrubii, P. j.
Ficuum ſiccarum, ℥ j.
Dactylorum, ℥ j ß.

Contuſis, inciſis, & cribellatis iis, quibus neceſſe eſt, fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ: Poſtea additis proportione farinæ ſem. lini, fœnugræci, hordei, tritici, tota maſſa ſubigatur ad ignem cum butyri ℥ ij. pingued. anatis, gallinæ, olei violarum ana ℥ j. croci ℈ ß. vitellis tribus ouorum, in formam emplaſtri ſolidi.

Cataplaſma fiat ex *rad. altheæ, lilii contuſis & inciſis ana ℥ j. cardui benedicti modico. Hæc decoquantur & piſtentur in mortario, additiſq; axungiæ porcinæ non ſalitæ* **Cataplaſma.**

lita ℥ j. *far. sem. lini, fœnugræci, ana* ℥ ij. *olei chamom. q. s. fiat cataplasma.*

Maturatum apostema si sponte sese non aperuerit, rumpatur, quod fiat vel emplastro tali:

Emplastrũ rumpens apostema.

℞ *Nidorum hirund.* ℔ j.
Olei amygdal. dulcium,
Chamo. ana q. s. ad formandum emplastrum, quod calidum gutturi applicetur. Vel inspersione pulueris rumpatur qualis est, qui

Puluis.

℞ *Nitri,*
Myrrhæ,
Piperis, ana ℨ j.
Stercor. hirundinis,
Sem. Raphani,
Sinapis, ana ℈ j.

Gargarisma.

Misce, fiat puluis. Vel gargarisma *ex aq. decoctionis acori, ficuum passularum, mensura* ℔ j. *mell.* ℨ *ij.* Præter hæc proderit intentio vocis vehementior, & musculorum gutturis in deglutitione crebrior ac citatior motus. Quæ si nihil profecerint, patiens aut chirurgus digitis suis, vel cum candela cerea subtili in fauces immissa id aperiat, vel si cerni attrectarique potest, scalpello rumpatur. Ruptum apostema diligenter extergatur crebro gargarizatu cum *aqua hordei & melle rosato*, ita, vt æger saniem semper expuat & caueat, ne illa in pulmones, aut in ventriculum decidat. Possunt mundificantibus progressu temporis solidantia misceri, vt eo citius vlcus coalescat, vt:

Gargarismus mundificans & consolidans.

℞ *Rad. Ireos,*
Aristolochiæ rotundæ,
Rosarum, ana ℥ ℨ.
Myrrhæ, ℨ ß.

Succi

Succi Glyzyrrhyzæ, ℥ j ß.

Fiat decoctio in vino ad ℔ ß. *cui misceantur mellis rosati* ℥ iiij. Vel,

℞ *Hordei, M* j.
Glyzyrrhyzæ, ʒ ß.
Fol. Plantaginis,
Agrimoniæ, ana M j.

Fiat decoctio in aq. mellis. Colaturæ addatur mel rosa. vel, *sacch. rubrum.*

Non dissimili ratione curantur cæteræ inflammationes faucium, quæ ab angina, vt dixi, sedibus affectis differunt; vt sunt σταφυλὴ seu vuula, κιονὶς seu columella, ἀντίαδες & παρίσθμια. Quarum hæ posteriores præsertim ἀντιάδες pueris & pubescentibus frequenter accidunt, cum egrediuntur annos pubertatis, in quibus si tolleret ætas, venæ incisionem, hæc præmittatur; si ætas prohibet, alui lenitione, clysteribus, ligaturis, lotionibus extremorum, fiant reuulsiones ac deriuationes. Postea localia applicentur intus forisque, quæ repercutiant & reliquias resoluant cum abstersione. Ad quas intentiones vsurpentur ea, quę commemorata sunt hactenus. Sed præcipuè ad resolutionem inflammationis glandularum, id est, ἀντιάδων) conducet *emplastrum confectum ex medulla panis tritici, si scilicet medulla panis benè contusa decoquatur in decocto chamo. & rosa. & butyro recenti, ac modico croci*, paulatim resoluit & dolorem sedat.

Sed alia est ratio affectionum colli ac gutturis, q̃ oriunt ex affluxu extra venas, vt cùm catarrhi decumbunt in fauces, aut à partibus inferioribus, vt ex ventriculo & thorace, aliquid sursum resudet, cuius generis sunt, cùm permadescit columella,

aut glandulæ impletæ tumefiunt humore tenui eas imbuente, calido, vel frigido, aut cum lentor viſcidus iiſdem adhæreſcit, vel craſſa pituita anguſtias faucium obſidet & occupat, ſicut cerebro accidit in febribus ardentibus; vel diſſoluto ac commoto humore pituitoſo, vt velut incruſtari ac glutino obduci fauces videantur, accedente ex aſperitate & ex aduſtione. Craſſa ergo attenuationem & reſolutionem; lenta viſcida, incionem & abſterſionem; tenuia, ſi imbuerint columellæ & vuulæ ſubſtantiam, expreſſionem per aſtringentia cum quadam alteratione qualitatum, quibus humor præditus eſt, & reſolutione. Denique omnis faucium aduſtio adſtrictionem quandam deſiderat, per ea, quæ contrahunt & comprimunt poros, ne acres & ardentes halitus, qui aſcendunt, penetrare in raram & laxam ſubſtantiam linguæ, glandularum & columellæ poſſunt. Sed meminerit Medicus perpetuò vniuerſalium, quæ euacuationem, reuulſionem, deriuationem, & inhibitionem humorum fluentium exigunt.

Curatio caſus vuulæ.

In luxatione vuulæ, quam caſum vuulæ vocāt, poſt vniuerſalia conueniunt gargariſmi ex *aquis plantaginis, prunellæ, roſarum.* Et ſi adſit magna caliditas, *ſolatri, ſemperuiui, hordei, cum vino granatorum, dianucum, diamoron, melle roſato*, vel fiat talis gargariſmus:

Gargariſmus.

℞ *Balauſtiorum,*
Myrtillorum,
Sumach, ana ℥ j.
Aluminis,
Nucis cupreſſi ana ℥ ij.
Arillorum exemptorum ex paſſulis,

Roſarum

Rosarum rubearum ana ℥ iij.
Saluiæ, M ß.

Fiat decoctio: Colatura admisceatur aliquid de dianucum, vel *diamoron*, vel *de melle rosato*, & semper admisceantur aliqua resoluentia stypticis in hoc casu, ideo poterit fieri tale decoctum:

℞ *Herbarum Hyssopi,*
Origani,
Saluiæ ana M ß. — Gargarisma.
Fol. Plantaginis,
Prunellæ,
Rosarum,
Balaustiorum,
Myrtillorum,
Sumach ana M j.
Hordei mundi P ij.

Colaturæ addantur diamoron, dianucum cum melle rosato. Commendatur & puluis ad columellam aspersus ex *sandaraca, alumine, torrefacto, rhabarbaro, acacia, puluere corticum mali granati, pipere.* Aut *ex pipere, cinnamomo, corticibus thuris, gallis, rosis.* Infantibus applicari potest emplastrum ad suturam coronalem pro inhibitione catarrhi *ex thure, mastiche, sandaraca, caryophyllis, rhabarbara torrefacta, farina frumenti.* In viscidis humoribus vsurpentur incidentia & abstergentia, cum aliquantulum humectantibus & leniter resoluentibus, vt *mel ros. oxymel simpl. compos. scylliticum. syrup. de duabus radicibus, saccharum rubrum, cortex thuris, rad. ireos, aristolochiæ, glyzyrrh. passul. ficus, &c.* — Puluis.

Accidunt & gingiuis peculiares affectiones, vt luxurient nimirum atq; excrescant, propeq; dentes contegant, quod iis euenit plerunq;, quæ na-

turâ molles ſunt & ſpongioſę, & in locis humilioribus. Et viciſſim vt flaueſcant atque exedantur ab influxu humoris ſalſi & acris. Illis poſt adminiſtrata vniuerſalia adſtringentia conducunt & diſcutientia, quibus, ſi nihil proficiatur, chirurgi induſtriam requirunt. His extergentia conueniunt & quæ acredinem humorum obtundunt.

Parulida. Corripiuntur gingiuæ inflãmatione non rarò, quam peculiariter παρυλίδαν vocant, vt inde etiam vicinæ partes diſtendantur, caleant, rubeant, ac doleant: origo defluxionis ſi ad ſuperiorem decumbit maxillã, à maiore oculi angulo per venas deſcendit; ſi ad inferiorem, ex venis deſinentibus ad tempora. Curatur aũt eodem modo & iiſdem medicamentis, quibus cæteræ inflammationes dentium & faucium. Si vertatur in abſceſſum & ſuppureſcat, relinquit vlcus, quod malè curatum concreſcit in carunculam, q̃ nominant ἐπυλίδαν.

Aphta. *Alcola.* Reſtant Aphtæ, quas vulgo Arabum nomine Alcolas nominant, (Die Mundtfäule / die Schwämme /) lactantibus & pueris familiares, ſed & adultis non infrequentes. Lactantibus & infantibus (ſecundùm Hipp. 3. *Aph.* 24.) oriuntur ex vitio ſeroſi lactis aut nutrimẽti & coctionis vitio; adultis vel à pituita ſalſa, quæ à capite deſtillat, vel ab halitu calidiore & acriore, qui è ventriculo, epate, & vniuerſim ex bilis acrioris feruore, aut per œſophagum, aut per venas arteriaſque & occultos poros

Aphta quid. effertur ad fauces. Sunt autẽ Aphtæ *vlcera nec profunda, nec caua, ſed ſumma cuti adhærentia in palato, lingua, potiſſimũ ad latera huius & radicẽ: item in gingiuis.* Excitantur ſæpe feruore ardentium febrium, ſed & ſine his oboriuntur ex iis, quas dixi, cauſis, præ-

ſer-

ſertim cum corpora ſunt cacochymica, & humoribus vitioſis plena. Galenus bifariã has diſtinguit, primum gradibus malignitatis: quaſdam n. vocat *incipientes & mediocres*, quaſdã *augeſcentes, confirmatas & graues*, quę ex vera putredine contraxerunt malignum quiddã & ſerpens. Deinde materia eas diſtinguit: Aliæ n. ex calidorum humorum affluxu emergunt, quæ cum dolore feruoreq́; fauces infeſtant, & vel ex ſanguine proueniunt, cùm quidem rubent & ſimile quiddã habent inflãmationi; vel ex bile cùm flauent & accedunt ad eryſipelatodis naturã: Alię ex frigidorum humorum cõgeſtione erumpunt, q̃ minus feruent, quarum quæ albicãt, pallentq́;, humoris pituitoſi progenies ſunt, quæ liuent nigricantq́;, ſucci melancholici. Quæ quidem omnes propter malignitatem humorum melancholicorum p̃ſertim aduſtorũ, malignum q̃ddam in ſe habent, longoq́; perdurant tempore & extirpantur difficilimè, ſerpendoq́; progrediunt, cùm cæteræ ſpecies curatu ſint faciliores. Oculis autẽ tactuq́; iudicantur. Curationem indicant & variant cauſæ, *ætas, conſtitutio & habitus corporis, conſuetudo.* Mediocres *in teneris corporib. mediocria:* graues *in robuſtis fortiora medicamenta* deſiderant, pòſt *vniuerſalia & diligentẽ corporis mundificationẽ.* Aphthis rubentibus initio conueniunt *moderatè aſtringentia & refrigerantia.* Deinde, *quæ diſcutiũt citra mordicationem.* Flauentibus eadem conueniunt, ſed *refrigerãtia* oportet eſſe *fortiora.* Phlegmaticis *conueniunt adſtringentia & detergentia:* nigricantibus *diſcutientia.* Vſurpantur ergo in talibus aphthis *ſyr. de ſucco roſ. è portul. ex agreſt. ex plantag. diamor. ſyr. de ſucco granator. vinum granatorũ.* Item, *vinũ rubrum, in quo ferbuerint [illegible] roſæ, arilli acinor. & addatur aliq̃d de melle roſ.*

Quotuplicia.

Curatio.

Conuenit & puluis *ex farina lentium, sumach, rosis siccis, gallis.* In phlegmaticis, *manna, thuris, succus glyzyrrhyzæ, mastiche, nuces cupressi, galla cum melle rosato.* Vel fiat ablutio cum *aq. mellis aut vino mellito.* In liuidis valet *decoctum chamomali, meliloti, fœnugraci, anethi, anisi, vuarum passularum, mell. rof.* Et inunctio ex *erui farina cum melle.* Si putredinem contraxerint & malignitatem, Gal. laudat stypticam, vt *misy, calcitidem, florem æris æruginem, alumen,* item *decoctum gallarum, capitum glandium, balaustiorum, nucum cupressi cum mell. rof.* præsertim in duris corporibus. Si malignitas magna sit, extirpari vel coherceri aliter non potest, nisi fortissimis. Poterit ergo per horam mediam inspergi puluis talis:

Puluis.

℞ *Arsenici,*
Calcis,
Aluminis,
Gallæ,
Flor. aris, ana ℥ j. *terantur in puluerem subtilissimum, & macerentur in aceto per vnam hebdomadam:* de isto puluere vlceri ℈ ij. imponantur per horam dimidiam, postea locus ablutus cum aqua mellis, inungatur melle rosato.

DE MORBIS INTERNIS *medii ventris.*

CAPVT IX.

ABSOLVIMVS hactenus præcipuos morbos internos membrorum primi ventris, scilicet capitis, quorum sedes affectæ sunt, vt, cerebrum ipsum, membranæ id vestientes, oculi, aures, lingua, nerui, fauces, inque faucibus comprehensæ partes:

partes. Nunc accedimus ad alterum ventrem. quẽ medium nominant, Græci στῆθος, id est, pectus; Nam thoracis appellatio complectitur totum à collo ad pubẽ vsq; truncum, qui constat pectore ꝙ imo ventre, quem κοιλίαν nominãt. Continent aũt in pectoris cauitate, & pulmo & aspera arteria, item cor & περικάρδιον, quæque cordi inseruntur, & ex eodem enascunt vasa. Distinguunt hanc cauitatem secundum longum membranæ διαφράττοντος. Succingit eandem vestitque costas & intextos in his musculos membrana ὑπεζωκὼς dicta, quam vulgo nominant πλευρὰν. Medium ab imo ventre interstitio transuerso disiungit διάφραγμα & διάζωμα, Græci etiam φρένας vocant.

Thoracis descriptio.

Pectoris contenta.

Distinctio.

Hæ ergo sunt sedes pectoris, quibus accidere morbi interni solent, Primum ergo dicemus de affectionibus pulmonis, asperæ arteriæ, atque laryngis.

Larynx.
Eius affectus.

Laryngis interna musculi, qui cartilagines eius explent, connectunt: & obducit ac vestit membrana, quæ continuo ductu à faucibus per ipsam laryngem, asperamque arteriam propagatur in pulmones. Reliqui propter crassitiem χίτωνα nominant vtrique parti, & musculis & neruis tunicæ, morbi accidere possunt. Musculis & neruis dyscrasię & morbi organici, vt ex obstructionibus paralyses, & ex inflammationibus musculorum anginæ. Membrana vero cum aliis infestari malis, tum vt plurimum læditur, aut nimia humectatione, aut ex asperatione aut exulceratione. Permadescit imbuta nimio humore ex longi temporis catarrhis, ex potu largiore vini meracioris, purulentia pectoris, phthisi, vnde oriuntur ἀφωνίαι. Fi-

unt & βρόγχοι seu raucedines. Permadefactis enim & nimia humiditate prorsus exolutis membranis, ἀφωνίαι fiunt, cùm nullus prorsus sonus redditur laxatis membranis. βρόγχοι fiunt, quibus vox obscurata raucescit. Exasperatur eadem membrana fumo, nimia vocis contentione, aëre frigido vel squalente. Exulceratur phthisi, catarrhis acribus & salsis, pustulis vlcerosis.

Βρόγχος.

Affectus pulmonum.

Pulmo omnibus morborum generibus afficitur, dyscrasia, vt membrum similare. Organicis, vt membrum dissimilare & organicum: solutione vnionis, ratione vtriusq; : sed qui frequenter pulmonem infestare solent morbi, hi sunt: Dyscrasiæ quidem frigidæ, & siccæ, & calidæ; sed frigidæ maximè, & post eas siccæ exasperádo arteriam tussim cient aridam & respirationem tardam; calida crebrò respirandi necessitatem adfert, commouetq; desiderium aëris & potus frigidioris, siq; maior sit, dolorem etiã parit. Ex organicis morbis præcipuè pulmoni molesta est στένωσις seu coarctatio, qua & meatus vel comprimuntur vel occluduntur & ipsius dilatatio impeditur. Est aũt στένωσις duplex, vnam πύκνωσιν, alterã ἔμφραξιν nominant. Πύκνωσις pulmoni molesta est, cùm aliquid incubitu, insessuvè aut impressione, pulmones grauando cogendoq; intus meatus reddit angustiores: Foris verò prohibet diductioné, vt si intra thoracem & pulmoné interiecta cauitas expleatur humore aliquo aut repurulenta, vt in empyemate; aut si pulmo inflammetur, vt in peripneumonia ex affluxu humorum; aut cum epate intumescente ex inflãmatione, vel obstructionib⁹; aut ventre in hydrope, diaphragma cõprimit & pulmones vicissim premit &

Στένωσις. Πύκνωσις.

mit & vrget pectore ēt coarctato. Ἔμφραξις est, cū *aut flatus aut humor, tumorvè præter naturā, aut aliquid ex humore concretum bronchia pulmonis obsidet vel opplet atq; obturat.* Est autem magni momenti obstructio. Tussim enim & spirandi difficultatem, oppressionemq; adfert, tantoq; grauiora sunt hæc symptomata, quanto ipsa maior est, ꝓfundior, impactior & confirmatior, quantoq; viscidior, tenacior, & glutinosior est humor pulmonib⁹ infarctus. Prout vel obstructio plus minusvè respirationem impedit. Ita symptomata, quę distinguunt anhelationis difficultaté, differunt. Dyspnœam in genere Græci vocāt omnem difficultatem anhelitus siue pulmonibus & pectore per se affectis accidat, siue per consensum. Ἆσθμα nominant, cùm anhelitus talis est, qualis eorū, qui ex intento celeriq; cursu subito insistunt. Ex hoc fit ὀρθόπνοια sic denominata ab alio symptomate, cùm scil. ægri nonnisi recta ceruice spiritum ducunt metu suffocationis, sicut ii, quos angina intus vehementer vrit ac premit, sedentque tales & cubant erecto corpore. Ἐμφραξις. *Dyspnœa.* *Asthma.* *Orthopnœa.*

Obstructionum ergo causę sunt in pulmonib⁹, *flat⁹ crassi, humores multi, crassi, lenti ac viscidi:* Et ex his ꝑter naturam nata grando, vel lapis & crudum tuberculū, vel tumor ex abscessu. Humores obstruentes aut in ipsis generantur pulmonibus, ꝙ rarius est, aut aliunde influunt, vt ex cerebro laborante destillationib⁹, vel ex partib. vicinis, vt ex gutture angina affecto: vel ex pleuritide, cùm fit permutatio inflammationum, vnde asthmata rectè recensentur inter morbos periodicos. His n. obnoxii, cùm ieiuni sunt & cœlo sereno, atque aëre calidiore & sicciore, cumq. quiescunt, spirāt lenius.

Rursus difficilius spirāt onusti cibo aut cœlo turbido & aëre frigido & humido, qualis est autumnalis & hybernus. Et ferè quod asthmatis causa est, si sit crassum & viscidum, nunquam integrè expurgatur. Idcirco renouatur, & exasperatur toties, quoties noua affluxione irritatur & augetur quod prius pulmonibus inhæret. Omne verò, q̃ à capite in pulmones defertur, aut exquisitè tenue est, aut mediocre. Tenue aut calidū est cum acredine & salsa mordacitate, vel sine hac; aut frigidum. Illud ab hoc acrimonia, sitis calorisq; sensus & corporis æstus discernit. Non autem qualitates tm̃ defluentium humorum cognoscendę diligenter atq; explorandæ sunt, sed & ratio defluxionis & tempora & sedes, scd̃m quas delabuntur humores. Si n. humor tenuis scd̃m latera asperæ arteriæ paulatim defluat, imbuit ac laxat eã, vnde prouenit βρόγχος, id est, raucedo; si in cauum incidat, tussiculam; si in pectus ipsum pulmonesq;, tussim ex imo prorumpentem cõmouet, q̃ verò valde tenue est, non promptè ex pulmonibus reiicit͛; & difficilius quidem, q̃ crassum & cum lentore. Si n. sit humor valde tenuis expressi per exsufflationẽ aëris impetu dissipiolum, ruptumq; dehiscit atq; funditur, & spiratui cedit, hocq; elis͛o relabit͛. Crassum vero ac tenax adhærescit lentore suo, neq; auelli, neq; dimoueri motū, neq; spiritus violentia propelli exprimiq; atq; extrudi extundivè facile ꝓpter crassitiem potest. Ex his ipsis discerni potest, inter obstructionem factam, dum vel humores adhuc in motu sunt, vel iam sese in pulmonis bronchia ingesserunt. Tempora fluxionum sic discernunt. Cùm recens est destillatio,

& adhuc

&c adhuc ruit, percipitur in gutture acrimonia & ardor, frequensque proritatur tussicula, qua modicum quicquam, aut nihil, idque valde tenue exploditur. Cum consistit inhæsitque pulmonibus, tussis per interualla longiora infestat, & guttur ardoris est expers, quodq; excutitur tussi, id ex imo producitur pectore. Porrò si pauca & leuis sit destillatio, sique sine impetu sensim delabatur, leuiora symptomata adfert. Magna grauisq; & cum impetu in pulmones irruens atq; confertim, symptomata auget. Nam aut celerem, crebram & magnam respirationem, aut præfocantem quandam difficultatem parit, qua paucus aër attrahitur, & sensus quidem grauitatis percipitur ad os pectoris & ad spinam. Crassus humor lentusq; bronchiis pulmonis illitus & impactus, aridam tussim magna ex parte irritat, qua vix æger interdum expuit cum multa spiritus difficultate, qualis exhalantium est ex concitato cursu. Edunt autem hoc malo obnoxii stertorem & sibilum inter respirandum, aëre magno conatu per interseptas & coarctatas angustias ægrè expresso atque eliso, atque idcirco resonante. Humor hic non totus expuitur, sed propter lentorem & tenacitatem adhærescit paulatim calore pulmonum crassescit magis magisque atque arescit, donec in vitream aut gypseam pituitam cogatur. Accedente deinceps per circuitus & interualla destillatione nouæ pituitæ, & hac post expulsionem aliquid relinquente, de qua prior sensim in fistulis pulmonum augetur atque cumulatur, tandem dyspnœam talem excipit verum asthma: Quod si inualescat, transit in orthopnœam. Sæpe cum ad bronchia pulmo-

nis veteri malo impedita, feruntur nouę defluxiones, impetu repentino & grauiore, vel etiam ſine præcedente affectione, ſolæ nouæ deſtillationes ſubito in pulmones irruunt, ſubito aſthma commouent, & ſuffocando iugulant, quam deſtillationem vocant catarrhum præfocantem, & ſuffocatiuum à cauſa; Cum morbus ipſe proprie ſit ſpecies aſthmatis ſubito facta. Cumque Galenus à ſola angina ſubito ſtrangulari hominem prodiderit, non à peripneumonia, vel empyemate vel tuberculo pulmonis; de aſthmate tamen ex his catarrhis hoc ſæpe compertum eſt, in ſenibus aſthmaticis, pueris & infantibus. Tandem ſi vitrea gypſeaque pituita adhuc diutius in pulmonibus calore amplius induratur, coaleſcit in grandinem, & ad extremum in lapillos.

Tumor ex abſceſſu obſtruendo aut comprimendo inter fiſtulas pulmonis coarctat. Tuberculum vero crudum aſperis arteriis, adnaſcit, adfertq; ſpirãdi difficultatẽ q̃ nec rępẽte fit, nec ad p̃cedentẽ deſtillationem conſequitur, & fere accidit ad ſpirandi difficultatem palpitatio cordis, cum aliis ſymptomatis difficilimis corde oppreſſo, quod expulſu deprehenditur. Omnes autem aſthmatici aut à natura habent anguſtiores pulmones expreſſi pectoris coarctatione aut extumefacti ventris & diaphragmatis cõpreſſu, cui⁹ cauſa eſt delicatior & largior dięta & vita ocioſa. *Omnes n. natura admodum craßi breuiori vita fruũtur quã graciles.*

Sect. 2. Aph. 44.

Craßiores eſſe vita breuiori.

Inflammatum pulmonem peripneumonia vocant. Hac in abſceſſum ſuppuraſcentem degenerante fit apoſtema ſeu vomica pulmonis, qua rupta vlcus remanet, quod phthiſis vocatur. Sed & ab

Peripneumo. 2. 1. 1.

& ab aliis caufis exulcerari pulmo poteſt, apertis, ruptis, vel exeſis vaſis pulmonis fit αἵματος ἀναγωγή; & ad omnia mala, tanquam commune ſymptoma ſequitur tuſſis, quæ non pulmonum tantum affectorum; ſed & pectoris & imi ventris ſymptoma eſt. Peripneumonia ergo proprie pulmonis inflammatio eſt, ex phlegmatodum & eryſipelatodum genere cum febre acuta & magna ſpirandi difficultate ex ſanguine, vel puro, vel bile tenuiore permixto originem habens. Improprie & œdema vel ſcyrrhus pulmonis ex phlegmate aut melancholico humore, craſſo ſcilicet cum in ſanguine hi humores redundant, aut per aſperam arteriam in pulmones deferuntur. Omnibus enim his malis pulmo propter mollitiem, raritatem & laxitatem ſubſtantiæ affici poteſt. Et quidem hæc non vera peripneumonia crebrior eſt, quam altera vera. Si ergo ſanguinea fuerit peripneumonia, ſputum reiicitur cruentum tuſſi, cum febre non admodum acri; ſi bilis in ſanguine redundabit, ſputum erit flauum cum febre acuta & vrẽte; ſi pituita, ſpumoſum erit ſputum; tendens ad albedinem cum febre lenta; ſi craſſum fuerit, nigrum aut liuidum, melancholicus humor in ſanguine redundabit; ſicut oſtendit Gal. *lib. 2. de locis affectis & prognoſticis*. Hipp. Si nihil omnino expuitur, morbus crud⁹ eſt & lethalis. Gal. enim *com. 11. Aph. 7.* duas facit ſpecies peripneumoniæ ſymptomatis diſtinctas: Vnam mitiorem vocat peripneumoniam, ἐμπύημα, cum ſtatim inter initia, & plurimum quidem expuitur, totuſque morbus tuſsi reſoluitur; alterum ὀλέθριον nominat cum prorſus nihil expuitur,

Signa peripneumoniæ.

Species.

ἐμπύημα

ὀλέθριοι

experitur, propter crassitiem materiæ demersæ in profundum substantiæ pulmonis penitusque cõclusæ. Non enim vt in externis inflammationibus materia in vnam partem decumbit, sed totũ corp⁹ pulmonis magna ex parte occupat, simul etiam ad dorsum dolor & grauitas sentitur & angustia & pulsus fiunt magni, languidi, molles, inæquales atque vndosi, & interdum δικροτοι. Cumque omnes febriant acute, & habeant aliquid κωματώδες, vtrum horum exuperet, id pulsu deprehenditur, creber enim febrem acutiorem, minus celer comata sequitur. Nasi summum fit simum, temporum venæ eleuãtur, appetitus ꝓsternitur. *Omnis enim peripneumonia vel ex aliis morbis nascitur, qui antecesserũt, vel per se & κατὰ πρωτοπάθειαν in pulmonib. exoritur.* Consequitur ad alios morbos, & ad anginam & pleuritidem. De angina antea dictum est. De pleuritide notus est *Aph.* 11. *partis* 7. Hip. *A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.* Item ad acres tenues & confectas à cerebro in pulmones distillationes, quæ ardorem præter naturalem incendunt, & cum tussi, spirandi difficultate, lenta febre, sine vlcere & expuitione peripneumonia dicitur. Quæ vero per se & κατὰ πρωτοπάθειαν fit, sanguine tenui biliosoque à dextro cordis sinu per venam arterialem copiosius in pulmones excusso, qui cum non vasa tantum, sed & corpus ipsum pulmonis impleat ac distendat, conclususque efferuescat, pulmones incendit & inflammationem eius efficit.

Vomica quid.

Vomica *abscessus est exiguus suppurascens conclususq; in parte aliqua pulmonis, qui ferè membrana peculiari cõtinetur, ex partib. crassioribus puris desiccatis nata*, phthi-

sicis

ſicis frequenter accidit, ſed interdum & cæteris ex rupta, aperta vel exeſa vena, ſanguine in partem aliquam pulmonis effuſo ibidemque concluſo & ſuppuraſcente. Nec cognitu hoc malum facile eſt, præſertim ſi lateat in profundo, ſicut de omni ſuppuratione inquit Hipp. *Quibus ſuppuratio in corpore abdita non profert ſe, ea propter craſsitiem vel puris, vel loci deliteſcit.* Præcedit tamen in omnibus talibus multo tempore ante excreatio purulenta cum tuſſi, itemque reſpiratio grauis & fœtidę corporis grauitas, pectoris leuis oppreſſio & anguſtia. *Sect. 6. Aph. 41.* *Signa vomica futura.*

Phthiſis quam φθόλω ſæpe Hipp. nominat & νόσον φθινώδlω, *exteñuatio eſt & cõſumptio totius corporis, cũ lenta febre conſequens ad inſanabilia pulmonis vlcera.* Seu eſt *pulmonis exulceratio, qua ſenſim corpus vniuerſum emaciatur & colliqueſcit.* Hac incipiente frequens tuſſis moleſta eſt, qua cruentum aliquid reiicitur, ſine doloris ſenſu, interdum etiam non cruor initio, ſed tenuis quidam & ſufflauus humor tuſſi expuitur; & vtraque exulceratione in ſiſtente, aliquandiu pro ſanguine vel humore flauo, ſordidum quiddam expellitur, deinde purulentum, febricula accedente, quæ in hecticam degenerat, q̃ mox à ſumpto cibo, ſicut omnes hecticæ exacerbatur. Vlcere augeſcente pus excreatur, quod exploratur eiectum in aquam. Si enim facile ſoluitur & innatat, purum ſputum eſt & non pus; ſi perſeuerat & ſubſidit, impurum eſt ſputum, & pure permixtum aut pus ſimplex. Confirmata phthiſi, non purulenta tantum, ſed portiunculæ pulmonis putredine exeſę, & vel integræ, vel purulentæ, vel torrefactis ſimiles ſimul reiiciuntur, ſputumque carbonibus impoſitum fœtet; aut etiam per ſe grauiter *Phthiſis quid.* *Signa incipientis.* *Vlceris augeſcentis.* *Phthiſis confirmata.*

grauiter olet halitu inficit alios. Est enim ex genere contagiosorum morborum, quales sunt pleriq; morbi interni orti ex putredine partium, Genæ liuescunt, ariditate aucta propter marasmum; ad extremum capilli defluunt, superuenit alui profluuium. Quod etsi non sit perpetuũ, tamen quãdocunque talia symptomata superueniunt, lethale est & quidem vt plurimum confirmatæ phthisi tandẽ subsequuntur. Noti enim sunt *Aph.16.part.7.A puris sputo tabes & fluxus, malum, postquam vero sputum retinetur, moriuntur.* Item 11. *part.5. Qui tabe infestantur, si sputum, quod extussiunt, grauiter olet iniectum carbonibus, & capilli defluunt, lethale est.* Item 12. *partic.5. Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, ij alui profluuio superueniente moriuntur.* Itẽ *Aph.14.sect.5. Tabe laboranti profluuium alui superueniens lethale est.* Ingrauescente autem phthisi, præcordia sursum conuelluntur, adest sitis & cibi fastidium, pulsus languescunt & fiunt parui. Vocant autem phthisici non tantum affecti vlcere pulmonis, sed etiam ad hoc malum natura proni, vel propensione & aptitudine propagata à prima origine, vel à parentibus, vel propter corporis constitutionem, scilicet quibus pectus est angustum, astrictum, ita vt scapulæ à tergo alarum instar extent & promineant, vnde πτερυγώδεις vocantur. Deinde quibus acres fluxiones à capite ad pectus ferri consueuerunt. Qui vtrumque habent ab vtraq; causa afficiuntur.

Phthisi obnoxii qui.

Phthisis quotuplex.

Phthisis itaque alia est συμφυτός ex aptitudine naturali; alia est ἐπίκτητος seu aduentitia. Illius causa est vel vitiosa constitutio pulmonis contracta à parentibus, scilicet cum mollis est, tenella imbecil-

imbecillis,& corruptioni obnoxia, vel cerebri cõstitutio idonea gignendis atque transmittendis ad pulmones acribus humoribus. Itaque qui à primo ortu vitiosos habent pulmones, consumuntur tabe, vel purulenta excretione, vel sine hac pulmone per sese marcescente. Aduentitia phthisis vel ad alios consequitur morbos, vel contagio concipitur ex conuersatione & cõsuetudine cum phthisicis, aut fomite cõtrahitur. Comitatur alios morbos, vt vel acres & erodentes ad pulmones destillationes vel humores acres à corde in pulmones propulsos, vel sanguine vasis ruptis, vel ad pus in thoracis cauitate inclusum, de quo Hipp. inquit: *Ἔμπυοι, qui intra dies 40. screatu non purgãtur in phthisim transeunt.* Estque alia phthisis vera & exquisita, cuius est origo ex pulmonis vlcere; alia non vera, q̃ sequitur ad thoracis, gutturis & asperæ arteriæ exulceratioñe. Sæpe enim particulæ, sæpe totæ brõchiæ asperæ arteriæ reiiciuntur. *Aph.15.sect. 5.*

Inter pulmonum affectiones numeratur etiam *αἵματος ἀναγωγὴ*, seu eductio sanguinis. Sic enim nominant cruentam expuitionem, cum è pulmonibus sanguis eiicitur tussi. In genere autem omnẽ expuitionem & excretionem sanguinis per os vocant Græci *αἱμαπτοὴν* & *αἱματωσιν*, sanguine prouenìente alias ab alia parte, vt cum vel ab imo sursum fertur è gula, aut vẽtriculo, vel è thorace, pulmonibus, aspera arteria, vel ex alto descendit vt ex capite, vel è faucib. & gurgulione, aut ex ore ipso, & gingiuis erumpit differt autem sputum à fluore paucitate sanguinis & partibus, à quibus orit᷑. Hæc discernuntur his notis. Si è gula eruperit sanguis, vomitione reiicitur, exitque modicus, quod gula *Signa locorum affectorum.*

venas

Gulæ. venas graciles & tenues habet, inter deglutiendum mordacitas præcipietur, præsertim si adstringentia aut acria deglutiantur. Si e ventriculo, nausea aderit, & vomitus multo largior, eritq; sanguis ex alterutro viscerum, aut ex epate aut liene. Ex quo vero epatis & lienis confluxerit, sentietur in latere alterutro tumor visceris dolorque, & sanguis ipse grumosus erit ac nigricans, præsertim si à liene proruperit. Si à matrice fuerit regurgitatus sursum, vt puellis aliquando accidit, præcessit longa mensium cum plethora corporis suppressio. Si ex thorace sanguis tussi excutiatur, considerandum est, ex thorace-ne, an pulmonibus, vel aspera arteria proficiscatur? Si thorax affectus est, vt in pleuritide, sanguis excutitur nec multus, nec continuus, nec valde ruber & æqualis, sed grumosus ferè ac nigricãs, aut permixtus bile, vel pituita, vel succo melãcholico, vel pure, & ferè fœtet, tussisque difficilior erit, & adsunt dolores thoracis proprii in certo loco aliquo, qui à pulmonis doloribus diuersi sunt. Si tenuis spumosus, subalbidus, floridus, feruens, confertim multusq; citra insignẽ dolorem reiiciatur, pulmones affectos denotat. Et de spumoso sanguine notus est 13. *Aph.* 5. *Qui sanguinem excreant spumosum, iis de pulmonibus deiicitur.* Si paucus sanguis tussi non valida efferatur, siquę iuxta partem aliquam arteriæ, dolor percipiatur, & permisceatur cum sputo, progenies erit asperæ arteriæ. Interdum qui à capite in pulmones fertur sanguis, inter delabendum tussim proritat, sicut & catarrhi. Hic discernendus est ab eo, qui è pectore egreditur, quod & fauces caruentantur inter delabendum ac titillandum, & tussis, quæ sequitur,

Ventriculi.

Epatis & lienis.

Matricis.

Thoracis.

Pulmonum.

nec

nec magna, nec profunda, nec assidua, sed tum sese commouet, cum sanguis in asperam arteriam irruit, qui etiam repellitur non magno conatu, neque ex profundo tractu halitu; sanguis etiam ipse nec spumosus est, qualis pulmonum; nec grumosus concretusque, qualis si è thorace proficiscatur, sed purior, liquidior, læuior & æqualior, & qui statim in linguam conglobatur, facileque reiicitur. Ex faucibus & gurgulione screatu eiicitur, & tanto quidem vehementiore, quanto altius sanguis insederit; qui colligitur ibidem, vel ex primario aliquo affectu faucium & gurgulionis, vel per consensum à defluxu ex cerebro. Sed si à capite descenderit, adest grauitas capitis aut dolor, aurium sonitus, faciei rubor, venæ frontis eminent, & præcesserunt fere aliquæ causæ procatarcticæ externæ, quæ irritarunt & impulerunt fluxionem sanguinis, vt frigiditas, calor, ebrietas, ictus capitis, cohibitum aliquandiu consuetum profluuium sanguinis narium. Ex ore & gingiuis sanguis expuitione simplici expellitur, siue ibidem colligatur, siue à capite destillet.

Faucium & gurgulionis.

Capitis.

Oris & gingiuarum.

In omni vero sanguinis expuitione, inuestigandum est diligenter, num præcesserit profluuium sanguinis narium, non raro enim is, qui relabitur in fauces sanguis ex narium venis, si vel in pulmones & thoracem, vel in ventriculum feratur, vel in faucibus resistat, calore concrescit in grumos fitque seipso crassior multo. Proprie autem hic loquimur de ea, sanguinis reiectione quæ fit cum tussi immediate ex pulmonibus non inflammatis, vt in peripneumonia, sed ex erosis,

ruptis aut apertis eius vasis, cum scilicet magna copia sanguinis effunditur tussi propulsa, ita vt neque inflammatio sit in pulmone, neque exulceratio, neq; semper etiam consequatur phthisis.

Ἄιματ☉ ἀναγωγὴ. *Eius causæ.*

Est autem ἄιματ☉ ἀναγωγὴ *symptoma, cuius causæ secundum Gal. sunt tres*, ἀνασόμωσις, id est, apertio vasorum. II. Διαίρεσις, id est, laceratio vasorum, III. διαπήδησις, id est, transcolatio & rarefactio vasorum. Singulæ autem pluribus fiunt modis, sicut *supra* dictum est Gal. *in 5. de comp. secundum locos* causas vniuersas reiectionis sanguinis ex pulmone reducit ad ἀνασομωσιν, ῥῆξιν & διάβρωσιν: Quarum ῥῆξις & διάφυσις species sunt διαιρέσεως ex genere solutæ vnionis. ἀνασόμωσις organicus morbus est in viâ nimis laxatâ & patefactâ.

Ἀνασόμωσις.

Signa causarum.

Quæ vero harum causarum commouerit sanguinis ex venis pulmonis effusionem, cognoscere non erit difficile partim ex notis suis atque indiciis, partim & ægri atque astantiam commemoratione.

Ruptionis vasorum. Externa.

Vasorum eruptionem possunt efficere causæ externæ & internæ. Externæ, casus ex alto, præsertim super pectus, epar aut diaphragma, lucta cum aliquo, ex casu allisus ad lapidem aut aliud subiectum durum, vehementior brachiorum agitatio, violentior contentio vocis ex iracundia præsertim, aut in aëre calido vomitus laboriosus, intensum frigus vasa constringens & impediens eorum motum ac dilationem, vnde erumpi ea necesse est. Et de frigore not⁹ est *Aph. 24. part. 5. Frigida, sicut nix & glacies, pectori inimica, tußes mouent, sanguinis profluuium & destillationes.* Internæ causæ sunt, copia sanguinis aut per se aut cum flatulento spiritu, qui tunicas neruorum

uorum

uorum extendit & motum sanguinis efficit concitatiorem. Ruptis autem vasis multum sanguinis & confertim effunditur, quo ruptura discernitur à reseratione vasorum & erosione.

Si exesa sint vasa; aut sola, aut cum pulmonis substantia cruentum quiddam reiicitur, non confertim, sed per modica interualla, & præcedunt sanguinis ruptionem exigua sputa, acres à capite defluxiones ad pulmones, ἐμπνεύματα vel magnũ humorum acumen & frequenti vsu rerum valde acrium. Vbi diligenter attendendum, quale sit illud, quod simul cum sputo eiicitur, quod monet Gal. *com.* 1 *2. part. 5. Aph. & 4. de loc. affect.* *Spumosum enim omne proprie à pulmonibus oritur.* De vasis vel bronchiis erosis testabuntur particulæ simul excussæ. Et ex pulmonibus quidem sanguis spumosus, ex vasis non spumosus effunditur. Si neque eruptionis, neque erosionis notæ adsint, & ad plethoram accesserit victus ratio calida & humida, aut calida ex vsu rerum calidarum, vel etiam medicamentorum aut pharmacorum calidorum, Itẽ anni tempus calidum & locus calidus, talia indicabunt sanguinis reiectionem prouenire & reseratione vasorum.

Signa vasorum exesorum.

Signa reseratione.

DE CVRATIONE MORBORVM pectoris & pulmonis materialium.

PRimũ diligẽter cõsiderãdũ est, *cõuenire morbis pectoris & pulmonis materialib. medicamẽta tẽperata in caliditate & frigiditate*, i. nec calida nimis, nec frigida

nimis; Eo, quod valde calida & materiam, si sit crassa, tenui resoluto, reddant lentam ac duram minusque sequacem, & meatus nimium arefaciẽdo exasperent; Frigida vero & materiam cogendo densent, ac sistant, figantque, & meatus comprimant atque coarctent. Idcirco vtraque impediunt expulsionem materiæ, quæ aliter fieri non potest, nisi tussi per superiora, materia scilicet ex pulmone violenter expressa extrusaque atque ꝓpulsa in asperam arteriam, & inde per rimulam laryngis elisa, astrictione & compressione pectoris vehementi, cui idcirco plura organa natura destinauit.

Medicamenta arteriaca quæ & quotuplicia.

Galenus quatuor facit præcipua medicamentorum genera, quæ antiquitas, quod pulmonibus & asperæ arteriæ conuenirent, nominauit arteriaca.

1. Emplastica.

Prima emplastica sunt, quæ inungendo, illinẽdo & lubrificando ceu emolliunt duriciem materiæ & leniunt, ac velut leuigant asperitatem viarum pulmonis & arteriæ. Huius generis sunt ex calidis vinum dulce, crassum siue tale sit natura, siue coctura factum, vuæ passulæ omnis generis, & harum decorticationes, glyzyrrh. & huius succus, gummi arabicum, tragacanthum, butyrum; Ex frigidis hordeum, violæ, iuiubæ, sebesten, sem. cucurbitarum, cucumeris, & inter cætera pulpa cassiæ fistulæ manna, &c.

2. Incidentia & attenuantia.

Secundi generis sunt prioribus contraria, quæ acredinis aliquid habẽt, idonea ad incisionem & attenuationem materiæ crassæ & viscidæ, vt piper cassia, cinamomum, gal-

3. Detergentia.

banum, resina, teberinthina, rad. liliorum alb. elenii, aristolochię rotundæ, centaurii minoris, genera oxymellis & præcipue scylliticum & simplex, quæque sunt alia eiusmodi. Tertii generis sunt, q̃

medium

medium locum obtinent inter extrema acredinis & inter mordacitatis expertia, ſed prædita vi detergendi, vt amygdalæ amaræ, aq. mell. & mel in vniuerſum, q eſt vehiculum medicinarum ad pectus, farina fabarum, ſemen lini aſſati, cremor ptiſanæ, iris Illirica. Inter hoc tertium genus & extrema vtraque multæ ſunt differentiæ medicamẽtorum pectori & pulmonibus conuenientes, quæ ad quartum genus refero, ſicut ſunt hyſſopus, marrubium, pulegium, tuſſilago, ſcabioſa atq; alia infinita, & quæ coquunt ac maturant materiam, vt olibanum crocus. 4. *Maturantia.* *Medicamentorum pectoralium forma.*

Secundo diligenter conſiderandum eſt, quæ formâ medicamenta pectori & pulmoni conueniat applicari. Præſtant autem ad interiora quidem, quæ vocantur ἐλεκτα, eo, quod lambendo paulatim diſſoluantur in ore, & lenta deglutitione trãsferantur in fauces, & hypoglottida. Ἐκλεκτα καὶ ἐκλέγματα vel liquidiora ſunt, vt ſucci, vel paulo craſsiora, vt ſuccis exceptæ ac permixtæ ſpecies, quæ proprie vocantur ἐκλέγματα, arabibus Loch. Hęc lingua paulatim comminuuntur ac funduntur, vt defluãt ſenſim, & arteriam, ac pulmones imbuant ac rigent. Hypoglottides ſolidæ ſunt & paſtillorum vel pilularum figura tenentur ſub lingua, donec colliqueſcant & diffluant. Foris conueniunt cataplaſmata, vnguenta & emplaſtra. Dãda eſt autem opera, vt cum ex pulmonib. materia tuſsi educenda eſt, ſemper admiſceantur aliqua, q̃ materiam ceu emolliant ac humectent ac meatus reddant lubricos, ſeu quæ vim habent emplaſticorum. *Eclegmata.* *Hypoglottides.*

Curatio aſthmatis.

Quantum vero ad curam aſthmatis attinet, primum

mum diligẽter obſeruetur, quod Gal. monet *com. 40. part. 2. Aph.* cum Hipp. inquit: *Raucedines & grauedines in valde ſenibus coctionē non admittunt.* His Gal. adiungit inter cæteros ſenum morbos, *qui eos comitantur ad mortem, ſicut ſunt aſthmata, podagræ, nephritis,* Deinde & hoc ſit in memoria, quod monet Hip. *6. Aph. 46. Aſthmata, ſicut & tuſſes nonnunquam gibbos excitant, qui gibbi ſunt incurabiles.* Quod fit vertebris dorſi luxatis cum materia aſthmatis in humorem craſſum durum, ſolutu difficilẽ ad thoracis vertebras conuertitur, qui tumor nec emollliri, nec, ſi emolliatur & maturetur, expurgari defectu conuenientium meatuum poteſt.

Quid in hac curat. one obſeruandũ.

In curatione autem aſthmatis ad duo reſpiciẽdum eſt proprie & præcipue, ſcilicet ad cauſam & morbũ ipſum. Morbus, vt diximus, eſt obſtructio bronchiorum pulmonis. Cauſa creberrime eſt defluxus catarrhi, qui aut paulatim fit, aut ſubito irruit in pulmones & confertim, quem vocant catarrhum præfocantem. Duplex ergo inſtituenda eſt curatio in omni aſthmate. Vna quæ dirigatur ad catarrhum defluentem ad pectus, quæ nunquam negligatur: Altera ad morbum ipſum, qui à ſymptomate vocatur aſthma.

Catarrhi curatio repetatur ex ſuperioribus. Aſthmata cum ſint obſtructiones pulmonis ab humoribus aut craſſis, aut lentis aut viſcidis ac fortiter impactis, requirunt ratione humoris obſtruentis inciſionem, attenuationem & abſterſionem, cum aliqua ceu emollitione ac humectatione, quæ prohibeant nimiam reſolutionem partium tenuiorum; & coctionem materiæ ſeu præparatio-

parationem; Eductione vero materiæ, ratione obstructionis, quæ fieri aliter nequit, nisi, vt expellatur tussi per asperam arteriam, quod aliam nullam expurgandis pulmonibus & pectori commodiorem viam natura comparauit. Vt ergo educi possit materia, & ipsa reddenda est obediens & sequax, viæ inunctione quadam ac lubrificatione sunt expediendæ, quæ omnia tussim, quam natura molitur, adiuuant. Exhibenda ergo sunt, quæ citra insignem calefactionem incidunt & attenuant atque abstergunt, quibus poterit admisceri semper aliquid de agarico. Et possunt exhiberi inter initia *pilulæ de agarico solæ, vel cum hiera*, vel *agaricus trociscatus cum flor. cassiæ*, vel aliud simile. Ad materiæ præparationem conueniunt *syr. de hysopo. de prasio, de glyzyrrh. oxymell. simp. & scylliticum, mel rosatum colatum, cum aq. fœniculi, pulegii, hyssopi, prasii, tussilaginis, calamenthi*, aut *decoctione passularum, hyssopi, Ireos, sem. vrticæ, sem. Ireos.* Vel possunt fieri *decocta ex rad. glycyrrh. Ireos, elenii, liliorum alb. tussilaginis, fœniculi aristolochiæ rotundæ, hyssopi, sem. Anisi, fœniculi nigellæ, cartami excorticati, herbis capilli, Veneris pulegio, hyssopo, prasio, thymo, satureia, tussilagine, scabiosa, caricis ping. vuis passis, agarico.* Decocta condiantur cum *sacchαro candi*, vel *penidio*. Et roborationis causa, addi potest aliquid de *pulmone vulpis præparati*. Post hæc linctus seu lambilia offerantur, qualia sunt *loch sanum & expertum, loch. de pulmone vulpis, de scylla, de pino.*

Et offerantur hæc seu sola, vel additis *conseruis hyssopi, anthos, borag. bugloss.* *Aut speciebus diatreos simp. vel compos. diapenid. diaprasii, diahyssopi diacinamom.* Aut formentur ex his speciebus hypoglottides, *addito croco*, quæ lingua teneantur.

Foris fiant inunctiones *ex ol. amygd. amararum liliorum alb. irino, rutaceo.* Vel paretur vnguentum *ex mucilag. lini, fœnugraci, althea, cidoniorum, pulueribus rad. ireos, liliorum alborum, ol. irino, anethino, chamo. butyro recenti. Adipibus anseris & gallina, cera alba,* Valet etiam *vng. dialthea simp. & comp. emplast. de meliloto, vel cataplasma ex farina hordei. fabarum rad. althea, malua, pulueris Ireos, liliorum alb. melle, pradictis oleis, ficubus, dactylis & similibus.*

Curatio peripneumonia. Curatio peripneumoniæ eadem est cum curatione pleuritidis, quam paulo post trademus, nisi quod medicamenta requirat fortiora & magis in profundum penetrantia, quæque & materiam magis resoluunt & tussim reddunt faciliorem, atque expeditiorem; Denique quæ cum resolutione fortius expurgant, abstergunt & expellunt. Sed aduertendum est diligenter, ex sanguine nè, vel bile sit inflammatio, an vero ex crasso phlegmate, quæ & in pleuritide discerni necesse est, vt accomodata remedia cum iudicio deligantur.

Curatio vomica. Sic & vomicæ curatio tota in maturatione, accurata expulsione, abstersione & solidatione consistit, inter quæ maturatio iis fit, quæ in angina dicta sunt & in inflammationibus: Abstersio & solidatio iisdem perficitur medicamentis & eadem intentione, qua in phthisi, pulmone exulcerato. De phthisi ergo nunc dicemus.

DE

DE PHTHISIS CVRA- tione.

PHTHISIN propriè vocari diximus corporis consumptionem, quæ sequitur ad pulmonis vlcera, propter calorem hecticum. Interdum verò ad vlcera asperæ arteriæ & laryngis. Pulmonis vlcera sanatu sunt difficilia, quod expurgari citra tussim nequeunt, à tussi verò magis lacerantur, cùm propter motum ipsum, qui vehemens est, tum propter laxitatem & mollitiem substantiæ. Deinde cuiuis vlceri, vt solidetur, quiete opus est, motu enim & agitatione impeditur naturæ actio. At pulmo propter respirationem est in perpetuo motu. Tertiò medicamenta, quibus vlcus extergi solidarique oportet, id non contingunt, sicut in ventriculo, sed ex longo interuallo post aliqua interstitia vim suam eò transmittunt, quam distantia hebetat, & alioquin solidantia, quod astrictione sua vias constringunt & claudunt, difficilius ad remotiora & conclusa loca penetrant. Idcirco ex confirmata phthisi rarissimè integrè conualescunt, quod si verò aliquando curantur, relinquitur tamen in pulmone callosum quiddam & fistulosum, quod tractu temporis leui occasione ruptum dehiscit, vnde vlcus recrudescit. Exanthemata tamen in pulmonibus orta præsertim si aspera sint & scabrosa propter siccitatem sanari posse, Galenus auctor est. Idem testatur, vlcera ex erosione internæ tunicæ asperæ arteriæ, aut etiam ipsius laryngis facilè sanari posse, nisi sint à putredine magna; cartilaginum verò vlcera nunquam. Qua in re prouidendum erit, vt si occupet aspe-

Cur pulmonu vlcera sanatu sint difficilia.

ram arteriam exulceratio, illa protinus tollatur, priusquam in cartilagines peruadat. De corporibus obnoxiis phthisi, scilicet quæ vel à parentibus contraxerunt *ἰδιάθεσιν* talem, vel ex corporis formatione propter angustiam pectoris, vt *supra* dixi, ex ætatibus maximè obnoxia est adolescentia, teste Hippocr. 3. *Aph.* 29. *Adolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ.* Et terminos constituit Hippoc. 5. *Aph.* 9. *Tabes maximè fit in iis ætatibus, anno nimirum* 18. *vsque ad* 35. Tempora etiam tabidis infesta, Hipp. expressit 3. *Aph.* 10. cùm inquit: *Autumnus tabidis malus.* Item 3. *Aph.* 22. *Autumno vero & ex æstiuis multi fiunt & febres quartanæ atque erraticæ, lienes magni, atque aqua inter cutem, tabes.* Demonstrauit & tempestates phthisicis inimicas esse 3. *Aph.* 13. *Si æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluuius admodum & austrinus, dolores capitis hyeme fiunt & tusses, raucedines, atque grauedines: Nonnullis etiam tabes accidit.* De signis propinquæ mortis, qualia sunt graueolentia sputi iniecti in carbones, defluuium capillorum, profluuium ventris, sputi retentio, *supra* diximus, ex Hippocr. sententia. Sed & hoc non est negligendum in curatione, quod monet Hippocr. 4. *Aph.* 8. Ne phthisici per superiora, sed per inferiora purgentur, propter organorum, quæ respirationi seruiunt, imbecillitatem & angustiam. Quæ verò sint signa conualescentiæ, expressit Hippocr. *lib.* 2. *prædiction.* cùm ait: *Oportet enim eum, qui probè liberari volet, facilè sputum per tussim reiicere, & id esse album & æquale, leue & eiusdem coloris, ac ab inflammatione omni alienum. Quod verò à capite defluit, ad nares conuerti: febrem autem non inuadere, vt ne à cœnis prohibeatur si-*

Corpora phthisi obnoxia.

Signa propria quæ mortis in phthisi.

tent. Venter autem egerat quotidie, & id, quod egerit, non sit durum. copia verò pro ratione ciborum ingestorum. Hominem vero quàm minime tenuem esse oportet. Pectus autem laudare conuenit quadrangulum & hirsutum. Et os ipsius paruum sit, & robuste carnosum. Quicunque enim hæc omnia habuerit, maximè superstes erit. Qui verò nihil horum habet, morti proximus. Ex hoc loco tota ratio curationis desumi potest, quæ aut vera est, & vlceris solidationem præstat; aut blanditiua, quæ vlceris extersione & prohibitione consumptionis corporis vitam prorogat. Vera curatio consistit in his tribus, abscissione causæ, cum est à catarrho; extersione & solidatione vlceris; Alteratione caloris hectici, ne vel confirmetur, vel nimium depascat innatum humidum solidarum partium. Solidationem vlceris consequi non possumus, prohibendo cõsumptionem corporis, & vlcus extergendo iis, quæ mundant, prorogamus vitam cura blanditiua. Præstanda sunt autem hæc tùm diæta, in qua plurimum situm est, tum medicamentis. Cumque concurrant & complicentur effectiones diuersissimæ, misceri etiam diuersas curandi rationes necesse est, quæ sæpe contrariæ sunt, sed videndum tamen, quæ ex his affectionibus magis vrgeant, & quantum natura ferre possit. Causa tollitur iis, quæ in *capit. de catarrhi curatione*, dicta sunt. Sed cauendum diligenter, ne aut crebris, àut fortibus catarcticis natura tentetur, quibus dissoluatur virtus, quæ alioquin languida est, augeatur calor hecticus, & cieatur profluuium alui, quod phthisicis lethale est. Cumque si aluo sint astrictiore, plurimum conducet lenitio ventris, prouocari

poterit

Potio lenitiua. poterit aluus tali lenitiuo, quod paretur ex *decocto iuiubarum, sebesten, glyzyrrhizæ mundæ, passul. in aqua tussilaginis, in quo dissoluantur ℥ ij. mannæ electæ, aut florum cassiæ recens extractæ ℥ j. M.* Inter initia verò, & si natura sit robusta, adhibeantur, quæ catarrhos euacuant, deriuant ac transferunt. Item quæ discutiunt aut sistunt catarrhos secundum eos modos, quibus *supra* explicauimus. Si corpora nihil horum ferant, quæ vel euacuant, vel assumtionem & attenuationem corporis augeant, insistendum est iis, quæ intercipiunt & sistunt fluxionem; aut foris, de quibus dictum est *suprà:* aut intus, præsertim si catarrhi sint acres & salsi. In quo casu commendantur pilulæ *de cynoglossa, species diatragacanthi frigidi, bolus armenus cum saccharo ros. elect. de papauere, syrup. de papau.* vel formentur pilulæ tales;

Pilulæ. ℞ *Succi glyzyrrhizæ*, ʒ ij.
Aloës lotæ, ʒ j.
Massæ pilul. de cynogloss. ʒ ß.

Formetur massa, de qua fiant pilulæ pondere ℈ j. quarum vna exhibeatur in ingressu lecti.

Quantum ad vlcus ipsum in pulmone, & aliqua ex parte ad hecticum calorem, interius quidem conducent syrupi, decocta, electuaria, pulueres & alia similia, ex iis, quæ abstergunt & mundificant, & solidant cum eductione facili abstersarum sordium, & aliqua alteratione caloris hectici. Poterit ergo fieri tale decoctum, vt sequitur: ℞ *Glyzyrrhizæ mundæ*, ℥ ij.
Hordei excorticati,
Capillorum Veneris, ana ℥ j.
Semin. Anisi,
Fœniculi,

Papau.

Papaueris albi ,
Pulmonis vulpis, ana ℥ ij. **Decoctum.**
Sem. communium frigid. maiorum ,
Rosarum , Violarum,
Pulu. cancrorum fluuiatil. adustorum ana ℥ v.
Hyssopi , Virgæ pastoris,
Plantaginis , ana M ß.
Sem. Cidoniorum ,
Maluæ ,
Iuiubarum,
Sebesten, ana num. x.
Passularum ,
Cubebarum, ana ℥ j ß. Misce.

Fiat decoctio in s. q. aq. pluuialis, vel aq. fontanæ prius destillatæ, vel tussilaginis ad casum partis dimidiæ. Colatura dulcoretur saccharo penidio & aromatizetur cinnamomo. De tali decocto bibat æger singulis diebus manè; vel fiat talis potio:

♃ *Pullum gallinaceum euisceratum & bene purgatum,* **Potio.**
Amyli ,
Tragacanthi ,
Gummi Arabici, ana ℥ ij.
Hordei excorticati , ℔ j ß.

Infundantur hæc in aqua tussilag. per noctem. Postea imponantur in pulli ventrem, & decoquantur vsque ad eliquationem carnis pulli. Huius decocti fiat expressio fortis, de qua ♃ ℔ ß. syr. de glycyrrh. ℥ j ß. sacch. penid. ℥ j.

Exhibeatur ægroto per dies aliquot continuos. Cibisque etiam misceantur *hordeum , tragacantha, amylum, gummi arab. sem. quatuor frigid. maiora , sem. papau. albi , acetosæ , plantag.* Et pulueres ex his parentur, qui cum *syr. vel aq. propinentur.* Conficiatur & lac ex *amygdalis , pistaceis , emulsionibus sem. frigidorum*

rum maiorum, sem. papau. albi, quod vel solum cum *saccharo penidio, vel cum tragacantho, amylo, gummi arab. aut aliis sem.* post ebullitionem vnam atque alteram propinetur. Ex iisdem, item ex pulpa carnium pullorum, phasianorum, caponum, perdicum, testudinum nemoralium, parentur vel elect. vel marcipaneæ, vel morsuli pro instauratione seu refectione virium. Vel fiat elect. *ex rosis rubr. amylo, tragacantho, sem. frigid. pulmone vulpis, passul. cum syrup. de papau. iuiubino, de glyzyrrhiza, melle ros. vel similibus.* Sed præ cæteris plurimum conducit *saccharum ros. & bolus armenus.* Commendatur etiam *electuar. ex carnibus testudinum confectum*, cuius descriptiones reperiuntur variæ in libris practicantium. Efficaciter autem mundificabit & solidabit tale electuarium:

Electuariũ mundificans & consolidans.

℞ *Seminis papaueris albi,*
Lini torrefacti,
Amygdalar. dulcium ana ℥ iij.
Amyli,
Gummi arabici,
Tragacanthi,
Sem. Cidoniorum,
Cytrullorum ana ℥ vj.
Croci,
Granorum coti,
Sem. Nasturtii,
Amydalar. amararum, ana ℥ j ß.
Penidiarum ℥ [illegible]j.

Penidia dissoluantur in aqua fontana, & conficiantur cum speciebus. Poterunt autem misceri plura vel pauciora semina, scilicet, frigida, prout febris intensior fuerit aut remissior, & corpus natura aridius

dius

dius atque imbecillius, vel ſucculentius aut robuſtius. Humidum enim corpus & ſordidum vlcus deſiccantia feret facilius, ea ſcilicet, quibus ineſt vis abſterſionis, vt ſunt: *Radix ireos, hyſſopum, glyzyrrhiza, cicera, marrubium*, id eſt, *praſium, mel, ſaccharum*, item *Loch de pulmone vulp. de pino.* Item, *iulepus confectus ex aqua vel decocto ſem. fœniculi, petroſel. radic. fœnic. althea, enula, cum ſaccharo penid.* Ad extremum ſi oſtendatur ſpes conſolidationis, alternatim mundificantia & ſolidantia ſeorſim exhiberi poſſunt, vt ſi febris adhuc ſit valida, poteſt confici talis ſyrupus :

Syrupus.

℞ *Sem. commun. frigid. ana* ℥ j.
Florum violarum,
Rad. glyzyrrh. & ſucci eius,
Sem. Lactucæ,
Portulacæ, ana ℥ ß.
Herb. Tuſſilaginis, Plantaginis,
Virgæ paſtoris, ana M ij.
Hypocyſtidos,
Granorum myrti,
Balauſtiorum,
Sumach,
Roſarum rubrarum,
Santalorum omnium,
Berberum, ana ʒ iij.
Decoquantur in aqua pluuiali, & fiat ſyrupus.

Electuarium.

Vel: ℞ *Pulueris boli armeni,*
Terræ Lemniæ,
Rad. Symphyti,
Carabe,
Margaritarum,
Oßis de corde cerui,

Sang.

Sanguinis Draconis, ana ℥ j.
Macis,
Croci, ana ℥ ß.
Specierum Diatragacanthi, ana ℥ j ß.
Sacch. rosati veteris, ana ℥ v.
Syrup. Myrtini, q. s.

Formetur elect. narium. Valent etiam in hoc casu *trocisci de terra sigillata, de bolo armeno, philonium persicum,* & quæcunque conueniunt sputo sanguinis. Foris, si crescat tabes & macies, & hectica intendatur, fiant inunctiones ad pectus & spinam dorsi, ex humectantibus & refrigerantibus, sicut sunt *mucilag. sem. maluæ, altheæ, cidoniorum, psylii, amyli, tragacanthi, gummi arabicum, olea amygd. dulcium, violarum, de nymphæa, pingued. humana, crurum vituli, & alia similia.* Denique omnia administrentur, quæ mitigando calori hectico & corpori reficiendo, prohibendæque consummationi conducunt. Si alui fluxus præter opinionem exoriatur, huic etiam maturè succurrendum erit iis, quę astringunt, vt *gummi arabico, tragacantho, bolo armeno, spodio, sem. myrti, acetosæ, plantag. Fiat enim ex his decoctum, vel elect. cum syr. myrtino, rosato aut de papauere.*

DE CVRATIONE SPVTI *sanguinis.*

Quæ in hac curatione consideranda.

EXPVITIO sanguinis è genere fluxionum est. Considerandum est igitur, & vnde affluat sanguis ad pulmonem, & quib⁹ de causis, & quomodo effluat ex pulmone, per quos meatus, & quæ sint sanguinis qualitates. Si sit ergo à venarum apertione, quam efficit aut plethora, aut sanguinis

guinis tenuitas; curabitur reuulsione & deriuatione sanguinis per incisionem venæ basilicæ, cum larga sanguinis eductione; per cucurbitas, per sanguisugas defixas ad anum, item ligaturis fortibus extremorum & frictionibus. Deinde obstructione osculorum hiscentium per ea, quæ astringunt & glutinant oscula; quibus perfectis, si periculum sit à concreto sanguine, exhibeantur ea, quæ grumosum sanguinem in pectore discutiunt. Si sanguis etiam tenuior calidiorque fuerit, reprimatur ac frenetur aliquantulum in frigidantibus ac densantibus & simul à tenuiore bile expurgetur medicamentis hanc ducentibus, vt *pulpa cassiæ fistulæ, Manna, rhabarbara, myrobalanis citrinis, mixto amygdalar. dulc. oleo.*

Si à rupta vena effundatur sanguis eædem seruentur intentiones. Sed ad locum affectum restrictionis & solidationis causa applicentur styptica & agglutinantia fortiora.

Si propter erosionem vasorum ab humoribus acribus & salsis, fiat sanguinis eductio; quantum ad humores attinet, administrentur omnia, quæ *in tractatu de Catarrhis salsis* dicta sunt, pro catarrhi à pectore diuersione. Quantum ad erosionem, adhibeantur eadem, quæ in phthisi vsurpanda diximus ad extersionem & eductionem sordium sine irritatione laboriosæ tussis & solidationem vlceris. Poterit ergo tale confici electuarium:

℞ *Tragacanthi,* *Electuarium.*
Gummi arabici,
Sanguinis Draconis,
Boli armeni,
Rosarum rubrarum,

 Amyli,

Amyli,
Spodii,
Lap. Hæmatidis præparati,
Sem. Papaueris albi,
Plantaginis,
Mumiæ,
Acaciæ,
Hypocystidos ana ℥ ij.
Penidi ℥ iij.
Syrup. ros. q. s.

Addatur aliquid succi vel syr. de glyzyrrh. & subigantur in formam elect. de quo detur vna vice quantitas nucis castaneæ ieiuno stomacho cum *aq. plantag.* vel, *portulacæ*, aut simpliciter sine aquis. Vel fiat tale electuarium:

Aliud. ℞ *Loch de portulaca, ℥ ij.*
Specierum Diatragacanthi, ℥ iij.
Boli armeni,
Terræ sigillatæ,
Sanguinis Draconis, ana ℥ j.
Hypocystidos,
Acaciæ,
Corall. rubr. ana ℥ ß.

Tritis terendis cum succo plantag. conficiatur electuar. Vel forma puluerum aliquid exhibeatur, vt talis puluis:

℞ *Spodii,*
Rosar. rubrarum,
Boli armeni,
Lap. Hæmatidis præparati ana ℥ v.
Corall. rubrorum,
Carabe,
Margaritarum, ana ℥ iij.

Sem.

Sem. Papaueris albi,
Plantaginis,
Rosarum,
Portulacæ,
Balaustiorum, ana ʒ ij.

Terantur in puluerem. Vel:

℞ *Gummi arabici,* *Alius.*
Tragacanthi,
Cornu cerui vsti,
Hæmatidis vsti,
Corallior. rubr. vstorum ana ʒ ß.
Boli armeni ℈ ij.

Terantur in puluerem. Mirificè conducit in hoc casu *Rhabarbara torrefacta* in præsentia & ad præseruationem. Vt:

℞ *Rhabarb. electi ʒ ij. torrefiat & teratur & exhibeatur cum decoctione.* *Rhabarbara torrefacta.*
Sem. Acetosæ,
Portulacæ,
Endiuiæ.

Valent & *trocisci de carabe, de terra sigillata, de bolo armeno.* Interdum necessitas exigit vti opiatis, in quibus diligentia adhibenda est & cautio. Foris verò pectori adhibeantur emplastra & vnctiones.

℞ *Olibani,* *Emplastrum.*
Balaustiorum,
Acaciæ,
Hypocystidos,
Sem. Hyoscyami,
Myrrhæ,
Aloes,
Rosar. rubrar. ana ʒ j ß.

Succi menthæ,
Portulacæ,
Plantaginis ana ℥ j.
Olei myrtini ℥ ij.
Ceræ q.s. subigantur in emplast. formam.

Vel: ℞ *Seminis acetosæ,*
Aliud. *Portulacæ,*
Plantaginis, ana ʒ ij.
Semin. rosar. rubr. ʒ j.
Hypocystidos,
Acaciæ,
Balaustiorum,
Granorum myrti, ana ʒ ij ß.
Gummi arabici, ℥ ß.
Mastiches ʒ ij.

Omnia vnica torrefactione torrefiant, terantur & subigantur cum succo portulacæ vel plantaginis. Deinde cum oleo omphacino, cera & pice fiat Magdaleon, quod extendatur super corium applicandum toti pectori ad regionem costarum. Vel fiat vnguentum tale:

Vnguentum. ℞ *Olei rosacei omphacini,*
Cidoniorum, ana ℥ ß.
Trociscorum de carabe ʒ ij.

Misce, fiat linimentum: Addatur, si fuerit opus, modicum ceræ.

Congelatum sanguinem in pectore discutiunt *species diacurcumæ cum succo porri, vel aqua scabiosæ.* *Species diacurcumæ.* Item, *ipsa sola aqua scabiosæ frequenter hausta.* Item, ʒ j. *Theriacæ, cum aqua decoctionis glyzyrrhizæ, & capillorum Veneris.*

DE MOR-

DE MORBIS THORACIS.

CAPVT X.

QVÆ thoracem infestare consueuerunt mala interna præter ea, quæ cordi & pulmonibus accidunt, aut morbi sunt, aut symptomata. Morbi sunt inflammationes, quæ occupant aut membranas, aut partes musculosas thoracis, seruientes respirationi. Item oppletiones cauitatis amplæ, quæ intercedit pulmonibus & lateribus, siue à pure illæ fiant, siue ab humore seroso, aqueo, tenui, siue ab alia materia. Symptomata sunt Dyspnœæ & tusses. Differunt autem inflammationes, sede affecta, materia & accidentibus. Sede affecta quidem, quod aliæ diaphragma obsident, cuius est situs transuersus: aliæ latera. Illas generis nomine inflammationes diaphragmatis; has in specie pleuritides vocant à læsa parte. Sed composita sunt latera ex partibus pluribus ac diuersis, costis scilicet, musculis & membranis. Costarum substantia ossea est. Musculi, qui costarum interualla intertexunt & explent, ordine duplici, intercostales; qui foris costis incumbunt, exteriores nominantur. Differunt ergo pleuritides, & sedibus affectis, & symptomatis, tum materia, tum specie ac qualitatibus, tum ortu. *Omnis enim pleuritis ex affluxu materiæ oritur.* Sedibus differunt, quod aliæ obsident membranam succingentem costas, quæ vocatur χίτων ὑπεζωκώς, succingens intrinsecus costas cunctas; aliæ musculos intercostales; aliæ musculos foris costis incumbentes. Materia differunt; aliæ enim oriuntur à phlegmone,

Thoracis morbi.

Symptomata.

Laterum partes.

Pleuritidum differentiæ.

mone, quæ fiunt ex affluxu ſanguinis per venas craſſi, ſæpius tenuis ac bilioſi; Aliæ à deſtillatione extra venas; Aliæ à flatulento ſpiritu: Inde veras & exquiſitas pleuritides vocant propriè inflammationes membranæ, quæ coſtis ſubtenditur; ac muſculorum intercoſtalium præſertim interiorum, vel vtrorumque ſimul. Et has rurſus diſtinguunt in pleuritides crudas & incoctas, & ſalutares, cùm ſtatim inter principia reiicitur aliquid, quod coctionis nothã eſſe oſtendit. Non veras & nothas pleuritides vocant, cùm vel exterius thoraci incumbentes muſculi inflammantur, vel excitatur dolor à catarrho ex capite decumbente ad eas partes, vel à flatulento ſpiritu in alterutra vtrauis ſede thoracis interna vel externa. Coſtæ verò & his intexti muſculi μεσόπλευροι, foriſque inſtrati exteriores, & membranæ itidem totâ internâ regione his omnibus intenſæ, nutrimentum ex venis diuerſis accipiunt. Quare ex diuerſis etiam venis cum impetu ſanguis affluit, qui inflammationem excitat, perinde vt in aliis. Trium enim ſuperiorum coſtarum regio venulas aſſumit ex caudice venæ cauæ aſcendente, qui mox ſub iugali bifurcatus tranſmittit in bronchia duos ramos, Axillarem inferiorem, humerariam ſuperiorem. Sed hæc priuſquam bronchia adit, capiti venas iugulares vocatas expromit. Inferiorum coſtarum regio venas adipiſcitur ab illa, quam ἄζυγον, id eſt, paris ſeu coniugis expertem vocant, eò, quod ex caudice venæ cauæ paululum ſuper cor educta reflexaque deorſum & recto ductu iuxta dorſi vertebras ſe porrigat ad diaphragma & ſola ſine ſociâ vena vtrique lateri ſobo-

Veræ & exquiſitæ pleuritis.

Coſtæ vnde habeant nutrimentum.

ſobolem plurimarum venarum nutritioni neceſſariam offert ac diſtribuit, cuius orificium in corporibus pleriſq; vnum eſt, ſcil. vbi è caudice cauæ venæ enaſcitur. Inferius, vbi deſinit, diaphragmate perforato, cœca eſt & cõcluſa; raris quibuſdam corporibus coalitu peculiari in caudicem cauæ venæ deſcendentem, ſuper exortum venarum emulgentium adaperitur. Ergo qui in nouem inferiorum coſtarum regionem effunditur ſanguis, atq; inflãmationem ciet, affluit per ramulos ortos à vena ἄζυγα, qui in ſuperiorem regionẽm trium coſtarum, per venas eductas ex ipſo caudice venæ cauę aſcendentis; qui in muſculos externos affluit per ramulos, qui à vena caua prodeunt quàm primum è thorace in axillam emerſit. Hæ inflammationes etſi ſede affecta differunt, cognatæ tamen inter ſe ſunt; ita, vt ſæpe vna in alteram permutetur, eò quod interiorum venarum extrema foràs emergunt, exteriorum venarum ora ſubeunt intrò.

Cauſę procatarcticæ, quę ſanguinis fluxionem atque impetum proritare atq; impellere ad coſtas poſſunt, plures ſunt, vt immoderata humorum in venis copia vel tenuitas, item feruor & exagitatio ab æſtu à balneis, ab exercitatione immodica, ab excandeſcentia, ab ictu lapſuvè, à ſaltu, & agitatione corporis nimia, præſertim à repletione longiori, aut vini meracioris ingurgitatione, à ſubita refrigeratione, à potione frigida, quæ concluſum interius agitatumque ſanguinem à ſeipſo effectum calidiorem variè intus depellit ac diiicit. Internæ cauſæ ſunt imbecillitas laterum, vel connata vel poſt contracta ex morbo aliquo *Cauſæ procatarctica.* *Interna.*

 aut

aut fractura, vel luxatione, vel contuſione coſtarum ex ictu vel caſu, quæ ſæpe moleſtus ac diuturnus dolor comitari ſolet; propter imbecillitatem enim fluxio promptius excipitur, & ſi dolor accedat ratione doloris, plus allicitur. Cauſa interna

Proxima. proxima inflammationis, ſunt humores iam impetu ruentes ad latera interna, quæ cum fluxio iam conſtitit & conſedit in latere affecto, vertitur in cauſam continentem. Oportet enim diſtingui humorum partes ac tempora. Nam humor, qui ex fluxu iam occupauit partem ſeu latus affectum ad cauſam continentem pertinet; Qui in motu eſt & fluit, ad antecedentem proximam, qui fluxurus & in eius locum qui iam fluxit, ſucceſſurus eſt, ad antecedentem remotiorem. Et horum ſinguli peculiarem deſiderant ἔνδειξιν in curatione.

Differentia doloru. Dolor in pleuritide non perpetuò eſt vniuſmodi, ſed variatur pro diuerſitate materiæ, ſede affecta, & loci, in quem fluxio decumbit, amplitudine. Tenuis enim ac bilioſus ſanguis, qui phlegmonem eryſipelatodem gignit, acriores & ſæuiores; Purus, aut pituitoſus, aut melancholicus aduſtus, mitiores dolores ciet; purus quidē ſimplicē,

Signa diuerſorum humorum. pituitoſus οἰδηματώδη, Melancholicus σκιῤῥώδη φλεγμονὴν gignit. Deprehenduntˋ aūt & dignoſcūtur humorū differentiæ, ſicut dictum eſt, ex ſputo, pront, quod tuſſi reiicitur, vel rubet, aut dulce eſt,

Signa pleuritidis ex catarrho. mediocriter craſſum coctumque, vel tenue ſanioſum, vel viſcidum, pituitoſum, albicans, vel parum aut prorſus nihil expuitur. Lateris dolor à catarrho contractus ferè primum externas partes occupat, dolore à ſummo capite ad ceruicē procedente,

dente,& per scapulas ὠμοπλάτας paulatim deorsum migrante, donec in musculos externos laterum modo eminentiores, modo interiores sese ingerat atque insinuet. Hic dolor etsi non est vera pleuritis, sicut dixi, tamen si perseueret, veram parit, cum vel in profundum penetret per musculos intercostales ad membranam succingentem, vel dolore nouam fluxionem commouet; Ita & flatulentus spiritus dolores excitat acres, quoties inter membranas externas vel internas sese ingerens eas distendit atque diuellit à partibus vicinis. Sed differt dolor plurimum in vera & non vera pleuritide. Dolor à flatu fere vagus est, nec diu in eadem sede permanet, & mitigatur aut tollitur etiã calore & fomentis. Dolor à catarrho causam antecedentem habet manifestam, quæ à ceruice & scapulis exordiens paulatim ad pectus sese conuertit & contactu compressuque exacerbatur. Nullum vero horum dolorum *febris* consequitur, quæ *est indiuiduus comes pleuritidis, & continua est*, sed fere si è puro & bilioso sanguine inflammatio sit orta, seruat typos tertianarum, sicut phrenitis & angina. Omnis ergo veræ pleuritidis notæ communes sunt, febris assidua, quæ tamen in tertium diem exasperatur, respiratio difficilis, frequens & parua; dolor pungens atque distendens, tussis initio sicca, aut qua parum expuitur. Cumque exteriores musculos inflammatio obsedit, dolor tactu atque compressu exacerbatur & fit grauior, & est pulsans dolor, & decubitus in latere affecto difficilior, in aduerso sano facilior, pulsus frequens quidem est & inæqualis, sed nec tensionis, nec duritiei sensum infert. Si inflammatio sit interius, febris multo est

Signa doloris ex flatu.

A catarrho.

Veræ pleuritidis notæ.

Inflammationis externæ.

Inflammationis internæ.

ardentior.eo,quod pars inflammata cordi propior eſt,ſpiratio difficilior,frequentior & minor eſt, dolor pungens atque diſtendens;qui ſi vergat ſurſum ad iugulum, in ſuperioribus, ſi deorſum,ad hypochondria, in inferioribus coſtis inflammationem eſſe indicat;lateris tactu aut contrectatione non irritatur,aut decubitus ægro in latere affecto facilior eſt, minuſque moleſtus,in ſano difficilior magna ex parte,eo, quod materia intra coſtas & membranam has ſuccingentem coaceruata aduerſo decubitu propendens deorſum diuulſionem atque extenſionem membranæ adauget, & tali decubitu tuſſis, diſpnœa, & dolor intenduntur. Si vero inflammatio ſit magna & extans ac prominens, in neutro latere æger decubitum commode ferre poteſt, ſcilicet propenſione augente dolorem,ſi decumbat in ſano, compreſſione inflammationis, quam pulmones & coſtæ faciunt, ſi in affecto latere decūbat;pulſus frequens eſt & inæqualis,tenſionis ac duriciei ſenſum tangenti inferens & ſerræ modo digitos ſecans,& tales magis ſunt,cum ſola membrana,quam cum ſoli muſculi μεσοπλευροὶ ſunt inflammati. Tuſſis interdum initio ſicca eſt,ſed mox humeſcit & coloratur. Primo autem liquidum & album reiicitur, quod ferè à pulmonibus educitur, mox vero flaueſcit,cum ex inflammatione tenuis ſanies in pulmones illabitur; deinde rubeſcit & cruentatur, cum per patentiores vias ſanguis emanet; Tandem ſuppuraſcente inflammatione purulentum reiicitur, & cocta materia pus bonum & laudabile. Hæc omnia per membrana ſuccingentem

coſtas

costas, vel pertusam, vel excesam, vel quouis modo rarefactá ex loco affecto in thoracis cauitaté affluit. Vnde cum exspiratione thorex in vehementiore tussi contrahitur atque comprimitur, adiguntur in pulmonum bronchia, quorum oscula in cartilagines semper patentia desinunt atque dehiscunt in extremum pulmonis ambitum tenui membrana obducta. Ex his sensim in maiores coguntur, donec frequenti tussi producta ex imo & incitati aëris copia sursum acta in asperam arteriam per rimulam laryngis extruduntur in os; hæc enim regularis & ordinaria via est, per quam pleuritides soluuntur & expurgantur. Vt autem species morbi ex propriis accidentibus dignoscitur, ita magnitudo ex quantitate accidentium. Cruda pleuritis erit κακοηθέστερος, si fuerit dolor ingens, pungens, distendens, conuellens iugulum aut hypochondria, magna anhelitus difficultas, febris, valida, tussis ingens sine sputo, & si æger decubitum super vtroque latere difficulter ferat.

Per quam viam pleuritides soluantur.

Prognostica.

Contra, si hæc omnia sint remissiora & si expuat æger multum coctum, facile & sine molestia, & dolor in neutram partem pertingat, ἐπιεικέστερος erit & mitior; quandoque citius signa coctionis in sputo apparauerint, tanto citius fiet morbi solutio. Iecoris inflammationem accidentia penè similia comitantur, sed discernitur illa à pleuritide proprietate doloris, qui non est pungens, sed grauans, pulsus durus non est, tussis infestat crebra sed sicca qua nihil aut parum expuitur,

Differentia inter inflammationem epatis & pleuritidem.

Et si

Et si sint epatici natura tales quibus inflammatio accidit, sequitur plerunque diarrhæa, qua vel purus sanguis & copiosus excernitur, vel aliquid simile aquæ in qua carnes recens mactatæ ablutæ sunt. Dolor sub nothis costis ferè grauedinis sensum infert, lingua, facies & corpus vniuersum decolorantur.

DE EMPYEMATE.

Empyema quid. EMpyema morbus est in numero toto genere præter naturam. Vocatur enim *collectio puris in cauitate pectoris*, cui pulmo immergitur. Confluit autem eo pus ruptis & permutatis inflammationibus, quę organa respirationis occupare consueuerunt, vt angina, peripneumonia, pleuritis. De angina notus est *Aph.5. Aph.10. Quicunque ab angina liberantur, his ad pulmonem malum transit, & in septem diebus pereunt: Si vero hoc effugerint, suppurantur.* Ad pleuritides vero frequentissime sequitur, de quib. inquit Hipp. *Sect.5. Aph.8. Quicunque morbo laterali laborantes in 14. diebus non purgantur, ii ad suppurationem vertũtur.* Nam his non bene expurgatis, tussi, quod fere accidit pleuritidi crudæ & conclusæ, oboritur apostema, febre & dolore ingrauescentibus, iuxta 2. *Aph.47. Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam in confecto.* E quo tandem ad maturitatem perducto & rupto pus effunditur in cauitatem pectoris, illacque è sordido vlcere vsq; effluit, donec tandem ingens & pene suffocãs copia coaceruetur. Interdum purè vniuerso intra pulmones adacto, tussique reiecto liberatur æger à periculo. Signa empyematis sunt, cum in angina

Empyematis signa.

peri-

peripneumonia, vel pleuritide nihil expuit æger, cum pulmonis, faucium aut lateris dolor, & vehementia febris subito remittunt, & oboritur grauitatis sensus intus ab imo pectore ad diaphragma. Et quod certissimum est argumentum, cum ex vno latere in aliud, vel alterum ægro sese volutante, fluctuationis cuiusdam sonus percipitur, tussis vrget valida & assidua, qua tamen aut nihil, aut admodum parum reiicitur, febricula adest perpetua, sed interdiu mitior, noctu acrior, febris fere hectica. Nam & perseuerans Empyema hecticam accersit, pulmonibus infectis & erosis, teste Hipp. 5. *Aph.* 15. *Quicunque ex morbis lateralibus suppurantur, si in 40. diebus purgantur, à die, qua fit ruptio, liberantur; Si vero non, ad tabem transeunt.* Oculi cauantur, genæ rubent, vngues curuantur, digiti summi incalescunt, copia sudoris dicitur, in pedibus oboriuntur tumores, appetitus prosternitur. Cum autem geminæ sint cauitates pectoris, quæ intersepiunt & distinguunt diaphragma, nec sinistræ cum dextra vlla sit communitas, fit quandoq;, vt in peripneumonia & angina, vt pus in vtranque cauitatem effundatur. Quandoque, vt in pleuritide vnius lateris, in vnam tantum. Tunc ergo latus, in quod pus decubuit, sentitur calidius & grauius, & æger super illud latus decumbens omnia sentit mitiora, pure à pulmonibus in costas recumbente. Cum vero sese rursus in aduersum latus transfert, augentur symptomata omnia, eo, quod à pure pulmones comprimuntur & vrgentur. Veræ suppurationi cognatum est malum, cum thoracis cauitas magna ex parte seroso aut pituitoso, eoque tenui humore impletur, qui eo confluit, vel ex capite per asperas

aſperas arterias & pulmones, vel reliquo è corpore. Meminit huius Hipp. *lib. 1. de morb.* & *7. Aph. 3*. Cum inquit: *Catarrhi in ventrem ſuperiorem ſup urantur intra dies* 20. Vbi ſuppurari Hippocrati, Gal. interprete 7. *Aph.* 30. *ſignificat* denſari & excoqui, vt fiat puri ſimile, cum verum pus non niſi ex contuſa & muta carne, àut ex inflammatione in abſceſſum degenerante proueniat. De hac ſpecie empyematis Gal. *in 4. de loc. affect.* inquit: *Quod talibus accidat anhelitus difficultas ſubita, cum manifeſto ſenſu defluxionis ex ſtillatione faucium ſine febre, ita, vt inter initia, aut nihil, aut tenue quiddam expuant cum perpetuo & difficili conatu tußiendi, progreſſu temporis & facilius expuant & craßiora magiſque concocta*; quæ in *Aph.* dicit, eſſe puri ſimilia. Nec rarum eſt hoc malum, præſertim in temperantibus & quibus pectus natura eſt anguſtius. Interdum ſeroſa humiditas, quę hydropicis intra abdomen imi ventris redundat, per occultos meatus intra thoracem penetrat, & tuſſim commouet. Id quoties accidit, ſignum lethale eſt, ſecundum Hipp. 7. *Aph.* 47. Item 6. *Aph.* 35. *Aqua inter cutem laborans, ſi tußi corripiatur, deſperatus eſt.*

DE DYSPNOEA.

DYSPNOEA, id eſt, reſpiratio difficilis, ſymptoma eſt, quod ſequitur ad affectiones, non tantum organorum reſpirationis, ſed & illarum partium, quę reſpirationē moliuntur, vt muſculorū thoracis, & diaphragmatis, ſiue per ſeſe illa afficiantur membra, ſiue per conſenſum à partibus vicinis, diaphragmati annexis, vt ventriculi,

epatis

epatis, lienis, quæ motu thoracis aut ſimul agitantur aut ſaltem feruntur ſignificat autem generaliter diſpnœa quamuis offenſam reſpirationis, vel impeditur vel deprauatæ; abolitam enim reſpirationem Gal. ἄπνοιαν nominat. Eſt autem dyſpnœa omnis ſimplex aut compoſita. Simplex magna aut parua, frequens aut rara, vehemens aut remiſſa, aut deprauata. Et ſequitur ad affectus membrorum cohærentium. Affectiones vero partium thoracis, quæ dyſpnœam adferunt, triplices ſunt, Imbecillitas virtutis motricis in partibus mouentibus thoracem, vt muſculis, (quorum ordines ſunt triplices) neruis, & principio virtutis motricis. Poſſunt autem omnia morborum genera his accidere, quibus virtus debilitetur. Altera eſt vehemens æſtus cordis & pulmonis, vt in febribus ardentibus. Tertia eſt anguſtia meatuum in organis reſpirationis vtriſque, cum his, quæ tranſmittunt ingredientem aërem, ac redditos ex corde viciſſim fuliginoſos halitus, ſicut ſunt aſpera arteria, larynx & fauces, tum illis, quæ abſorptum aërem recipiunt, vt ſunt bronchia pulmonis, quæ ſunt aſperæ arteriæ propagines, & interior cauitas thoracis. At ϛενοχωρίαν omnem efficit vel ἔμφραξις vel πύκνωσις.

Dyſpnœæ differentia.

Ad quas affectiones thoracis dyſpnœa ſequatur.

1.

2.

3.

Ἔμφραξις fit meatibus intercluſis vel à tuberculo crudo, vel ab infarctu humorum crudorum ac viſcidorum, vel ab inflammatione pulmonis, vel à deſtillationib. confertim irruentib. vt in catarrhis. Πύκνωσις fit pulmonib. aut larynge cõpreſſis coarctatis, vel à magna inflãmatione, aut

aut pulmonis, vt in peripneumonia; aut laterum, vt in pleuritide, aut musculorum laryngis, vt in angina, vel circumfusis extrinsecus in cauitatem thoracis humoribus vel crassis, viscidis, vel serosis ac pituitosis, aut putris, quod ex pleuritide aut peripneumonia effusum est. Interdum autem affectuum horum vn⁹ solus dyspnœam ciet, sicut asthma & orthopnœa, quæ species sunt dyspnϾæ obstructionis pulmonum, interdum duo complicantur; interdum cōcurrunt vniuersim, cum quidem periculum est maximum, vt quando ad suppurationem accedit febris ardens. In peripneumonia cōiunguntur calor immodicus pulmonum, & angustia meatuum ex inflammatione. A partibus extra thoracem, sed thoraci cohærentibus, vt ventriculo, epate, liene, læditur respiratio affectis illis, vel inflammatione, vel vlcere, vel abscessu, aut etiam sola intemperie inæquali, aut obstructis vel inflatis ac distensis vel ab humoribus frigidis, crassis, lentis, vel à spiritibus crudis & flatulentis. Cum alieno calore cor & pulmones æstuant, fit respiratio frequens, cita, vehemens, magna, qua pectore multum dilatato omnium musculorum thoracis motu valido, quo thorax & scapulæ plurimum attolluntur, multum spiritus trahitur in inspiratione, sed exspiratio fit cum exsufflatione, q̃ proprium est & indiuiduum symptoma interni æstus. Cum virtus motrix languet & laborat, fit respiratio nec crebra nimis, nec rara, præsertim si absit æstus alienus, nec vehemens erit. Etsi enim omnes musculi incumbunt motui thoracis, tamen propter imbecillitatem languidius sese incitant. Respirationi sufficiunt nares ferè, in quibus pinnæ

narium

parium conuelluntur introrſum cum fit inſpiratio, expiratio fit ſine exſufflatione. Cum anguſtia eſt in meatibus, reſpiratio fit magna, citata, crebra, valide ſeſe dilatante pectore, ſed parum aeris hauriente propter obſtaculum in meatibus. Expiratio fit ſine exſufflatione, ſed fere cum ſonitu & anhelatione. Cum autem miſcentur affectus, miſcētur & ſymptomata, ſed vniuerſim compoſita diſpnœa aut eſt magna vel parua, & ſimul crebra & rara aut velut impingens, quę aliquid deprauationis habet. Magna & crebra diuerſos affectus ſeqtur, ſicut iam diximus; magna & rara imbecillitatem virtutis motricis indicat, laborante ſcilicet principio magis, quam neruis aut muſculis; Parua & crebra, imbecillitatem virium in organis mouentibus thoracem vel dolores, aut impedimenta, in organis reſpirationis per ſe, vel per conſenſum in partibus vicinis indicat. Parua & rara, refrigerationem organorum reſpirationis comitatur. Impingens ſeu titubans reſpiratio, vel ad conuulſionem muſculorum thoracis, vel ad alieni caloris abundantiam ſequitur. *Diſpnœa compoſita.*

DE TVSSI.

Tuſſis quid.

TVſſis Græce βὴξ, *ſymptoma eſt ex genere deprauatorum motuum*, illorum ſunt, quos natura ſola molitur & peragit, ſed irritata & impulſa à morbi cauſa. Eſt autem tuſſis *expiratio præter naturā valida, qua impetu aëris expreſſi maiore copia in aſperamarteriā natura expellere conatur quicquid organis reſpirationis moleſtum eſt.* Cauſa itaque tuſſis eſſe poteſt quælibet affectio in organis reſpirationis, vt faucibus, a- *Tuſſis cauſa.*

ſpera arteria, pulmonibus, cauitate thoracis; His
Tuſſis genera. ſcilicet aut per ſeſe affectis, aut per conſenſun in partibus molientibus reſpirationē, vt diaphragmate & muſculis. Duo itaque ſunt prima tuſſis genera;
I. vnum cum valido aëris in aſperam arteriam impulſu exploditur ſimul, quicquid in pulmonibus ſpiritibus obſtat & efficit. Cietur autem & irritatur hæc tuſſis ab iis, quæ in organa reſpirationis aliunde præcipitantur, vt à defluxu pituitæ à capite, quæ aut tenuis eſt, aut craſſa, viſcida, aut mediocris, quas tuſſes Paulus κακοήθεις, id eſt, malignus nominat; Aut cum in thorace & pulmonibus vel ex toto corpore, vel ex vicinarum partium morbis colligitur aliquid, ꝙ reſpirationem impedit, vt ex angina, pleuritide, peripneumonia, phthiſi, empyemate. II. Alterum genus eſt tuſſis,
II. cum nihil expuitur, quas tuſſes Hipp. ξηράς, id eſt, aridas, vt priores θηριώδας, id eſt, ferinas vocat. In
Vide Bart. Duſ. fol. 58. his neque motus eſt violentus, neque coactus, ſed exiguus & ferè talis, qualem Græci κεγχνόν vocant. Oritur autem talis tuſſis, organis reſpirationis affectis aut per ſe, aut per conſenſum, quæ frequentius fit. Per ſe quidem aut dyſcraſia frigida affectis, aut calore ex ſiccitate ex aſperatis, aut humoribus infeſtatis, quos natura expellere contendit, ſed nequit, propter duas cauſas, vel quod craſſi nimis, viſcidi ac profunde impacti ſunt, & pertinaciter adhærent, aut ſunt concluſi prorſus; aut quod nimis ſunt tenues, ita vt à perumpente ſpiritu diſploſi relabantur ac recidant. Per conſenſum fiunt, tales tuſſes diaphragmate compreſſo aut affecto ab
Tuſſis periodica. epate, ventriculo, aut liene. Preterea tuſſis alia per interualla, quædā recurrit, vt bis terue in anno, ex irruent

influente in pulmones destillatione, q̃ cum sit periodica, causam habet extra pulmones. Quædam cotinenter infestat & sine intermissione, q̃ aut vitiosam pulmonũ affectionẽ aut veterẽ obstructionẽ, aut aliã stabilẽ intus causam habet. Diaphragmatis inflãmatio iisdem symptomatis dignoscitur quib. aliæ internæ thoracis inflãmationes, pterquã q̃ si n discrepet & deliriũ infert ferẽ continuum. Quo modo sit discernendum à phrenitide tradit Gal. *lib. 5. de loc. aff.* Sed repti sunt, q̃ sine delirio diaphragmatis inflammatione infestati, paulatim cõtabuerunt. Sequitur aũt ad has affectiones omnes quandoq; αἱμαπτωσις, de qua *supra* dictum est,

Continua.

Inflammationis diaphragmatic signa.

DE CVRATIONE PLEVRITIDIS.

Cum curatiuæ indicationes oẽs petant ex fontib. octo principalib. à morbi essentia, à causis efficientib. & materialib. proximis, à loco affecto; à morbi morib. à morbi materiæ motu; à tẽporib. à termino pcognito, quo natura morbũ solutura & finitura est; à symptomatis, quib. interdũ prius occurri oportet, q̃ morbis ipsis. Diligẽter hæc oĩa in pleuritide, (vt in acutis morbis omnib) obseruanda sunt. Essẽtia pleuritidis est, q̃ est inflãmatio calida, vel p se, vt cũ est ex bile, vel tenui sanguine, vel p accidẽs, vt cũ est ex pituitoso vel melãcholico hũore feruefacto. Cõplicãt ergo oĩa tria genera morborum in pleuritide. Feruor per se refrigerationem; tum ordini nutionem sui, & reductionem partis ad magnitudinem pristinam, solutio vnionis solidationem exigit. Est vero inflammatio in loco cordi propinquo ex materia biliosa magna ex parte. Ergo morbus est acutus. Præterea est è

Fontes ex quibus petãtur indicationes curatiuæ, qui & quot,

Pleuritidis essentia.

genere fluxionum, quare tempora diligenter obseruanda sunt fluxionis, quæ inflammationem gignit,& termini fluxionis ambo,à quo & ad quē, viæ mediæ,per quas fluxio fertur. Attendēdum est etiam solutioni, qua sese inflammatio (si facta est) terminatura est, cum tumor præter naturam omnis quinque modorum vno terminetur, resolutione,suppuratione:permutatione:membri corruptione:& induratione. Denique inuehit sæuissima symptomata, dolorem asperimum,& quandoque syncopem,& morbo augescente,delirium. Sed nec mores morbi negligendi sunt, quos ostēdit discrimen sputi, quod aut citò, aut tardè sese promit, aut coctionis aliquid habet, aut crudum prorsus est; Item vehementia doloris,febris,& aliorum symptomatum. In omni autem fluxione, quæ per venas fit & gignit inflammationem præter terminos & vias, tempora diligenter obseruanda sunt, quæ à temporibus inflammationis differunt. Horum primum est, cum nihil tunc ad motum incitatum est,sed suspicio est de fluxione, sicut reperiuntur, qui quotannis pleuritide corripi consueuerunt, quemádmodum aliis quibusdam annuatim semel aut iterum recurrunt dolores arthitidis aut podagrici vel chiragrici ex affluxu materiæ ad articulos. Alterum est,cum materia iam mota est, & fluit, sed nondum in ea parte,ad quam tendit,ruborem,dolorem&feruorem excitat.Tertium,cum iam partim in motu est,partim iam desedit in membra,& tensione venarum, musculorum ac membranarum auget molem membri,inflammatione vero calorem præter naturalem. Quartum est,cum tota ex fluxu materia consti-

Temporum fluxionis inflammationem gignentis.

1.

2.

3.

4.

constitit, cuius pars crassa hæret intra venas conclusa, tenuior extra venas, & dispersa est per musculorum poros & spacia in membranas & carnem. Quintum, cum ex venis excidit omne, quod 5.
affluit, & apostema seu abscessum facit. Primum tempus κένωσιν simplicem sine vllo respectu terminorum exigit, vt in plethora simplici. Alterum tempus requirit ἀντίσπασιν, seu reuulsionem, quæ respicit ad terminum vtrumque sed principaliter ad mandantem. Hac fit à parte mandante reuulsio ad remotissima, hoc tamen obseruato fiat κατ' ἴξιν sicut Hipp. *6. Epid. lib. 2.* Tertium coniungit terminum vtrumque mandantem & recipientem. Ergo quantum ad solum terminum recipientem attinet, percussionem, nisi quid prohibeat; Quantum ad vtrumq; coniũctum, compositam auersionem requirit, id est, antispasin & deriuationem, quam præstat alias vnius venæ apertio, alias diuersarum. Deriuatio enim ex loco iam obsesso deriuat ad propiora, sicut antispasis reuellit ad contraria.

Quartum respicit terminum recipientem solum, & quantum ad materiam intra venas contentam, partim deriuationem ad propiora, partim, si fieri possit, euacuationem ex ipso loco, cute scarificatu aperta, vt in gangrænis, anthracibus & similibus fieri solet. Quantum ad effusam, διαφόρησιν requirit in tenuibus, ἐκπύησιν in crassioribus, aut similem euacuationẽ percutis incisionem. Quintum itidem recipientem locum solum respicit, & vel ἐκπύησιν seu suppurationem, vel euacuationem vel vtrumque indicat, sed hæc in pleuritide omni locum non habent, sicut dicemus, quemadmo-

dum in inflammationibus externis. Cum autem Hipp. iubeat ἀντίσπασιν facere κατ' ἴξιν, seu κατ' εὐθύ Intelligenda est rectitudo, quæ in tribus consistit. primo indebita distantia, vt reuulsio possit assequi terminum, à quo humoris fluentis debet fieri retractio. Secundo in consensu venarum inter se secundum rectitudinem fibrarum & lineæ rectæ, quantum fieri potest, gruentem scilicet vt rectitudine fibrarum attrahentium in venis motus adiuuetur, quem reuulsio efficit fibris rectis venarum ad locum affectum directis, & vt venæ, per quas fit reuulsio, quantum fieri potest, directe respondeāt venis, per quas materia fluit ad locum, vt euacuationem per reuulsionem pmpte excipiant, quod de materia fluente in euacuatum spacium trahentibus fibris rectis venarum, per quas fit reuulsio, succedet, & hoc vocat Hipp. κατ' εὐθυ, vocabulo sumpto à mathematicis. Nam etsi omnium venarum inter se consensus mirificus in toto corpore, sicut inquit Hipp. Tamen ad reuulsionē eligi debent venæ, q̄q̄ maxime venis, per quas fertur materia ad locum affectum, è directo respondeant, & angulos non admodum obliquos faciāt, ea quod obliquitas vasorum magna impedit retractionem fluxu inhibitio. Tertio cōsistit in rectitudine motus naturalis, secundum locum. Omnis enim motus naturalis secundum locum vel ab imo sursum, vel à dextro ad sinistrum, vel ab anteriorib. ad posteriora tendit, aut è conuerso. Quæ ergo sursum efferunt, reuellenda sunt deorsum, & sic de cæteris. In omni aut reuulsione p̄standū est, vt aut hæc omnia aut si non omnia haberi queant, plurima ex his [illegible]uentur. Dū n. fiet κατ' ἴξιν & κατ' εὐθυ proderit

Per quas venas fieri debeat reuulsio.

si desit

si desit hæc, non proderit, Et hoc vult etiam Hipp. 1. *Aph.* 21. *Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, ducere oportet.*

Curationem pleuritidis tradit Hipp. *in* 2. *de ratione victus in morbis acutis* & illustrat eam exemplo Anaxionis in 3. *Epidem.* Orditur autem curationem à fomentis. Quod intelligendum est non plethorico corpore, nec cacochymico, cum nulla est à corpore suspicio de attractione nouæ materiæ ad locum affectum. Quæ enim recenset medicamenta Hipp. παρηγόρικα & vere anodyna sunt, & dolorē leniunt discutiēdo atq; consumēdo id quod affluxit calefacit & accēdit. *Sin. corpus plenū sit, aut bono sanguine aut viciosis humorib. nunquam nisi euacuato purgatoque corpore topicis vtendum est.* Quod si his non statim sedetur dolor, mox abstinere iubet & ad euacuationes accedere. Aperit autem Hippocrates reuulsionis ac deriuationis causa internā brachii venam; vnde post alui lenitionem & eductionem superfluorum à ventriculo curationem ordiri tutius est & sanguinem educi iubet fieri Antispasin κατ' ἴξιν. Quæsitum est igitur contentiose inter Medicos nostri temporis, quæ sit vena reuulsionis, quæ deriuationis causa secanda in pleuritide, quæ sanguinem affluentem in partem affectam retrahat & prohibeat materia inflammationem fieri. Tres sunt omnino de ea re sententiæ. Prima eorum, quā Arabes secuti sunt & defenderunt, quæ ita inualuit, vt longo tempore vicerit, eo quod doctrina medica ex Arabū scriptis priusquā Græcorū literis restituta est. Hi in magna plethora saphenā pedis in eodē latere; reuulsionis gratia internā brachii in latere opposito; deriuationis gratia eandē in eodēbrachio incidunt. Altera illorum est, quæ recte deriuationē & reuul-

Quæ vena reuulsionis & quæ deriuationis causa secanda diuersæ opiniones.

1.

2.

& reuulsionem vnius venæ apertione in phreniti-de fieri posse disputant, missione sanguinis, si sit o-pus, iterata καθ' ὑπαφαίρεσιν, sed semper affecti late-ris venam internam incidunt. Tertia illorum est,
3. qui diligentius & accuratius explorata origine ac distributione venarum costas nutrientium, plu-res casus formant ac distinguunt pro locorum in pleuritide affectorum diuersitate. Costas enim octo inferiores nutrit vena sine pari, quæ è dextro latere venæ cauæ ascendens circiter quintam dorsi vertebram erumpit, & ex dextro suo latere surculos vniuersos expromit, qui ab exortu bifur-cati in vtriusque lateris costas ingeruntur. Supe-riores costæ peculiares surculos adipiscuntur & humeros adeuntes, vbi ex eodem trunco duæ venulæ eductæ reflexæque; deorsum sub osse pectoris surculos afferunt exterioribus & interio-ribus musculis circa os pectoris & foris mammil-lis. Si itaque inflammatio obsideat costas superio-res, censent venam lateris affecti incisam præstare vtrũque; si inferiores, dextri lateris venam semper aperiri ad hunc vsum volunt. Et quod hoc sit κατ' ἴξιν seu κατ' εὐθὺ, sic demonstrant, Nam impulsum sanguinem ac ruentem inhiberi ac sisti & cum, q constitit remoueri & deriuari aliter non posse, nisi qui proxime sequitur, sanguis euacuetur, vt in e-uacuati locum & fluens, & qui fluxit, succedat rursus. Totam itaq; curationis rationem in pleu-ritide sic instituendam esse censent: si sit magna plethora, ratione plenitudinis, ante omnia a-periatur aut poplitis vena, aut in brachio oppo-sito interna, vt ex hausta plenitudine aliquan-tulum ceu frenetur impetus sanguinis, quæ, si

vena

vena reuulsionis causa aperietur primo, ferretur in locum euacuatum, & cum maiore impetu in partem affectam præcipitaretur. Hanc euacuationem Galen. vocat προκένωσιν, quæ non propriè morbum respicit, sed plenitudinē corporis. Mox autem eodem die, si ad superiora tendat dolor, id est, ad furculas, aperiatur vena eiusdem lateris. Si ad hypochondria, dextri lateris vena; & si ætas, vires, habitudo corporis, anni tempus, copia sanguinis, & aliæ conditiones consenserint, vna vice educatur sanguis, vsque ad coloris mutationem reuulsionis & deriuationis causa. Si quid horum obstiterit, & plenitudo tamen largiorem euacuationem exegerit; iteretur eductio sanguinis κατ' ἐπαφαίρεσιν. Hippoc. *in 2. de ratione victus*, hæc non distinguit, sed tantum iubet incidere internam venam lateris affecti siue ad furculas tenderit dolor, siue ad hypochondria, modo sit ὑπὸ τὰς φρένας, id est, sub diaphragmate. Nam si sit supra diaphragma, magis probat κάθαρσιν, scilicet si dolor sit sine inflammatione ab alia causa, vt ab obstructione frigida aut flatulenta, aut similiatio; sed si sit ab inflammationibus, aut ab humoribus calidis plus proderit venæ sectio; sed hæc sunt alterius loci. Præcedat hanc semper alui lenitio, quæ fiat non cum fortibus purgantibus, sed cum floribus cassiæ fistulę, cui, si fuerit opus, misceri oportet aliquid de rhabarbaro. In frigida pleuritide aliquid addi poterit de agarico, aut de elect. lenitiuo, aut poterit subduci aluus leni clystere. Post venæ incisionem curatio tota dirigatur ad resolutionem reliquiarum, & prohibeatur, ne fiat abscessus. Applicentur ergo foris linimenta, vnguenta, empla-

stra, cataplasmata, fomenta diuersa, quæ, quod reliquum est, digerant ac dissipent; Intus verò pharmaca, quæ idem præstant, & adiuuent illius, quod resudauit ex loco affecto, absterſionem & expulſionem per tussim, ſicut ſunt *ſyr. viol. iuiubinus, de glyzyrrh. de papau. cum decoctione viol. iuiub. ſacch.* in calida pleuritide: Item *eclegma de papau. diapenid. diatragacanth. frigidum*, pilulæ *bechicæ*, præſertim in initio. In augmento, vbi ſputum fuerit coctum, miſceatur aliquid *ſyr. de hyſſopo, de praſio, loch, de pino.* Sacculi fiant *ex farina hordei, orobi, furfuribus, ex milio & ſale.* Item, *ex maluis althea, chamom. meliloto, farinis ſem. lini & fœnugræci.* Vnguenta fiant *ex mucilaginibus ſem. cidoniorum, altheæ, maluæ, ol. violaceo, amygdal. dulc. chamo. pinguedinibus anatis, gallinæ, butyro recenti, croco.* Emplaſtra fiant *ex farinis hordei, orobi, furfuribus, floribus violarum, oleo violaceo, amygdal. dulc.* vel *oleo ſeminis lini.* Vel fiat tale emplaſtrum:

Emplaſtrum.

℞ *Rad. Altheæ minutim inciſarum* ℥ ij.
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Violarum, ana M ij.
Caricarum pinguium num. vj.

Ferueant in ſ.q. aquæ, poſt colaturam addantur farinæ fœnugræci, ſemin. lini, ana ℥ j. *Farinæ fabarum* ℥ ß. *olei anethini, liliorum alborum, amygdalar. dulcium, quant. ſuff. fiat emplaſtrum.* Vel,

Fomentum.

℞ *Chamomillæ,*
Meliloti,
Anethi,
Altheæ,
Sem. Lini,

Fœni græci, ana partes æquales.
Fiat decoctio & applicetur cum spongia.

Si itaq; resolutio non succedat, sed tendat inflammatio ad suppurationem, calore doloreque augescente, sicut *supra* dictum est, dirigantur omnia ad maturationem celerrimè, & maturati apostematis ruptionem, mundificationem & solidationem, & puris in thorace collecti expurgationem, de qua in empyemate. Ad maturationem vsurpantur *Radices altheæ, maluæ, liliorum alborum, farinæ semin. lini, fœnugræci, hordei, tritici, maluarum.* Item *mucilagines semin. fœnugræci, lini, altheæ, caricæ, dactyli, pingued. gallinarum, anseris stercus, stercus columbinum, resina Terebinth. & similia alia.* Fiat ergo tale emplastrum: *Si inflammatio tendat ad suppurationem.*

℞ Fol. maluæ cum radiculis, violariæ, ana M ij.
Rad. Altheæ, ℥ ij. *Emplastrũ maturans.*
Liliorum albor. ℥ j.
Enulæ ℥ ß.
Flor. Chamomillæ,
Melilot. ana M j.
Bulliant in s.q. aq. addendo:
Farinæ fœnugræci,
Frumenti ana P j.
Fermenti ʒ ij.
Pingued. porcinæ,
Butyri ana ℥ ß.
Olei amygdalarum dulcium,
Olei communis q. s.
Croci ʒ ß. M.
Fiat emplastrum. Vel:
℞ Mucilag. sem. caulium, *Aliud.*
Maluæ,

Altheæ,

Althea,
Fœnugraci,
Ficuum,
Dactylorum,
Butyri,
Ol. amygdalar. dulc. Misce, & subigantur in emplastrum.

Vt maturum apostema rumpatur. Maturato apostemate fit cura de ruptione, quæ tentetur forti contentione vocis, agitatione brachiorum, saltu. Foris etiam applicetur tale emplastrum:

Emplastrum.

℞ *Rad. Althea cocta ℥ iiij. Contundantur in mortario, adde:*
Butyri, ℥ j.
Mellis, ℥ j ß.
Stercoris columbini,
Caprini, ana ʒ ij. Misceantur.

Mundificatio. Ad mundificationem conducit *aq. hordei cum melle rosat.* Item: *Aq. mellis, cicerum.* Item: *Decoctum rad. ireos & glyzyrrh.* Item, *lac caprinum & asininum.* Et si magna sit crassities, *syr. de hyssopo, loch de caulibus, de squilla.* Vel fiat tale electuarium:

Electuarium.

℞ *Penidiorum, ℥ ij.*
Mell. ros. ℥ j.
Succi enula, ℥ ß.
Pulmonis vulpis, ʒ iij. Misceantur.

Post mundificationem diligentem abstergentibus misceantur aliqua solidantia, vt *bolus armenus, sem. plantag. acetosa &c.* Interdum ruptum apostema non in empyema transit, sed per vrinam euacuatur, de quo etiam Gal. disputat *in 6. de locis affect.* Sed hoc vt rarum est, ita nonnisi in illis corporibus accidere posse puto, in quibus vena ἄζυγος

ꝥ imo termino in cauam venam adaperitur & inſeritur, quod in paucis quibuſdam corporibus obſeruatum eſt. Quæ enim de hac re diſputantur apud Galen. an ſatis ſint, neſcio.

Inter ſymptomata periculoſa pleuritidis recenſet Hipp. alui profluuium *6. Aph. 16.* cum inquit: *A morbo laterali, vel peripneumonia habito, alui profluuium adueniens malum*, ſcilicet, affecta aut deſtructa virtute epatis per conſenſum à violentia morbi lateralis. Indicat Hipp. & anni conſtitutiones & tempora, quibus pleuritides inuadere ſolent, *3. Aph. 5.* cum inquit: *Quando præualuerit Aquilonia tempeſtas, tuſſes, fauces, alui, duræ, vrinæ difficultates, horrores, dolores coſtarum, pectoris ſunt exſpectandi.* Item *eadem part. Aph. 23. Hyeme morbi laterales ſi inuadunt &c.* Nimirum per frigus conſtringens, conſtipansque meatus vtroſque & poros anguſtiores, & laxiores vias, ac violenter repellens humores ab exterioribus ad interiora, & ex compreſſis vaſis exprimens humores. De iis etiam, quibus minus eſt periculi à morbo laterali vero, monet Hipp. *6. Aph. 33. Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur*: eò, quod in talibus raro humores calidi coaceruantur. *Eſt autem pleuritis inflammatio calida. Frigida tamen nunquam ſunt applicanda.* Nam inter initia materiam repellunt ad partes nobiliores, & in progreſſu extincto calore natiuo membrum producunt ad corruptionem, ſed reſoluentia ſemper vſurpentur, quæ tamen primum caloris gradum non excedant, & his ſemper miſceantur aliqua emollientia ſeu humectantia, ne tenuium partium reſolutione craſſa indurata coëat in ſcyrrhum.

Pleuritidis ſymptomata.

Empye-

Empyema verum ſicut oſtendimus ex Hippoc. interdum ad pleuritidem (quod frequentius accidit) interdum ad anginam, peripneumoniam, aut alias thoracis inflammationes conſequitur.

Quæ apoſtemati rupto in pleuritide adhibenda ſint exterſionis & ſolidationis cauſa, diximus antea.

Empyematis autem curatio conſiſtit tota in puris ex cauitate thoracis eductione, quod longiore mora, vel contagio, vel eroſione pulmones exulcerat, & phthiſin gignit.

Duplex ratio educendi pus ex pectore.

Cùm autem vna tantum ſit via à natura facta, per quam thorax expurgatur, alteram poteſt aperire ars Chirurgi; Duplex ergo erit ratio educendi pus ex pectore. Vna, vt tuſſi reiiciatur per pulmones. Altera, vt artificioſa ſeu perforatione lateris ad muſculos intercoſtales, ſeu vſtione actuali ſeu potentiali latus aperiatur. Prior tutior eſt & vſitatior; poſterior & peritum Chirurgum, & ſapientem Medicum, & ægrum intelligentem & patientem requirit.

Quantum attinet ergo ad rationem priorem, ſi materia ſit mediocriter craſſa, lenta, & adhærens, vſurpentur, quæ incidunt, attenuant & abſtergunt, & ſimul expuitionis facilitatem efficiant, inunctione & lubrificatione meatuum; quale eſt medicamentum, quod

Syrupus.

℞ *Rad. Maluarum,*
Biſmaluæ,
Liliorum,
Ireos ana ℥ j.
Hyſſopi ℥ ß.
Herb. Vngulæ caballinæ,

Capill.

Capillor. Veneris ana M ij.
Quatuor sem. frigidorum,
Anisi, Fœniculi,
Rad. Fœniculi,
Asparagi ana ℥ ij.
Passularum enucleatarum,
Sebesten ana ℥ vj.
Dactylorum,
Caricarum ana num. vj.

Fiat decoctio. Eius colatura dulcoretur facch. penidiato & melle. Conueniunt *& syrupi de hyssopo, de glyzyrrh. iniubinus, & eclegmata vsitata.* Si sit valde crassum pus & febris exigua vel nulla. Fiat decoctum ex *rad. ireos, hyssopi, glyzyrrhizæ.* Ex herbis, *hyssopi, prasii, calamenthi, betonicæ, origani, vngulæ caball. scabiosæ, capill. Veneris, passulis, dactylis, caricis, quant. suffic.* Et misceantur *syrup. prædictis, syrup. de prasio, differentiæ oxymellis.* Item, *eclegmata de squilla, pulmone vulpis & similia.* Si febris adsit magna, fiat decoctum *ex herb. vngul. caballin. capill. Veneris, sem. quatuor frigid. maior. sem. endiu. lactuc.* Item *ex iuiubis, sebesten, passulis, glyzyrrhizæ rasæ.* Denique recurratur ad ea, quæ in asthmatis curatione *suprà* sunt exposita, intus & foris pectori conuenientia. Sit autem de empyemate in conspectu locus Hippocr. *in 2. prognostic. Suppuratorum hi euadunt, quos febris dimiserit eodem die post ruptionem apostematis, & redierit appetitus cibi, desinat sitis, venter deiiciat exigua & consistentia, pus sit album, leue, æquabile, concolor sine pituitæ admixtione, & expuatur facile ac citra molestiam.* Quibus contrarium accidit, ii moriuntur; & prout signa ad alterum extremorum propius accesserint, ita vel spem conualescentiæ, vel mor-

Empyematis bona prognostica.

Mala. vel mortis metum adfert. *Si autem quatuor diebus non purgentur secundùm Hippocrat. in tabem transeunt.* Quod quando accidit, manifesta phthisis signa sese ostendunt.

Vstione seu sectione si tentetur puris eductio, fit in conspectu Aph. Hipp. 6. *Aph.* 27. *Quicunque suppurati aut aquam intercutem patientes vruntur aut secantur, si pus aut aqua vniuersim, id est, vna vice omne pus, aut magna ex parte effluxerit, omnes moriuntur.* Per vices enim & particulatim pus educendum est, ne calor naturalis resoluatur ac dissipetur. Consideretur & puris, secundùm Hipp. 7. *Aph.* 44. quod effluit, species: *Quicunque suppurati vruntur & secantur, si pus purum fluxerit & album, euadunt: si verò subcruentum, fæculentum, aut fœtidum pereunt.*

Cæterorum symptomatum pectoris, vt dyspnœæ, tussis, sputi sanguinis, item empyematis ex defluxu catarrhi, aut pleuritidis ex defluxu catarrhi, curationes repetantur ex præcedentibus.

DE PASSIONIBVS CORDIS.

CAPVT XI.

COR quouis genere morbi affici potest per sese ac primariò, & per consensum, sed non omnes curationem admittunt. Complector autem morbos, qui & ipsi cordi, & pericardio & vasis, id est, venis & arteriis accidunt. Morbi per se sunt, vt intemperies simplex, omnis generis obstructiones, inflammationes, erysipelas, tumores frigidi, vlcera, vulnera. Inflammationes autem & erysipelata & tumores alii, vt rarò accidunt, ita si cor occu-

cor occupent, nou facilè cognoſcuntur initio, ſed vbi augeſcunt & ingraueſcunt cum vehementibus & crebris ſyncopis citò mortem adferunt, citius tumores calidi, tardius paulò frigidi. Euenit autem hoc, quod Hipp. inquit 2. *Aph.* 41. *Qui ſæpe & ſine manifeſta cauſa exoluuntur, ii derepentè moriuntur.* Vulnera, quæ ventriculos penetrant, mox interimunt, & citius, quæ ſiniſtrum, q̃ quæ dextrum aperiunt; ſi profunda ſunt altera die ferè accedente inflammatione. Sunt, qui affirmant, vlcera ſe vidiſſe in corde caua & ſordida quorundam, qui ſenſim contabuerunt, ſed omnes hi affectus rari ſunt & lethales. Crebriores autem dyſcraſiæ, ſiue à manifeſtis qualitatibus oriantur, quibus vitali calore & ſpiritibus læſis aut languefactis vires diſſoluantur; ſiue à venenatis humoribus aut halitibus proueniant, qui tota ſubſtantia cordi aduerſa atque infenſa calorem vitalem conculcant, elidunt aut extinguunt. Calidam intemperiem indicāt, pulſus frequens, celer, & interdum magnus, reſpiratio magna, exſpiratio calida ferè cum exſufflatione febris, q̃ ferè omnem calidam intemperiem comitatur, ſi ſit paulò vehementior. De frigida teſtantur indicia contraria. Ad humidam ſequitur plenus pulſus, mollis & ferè languidus cum palpitatione, quam commouet ſenſus ſuffocationis ex cordis compreſſione. Ad ſiccas exilis pulſus, durus. Cùm autem inualuerunt dyſcraſiæ cordis, manifeſtè communicantur externis membris ſimilaribus, quæ pro intemperiei ratione aut incaleſcunt aut perfrigerantur, aut ſicceſcunt, aut præter naturam madefiunt. Per conſenſum cor afficitur, aut quando non communicatur cordi

Vulnera cordis citius interficientia.

Signa intemperiei cordis calidæ.

Frigidæ.

Humidæ.

Siccæ.

Morbi cordis per conſenſum.

id, quod lege naturæ communicari ei ad cōfirmationem sui consueuit; aut quando cōmunicatur vel id, quod nō debebat, vel corruptum aliqd humoris est, halitus aut qualitatis forma. Ex defectu alicuius rei necessariæ afficitur cor crebrò quidem, cùm non influit in neruos virtus animalis, qua impelluntur & mouentur musculi thoracis, quorum motu efficitur respiratio. Impedita ergo respiratione læditur, abolita suffocatur & extinguitur cor; Ab epate verò, cum pabulum nullum & substantiæ cordis & spiritibus vitalibus suppeditatur. Altero modo, scilicet cum aliquid communicatur cordi, quod non debebat, multipliciter afficitur cor, à cerebro quidem, vel cùm per neruos communicantur cordi obiecta, quæ sunt causa subitorum motuum & vehementium affectuum, vt magnæ & improuisæ consternationes, subitum & effusum gaudium, aut sæua mœstitia. Per arterias verò communicantur cordi acres & ardentes halitus melancholici, qui sunt causa palpitationis. Item cùm per neruos magnos & atroces dolores deiiciunt ac prosternunt virtutem cordis resolutis & exhaustis spiritibus vitalibus. Ab epate verò, quod communicatur cordi, vel nutrimentum crudum & non idoneum nutritioni, vt in hydrope, vel adustum assatione: Item ab osculo ventriculi affecto per sese vel per consensum, à liene, intestinis, vtero, cruribus, brachiis, vel tumore aliquo prçternaturali obsessis, vel ictis à venenatis bestiis, cum scil. ab his partibus ad cor vel halitus venenatus, vel humor & qualitas venenata, diffunditur ac propagatur. Denique ab humoribus putrefactis, in quibuscunque parti-

bus

bus corporis, vt in inflammationibus & febribus putridis, cùm putres halitus inde ad cor feruntur, qui tantò grauius lædunt cor, quantò putrefactio cordi est propior & maior, malignior & venenatior, ratione humoris putrescentis aut causæ putredinem efficientis, sicut apparet in febribus pestilentibus. Nunquam autem extinguitur homo, nisi vitali facultate in corde extincta, idcircò cor postremo omnium tanquam vitæ fons, moritur. Ad has affectiones, præter languorem & imbecillitatem virtutis vitalis in corde, sequuntur duo præcipua symptomata admittentia Medicorum opem, syncope & palpitatio cordis. Tertium, mors omnem humanam opem respuit.

Symptomata affectionū cordis.

Syncope acutissimum malum est, à qua λειποθυμία seu λειποψυχία, id est, deliquium animi: item ἔκλυσις seu exolutio magnitudine causæ & mali differunt. Defectum enim virium non subitum ac repentinum, sed qui sensim fiat, virtute cordis elanguescente, λειποθυμίαν seu λειποψυχίαν, vehementiorem ἔκλυσιν; subitum verò ac præcipitem virium animalium vitalium & naturalium lapsum συγκοπὴν nominant, quæ maiorem causam requirit, quàm cæteræ. Pulsus enim in hac aut euanescunt, aut valde obscurantur, corporis summa frigent, facies concidit & expallescit, tempora, ceruix, thorax, frigido sudore permadescunt, quem sudorem vocant symptomaticum, totū corpus concidit, motu sensuq; & mente deficientibus & corripit tam vigilantes quàm dormientes. Λειποθυμία subitò non fit, sudor non sequit. Cōmouent aūt syncopen ptер simplicem

Syncope quomodo à deliquio animi differat.

Syncopis signa.

intemperiem & alios morbos sæuiores, etiam cordis affectus seu motus animales, vt subita & vehemens cõsternatio, effusum & repentinum gaudium, mœstitia fortis, dolor atrox, longa inedia, labor, immodicæ euacuationes, magna corporis raritas & spirituum tenuitas, item cruditas multa, tantoque magis, si cor natura imbecillum sit ac languidum. Denique quæcunq; calorem & spiritus vitales aut conculcant, aut suffocant, aut resoluunt ac dissipant, hæ enim duæ sunt propinquæ, &, vt ita dicam, coniunctę causę. Ita affectiones osculi ventriculi graues, syncopen stomachicam inferunt, vt inflammationes, erysipelata, morsus in cardiogmo à bile, aut venenato humore, siue inhæreat osculo, siue eò vel ad cor ipsum feratur, ex vtero, intestinis, liene, bubonibus, aut aliis corporis partibus cum vapore tetro & venenato.

Palpitatio cordis.

Palpitatio cordis Arabibus tremor cordis symptoma est in genere deprauati motus. Est enim immoderata concussio cordis vehementi diductione atque contractione repellens à sese vel excutiens, quæ offendunt ac molestant. Oritur autem corde per sese vel per consensum affecto. Per se, ab iis morbis, quos recensuimus, & præsertim ab intemperie frigida, aut calida, aut venenata; per consensum à sanguinis abundantia, aut à pericardio, aut præassata & torrida bile in arterias effusa ex præcordiis, liene, loco circa lienem, vbi παγκρέας est, vel ex cerebro, vt in melancholicis; de qua causa Gal. *lib. 2. de causis symptom. ea esse*, inquit, *crassus, nebulosus, ater, flatu osus spiritus.* Et ideo frigidiora corpora, regiones, anni tempora, crapulæ,

Eius causa.

pulæ, temulentiæ, cibi frigidi, & flatulenti, vita otiosa, & quæcunq; corpora implent crudis humoribus & flatibus crassis, palpitationibus causam præbet. Si à pericardio sit palpitatio, causa est vel tumor aut durus aut humorem continens, aut copiosus humor pericardia implens, vt turgeat & motum cordis impediat, siue ibi collectus sit, vt in ebriosis & intemperantibus, siue ex catarrhis eò decubuerit, & tunc quidem cor velut moueri percipitur. *Tantus autem interdum motus est cordis, vt costas thoracis perfringat & elidat, & compertum est, mammillam sede sua motam esse*, & ruptis arteriis ἀνευρύσματα extitisse, omnes aut arteriæ in palpitatione vehementer pulsant, & illæ maximè, quæ supra iugulum sunt, nunquam, præsertim in quiete remittunt, sed exacerbantur vehementer & augentur immodicis exercitiis, æstu, Venere, balneis, crapula, vino meraciore, iracundia, & vniuersim omnibus, quæ resolutis spiritibus & calore corpus infrigidant, & cordis tenorem languefaciunt; si ingrauescat palpitatio & perduret, desinit in syncopen. ***Palpitationis signa.***

Intemperies cordis qualiscunque, si coniuncta sit cum cacochymia cordis, requirit diligentem expurgationem humorum vitiosorum; si in corde tantum sit, alterantibus emendatur, calida quidem frigidis, frigida calidis: & sic de cæteris. ***Curatio intemperiei cordis.***

Conueniunt aũt cordi ex medicamentis calidis quidem *doronicum, zedoaria, moschus, ambra, sericum crudum, been album & rubeum, caryophylli, macis, crocus, spica Indica & celtica, lignum aloës, melissa, cardamomum, cubebæ, cortex citri, aut pomorum aureorum, calamẽthum, iris, &c.* Et ex frigidis: *Margarita, carabe,* ***Medicamẽta cordis calida.*** ***Frigida.***

corallia, camphora, santali, spodiū vstum, os de corde cerui, bolus armenus, terra sigillata, rosæ, nymphea, acetosa. Ex temperatis: *Hyacinthus, smaragdus, saphyrus, aurum, argentum, buglossa, borago, poma dulcia.* Humidæ medicinæ cordi conuenientes sunt *lacca, granata dulcia, borago, buglossa, endiuia, violæ.* Ex compositis valent *theriaca*, in frigidis, *mithridatium*, & species cordiales, de quibus *infra* dicam. Si sit opus soluentibus, conducent in redundantia flauæ bilis, *Mirobalani citrini, tamarindi, violæ, pruna, manna, succus & infusio rosar.* In phlegm. *Mirobal. chebuli, emblici, agaricus.* In melanchol. *Indi myrobal. lapis lazuli.* In humoribus adustis, *fol. senæ, fumus terræ.* Sanguinem mundificantia: *Capillus Veneris, lupuli, endiuia, melissa, fumaria, &c.* Ex his ergo parentur medicamenta in cordis dyscrasia, quæ & intra corpus exhibeantur, & foris applicentur, epithematum, vnguentorum, emplastrorum, sacculorum, odoramentorum, aut alia forma. Vt in dyscrasia calida fiat tale epithema:

Temperata. *Humida.* *Composita.* *Soluentia.*

Epithema refrigerans.

℞ *Aq. Rosarum,*
Acetosæ, Cichorei,
Nymphea, Melissæ, ana q. s.
Aceti,
Vini optimi proportione,
Santali, Spodii, ana ℥ j.
Rosarum,
Sem. Acetosæ,
Endiuiæ, ana ℥ ij.
Macis ℈ j.
Croci ℈ ß.

Misceantur, fiat epithema. In frigida tale paretur emplastrum:

℞ *Spica*

℞ *Spicæ nardi & Celticæ,* *Emplastrum calefaciens.*
Cinamomi,
Cyperi,
Calamenthi,
Mentæ,
Maioranæ,
Rorismarini,
Cariophyllorum,
Fol. lauri ana ʒ j.
Farinæ fœnugræci ℥ j ß.

Cum vino albo odorifero & oleo maioranæ fiat emplastrum. Vel epithema fiat ex *vino albo odorifero, & aq. melissæ, maioranæ, ocymi, caryophyll. pulueribus cubebarum, nucis muschatæ, galangæ,* & applicetur cum panno scarlato. In sicca dyscrasia fiat inunctio pectoris & spinæ cum vnguento parato *ex ol. violato, cucurbitino, amygdalino, pingued. gallinæ recenti, mucilag. sem. althææ, cidoniorum, psyllii, medulla crurum vituli, ceræ albæ,* & sic de cæteris. *Epithema.*

DE CVRATIONE SYNcopes.

SYNCOPE omnis curatur aut in ipso paroxysmo therapeuticè, aut ante paroxysmum prophylacticè, aut post paroxysmũ analypticè. Cùm autem proximæ causæ paroxysmorum in syncope sint aut euacuatio nimia spirituum, aut eorundem conculcatio & oppressio, antecedentes verò & procatarcticæ plures; His proximis causis primò omnium Medicus sit intentus in paroxysmo syncopali; postea & antecedentes auertat & procatarcticas. Si ergo sit à resolutione nimia spiri-

ſpirituum, vt propter effuſum gaudium, euacuationem nimiam corporis quamcunq;, per ſudorē, ꝓfluuium ſanguinis, ventris deiectionem, laborem, inediam, dolorem, adhibeantur ea, q̄ prohibent reſolutionem vlteriorē, reficiunt & confortant ſpiritus & eoſdem inſtaurant. Prohibent reſolutionem ſtyptica aſperſa faciei, aut toti corpori, vt *aqua frigida, vel roſata, acetum roſatum*, & alia ſimilia. Itēm aëris infrigidatio cum flabello ventulum faciente. Confortant ſpiritus odoramenta, vt *violæ, ſantali, poma, roſæ*, in cauſa calida. In frigida *ocymum intinctū aceto*, vel *pulegium*, vel *calamenthum*. Item, *iris Illyrica, macerata in aceto*. Sed in paroxyſmis propter ſuffocationem matricis cauendum diligenter, ne odoratis matrix irritetur, & tutius eſt ab odoratis omnibus abſtinere. Spiritus generant, *vinum bonum, bucella panis vino intincta, brodium gallinæ, & brodium carnium*, & ſimilium. Si ſit à conculcatione ſpirituum, fiat eorundem retractio ad extrema conſtrictione forti extremorum, frictione forti, aut aliis dolorificis, quibus adiungatur frictio oſculi ventriculi, & inunctio cum oleis ſtypticis. Conuenit autem vti tali retractione præcipuè in ſyncope ex obſtructionibus aut humoribus crudis frigidis. Item in regurgitatione materiæ putridæ venenatæ à matrice ad cor, ex putrefacti ſeminis aut ſanguinis menſtrui corruptione. Vinum mirificè prodeſt, ſi abſit inflammatio, reſolutio corporis per ſudorem ob humorum tenuitatem aut raritatem texturæ, cruditas magna, fluxus ventris ex humore bilioſo: In his enim caſibus omnibus abſtinendum eſt à vino. In ſyncope ex reſolutione ſpirituum

Reſolutionem ſpirituū prohibentia.

Spiritus confortantia.

Spiritus generantia.

Contra conculcationem ſpirituum.

In qua ſyncope à vino ſit abſtinendum.

ſupinus decubitus, quies & ſomnus; In altera vigiliæ & erecta corporis forma conducunt, ſicut ſyncope ex veneno. Poſſunt autem ex iis, quæ *ſupra* commemorata ſunt, medicamentis parari cõpoſita diuerſorum generum, quę corroborent; Et parata, q̃ cõferunt, In calidis quidem affectionib. *diarrhodon Abbatis, diamargariton frigidum*; In melancholicis affectionibus *pliriſarcoticon*, *lætificans Gal. & Rhaſis*; In frigidis *Electuar. de gemmis*, *diamoſchum dulce & amarum*; In venenatis *confectio liberantis, confectio cordialis*.

Si ſit per cõſenſum ſyncope, vt à dolore in parte aliqua, ab oſculo ventriculi, ab vtero, à minima euacuatione, &c. Illis affectibus conſulendum eſt, dolor ſedandus; ſi in oſculo ventriculi humor venenatus vomitu vel purgatione educatur; ſi à corrupto ſemine, & menſtruo ſanguine, illa quoque educantur eo modo, & ſic de cæteris. ***Curatio ſyncopis per cõſenſum.***

DE CVRATIONE PALPITAtionis cordis.

SI à copia & redundantia ſanguinis ſit palpitatio cordis ſecundum Gal. Phlebotomia & ratione victus tenuis ſcilicet medicina extenuante curetur. Quod ſi poſt venæ ſectionem relinquatur in corpore calida affectio, conueniunt *ſyr. acetoſitatis citri, de ſucco acetoſæ, de endiuia, de cichoreo*. Item electuaria & confectiones frigidæ; linimenta & emplaſtra & epithemata refrigerantia conducunt puluiſculi ex *ſem. melonum, citrullorum, cucurbitarum cucumerum, portul. viol. roſ. ſpodio, corallis vtriſque maſtiche, camphora, croco*. Si frigida relinquatur, corrigatur

tur calidis & speciebus *diambræ, diamoschi dulcis & amari, diachylo aloës, diacalamenthi, dianisi, &c.* Item *theriaca, mithridatio.* Si sit à copia pituitæ in capsula cordis, corpore bene præparato exhibeantur *mell. ros. syr. de hyssopo.* Si crassities insit, *oxymellis* genera omnia, vt, *syrup. de prasio, origani, origani, melissæ:* Si tenuitas insit, *syrup. iniubarum, syrup. viol. de glyzyrrhiza.* Ad eductionem è pectore conducet *agaricus, diacatholicon, diaphænicon, elect. hieræ simpl.* & similia alia. Si à ventriculo sit, expurgetur osculum ventriculi vomitu & purgatione & confortetur. Si sit ab humore melancholico, præparetur *syrup. de pomis, de corticibus citri, de succo borag. de fumaria, de lupulis, de epithymo, cum aqua melissæ, buglossæ, borag. lupulorum, &c.* Euacuetur *cum fol. senæ, thymo, epithymo, corticibus myrobalan. Indorum, diasenæ, diacatholicon. Pilulis de Lazul. lap. de hiera simplici, agarico, trociscato, electuar. de succo ros.* Si bilis sit præassata præmuniatur cor, ne vel recipiat vel admittat atros & fœculentos halitus, vt:

Puluis.

℞ *Zedoariæ,*
Doroniciæ,
Melissæ,
Buglossæ,
Corall. rubrorum,
Spodii ana partes æquales, Misce fiat puluis.

Detur pondere ʒ j.

Item fiat cerotum tale, quod valet, in omni palpitatione à causa frigida:

Ceratum.

℞ *Ladani* ʒ vj.
Mastiches,
Terebinth. ana ʒ ij.
Corticum citri,

Cario-

Caryophillorum,
Nardi,
Cinnamomi, ana ℥ß.
Moschi, Gr. iij.

Subigantur in mortario cum pistillo calido, postea extendantur super corium, & obducta sindone applicentur cordi & stomacho.

Si nec caliditas sit insignis, nec frigiditas cum palpitatione, conducet puluisculus talis:

℞ *Carabe,* **Puluis.**
Corallorum,
Margar. præparatarum ana ℥ iij.
Ocymi,
Caryophyllorum,
Chyloaloës, ana ℥ vj.
Coriandri sicci præparati ℥ ij.

Terantur in puluerem, cuius dosis est ℥ ij.

Inflammationes cordis & rarò sunt & rarò curantur, & non nisi inter initia cum quidem cognitu difficilimæ sunt. Ratio curationis tota consistit in reuulsione humoris influentis, quæ fit phlebotomia ex vena humeraria, & repercussione & alteratione cum infrigidantibus cordi applicatis, quæ sunt actu & potentia frigida. Si enim principio non depellatur inflammatio, statim, cùm accedit ad augmentum, interficit. **Curatio inflammationis cordis.**

Sunt & vlcera cordis cognitu difficilima, & propter situm ac perpetuum motum cordis curatu ferè impossibilia.

DE MOR-

DE MORBIS VENTRIS INferioris; Et primum ventriculi.

CAP. XII.

Ventriculi affectiones (vt fecimus hactenus) distribuemus in morbos & symptomata. Etsi enim morbis curatio debetur, tamen affectionum denominatio sæpe fit à symptomate, quæ ad morbos tanquam proximas seu continentes causas reduci oportet. Omnibus autem morborum generibus ventriculus est obnoxius, sed frequẽtius corripitur intemperie vel simplici sine humoribus, vel altera, quæ cum humoribus & flatibus est cõiuncta; Et humoribus quidem vel calidis per se, vt sanguineis, vel biliosis; *aut frigidis, vt pituitosis, lentis, craßis, viscidis, acidis*; aut tenuibus salsis acidis, insipidis, dulcibus aut melancholici acidis astringentibus. Inflammationes rarius accidunt ventriculo, & rarius adhuc, qui ex his proueniunt abscessus, quos excipiunt vlcera. Sed exulcerari ventriculus potest & ab aliis causis; vt acribus, mordacibus & rodentibus humoribus; vel à medicamento caustico ac putrefaciente, aut à oxicis & venenatis prorsus. Sunt, qui vulnera per quæ chylus effluxit se curasse prodiderunt, cum tamen Hipp. inquit 6. *Aph. 18. Vesicam discißam habenti, aut cerebrum, aut cor aut p̃cordia, aut aliquod ex tenuiorib. intestinis, aut vẽtriculum, iecur*, lethale est. Humores autem, qui in vẽtriculo intemperiem gignunt, vel in ipso nascuntur, vel coaceruãtur in ventriculo, vel in eum aliunde influunt. In ipso nascuntur, aut propter ἀτονίαν ventriculi vel connatam vel contractam; aut propter

propter externas causas, quæ lædunt ventriculum vel coctionem impediunt, quod fit multipliciter, peregrinationibus *ieiuno stomacho in aëre frigido*, Intẽperantia, incontinentia, vitio ciborũ, qui ingeniruntur, siue multitudine noceant, siue vitiosa qualitate, siue ordine inuerso, q̃uo assumuntur, aut ꝙ interrumpitur & turbatur coctio, aut quod intẽpestiuis studiis, intentionibus animi vehemẽtioribus, affectibus immoderatioribus, motibus corporis in ordinatis calor à ventriculo obductus distrahitur, vel similibus causis aliis. Quæ si fiãt crebro, tandem languefacto stomacho inducunt, ἀτονίαν incurabilem, inprimis vero ingurgitationes immoderatæ & intempestiuæ. Influunt in vẽtriculum è cerebro aut faucibus præcipitati deorsum, vt frequenter accidit in catarrhis; vel intestinis, liene, epate, folliculo fellis; venis maiorib. regurgitati per venas & intestina; ex epate & folliculo fellis bilis flaua, vitellina, prasina. Ex liene humor melancholicus, vel bilis atra; Ex venis maioribus sanguis; Ex intestinis excrementa vt in ileo. Sed flaua bilis frequentius ex epate refunditur in ventriculum, vt in febribus apparet; rarissime enim in ventriculo gignitur & non nisi in valde calido ac bilioso. Phlegma vero primo & principaliter in ventriculo gignitur & semper aliqua pars in eo relinquitur. Influunt autem humores in ventriculum, vel impulsi à membris transmittentibus aut ab aliis causis commoti, sicut flauam bilem ira ciet melancholicum humorem mœstitia; vel attracti, quod fit in magna intemperie calida ventriculi, in magnis doloribus ventriculi, in inflammatione. Omnes vero, qui in ventriculo coaceruantur hu-

tur humores, aut in eius cauitate natant, aut inhærent lateribus & villis lentore suo agglutinati, aut ceu imbibiti in tunicas ipsas totam substantiam laxant, & vel corpus ventriculi, vel osculum vel vtrumque simul occupant & infestant. Immersi in substantiam adferunt nauseam ante cibum, quorum calidi biliosi calidis irritantur; salsi, phlegmatici iuuantur. Non immersi, sed natantes sine nausea sunt, sed si magna copia redundent, & vitiosa sint pditi qualitate, post cibum permixti alimento, & cum eo ad superius osculũ, cuius exquisitus sensus est, subuecti, nauseã pariunt.

Signa intemperiei calidæ ventriculi. Calidam intemperiem comitantur sitis diuturna, & penè inexplebilis, cibi potusque frigidi appetitio, & horum facilis concoctio, frigidis vel foris admotis, vel infusis iuuatur ac reficitur stomachus; calidis omnibus, vt aromatis, vino meraciore, & similibus læditur. Intenditur enim illorum vsu calida intemperies, & citò talia ructus nidorosos pariunt, qui calidam intemperiem indicant, vel ventriculi aut humorum vel calidorum vel putrescentium, sicut ructus acidi frigidam intemperiem indicant. Quod si cum intemperie calida redundet humor biliosus, accedunt nausea, amaritudo oris, cibi fastidium, sensus mordicationis cuiusdam circa osculum, dolore interdum sese extendente ad scapulas vsque, & hæc tantò sæuiora sunt, quantò humor malignior fuerit, adeò, vt cardiogmos & syncopas & epilepsias non rarò excitet. *Calidæ cum bile.* Frigidam intemperiem comitantur sitis nulla, cibi potusque calidi appetitio, & post vsum horum sensus allevationis cuiusdam, tarda concoctio, nocumen- *Frigidæ.*

tum ex

tum ex frigidis quibuscunque, horror, perfrigeratio, ructus acidi. *Si cum frigida intemperie coniungitur humor crassus & pituitosus*, absunt sensus mordicationis, & amaritudo, sed cibi fastidium manet, nausea, & accedit languor, ac ponderis cuiusdam sensus ventriculo fatiscente. Humidum ventriculum sequitur *laxities tunicarũ, quæ & cibis solidioribus ac siccioribus & medicamentis quadã astrictione p̃ditis quoties iuuatur, talẽ esse cõstitutionẽ ventriculo hoc ipso argumento cognoscere licet. Sed quoniã copiosa pituita ventriculo innatat, vel ẽt ipsas tunicas instar spongiæ imbuit, hæc ferè larga ac perpetua saliua os complet, vnde crebra exputio saliuæ sine tußi oritur.* Siccior ventriculus *humidioribus cibis & largiori potu iuuari sese, aridis contra & solidis offendi sentit, sed nulla adest nausea, grauitas nulla, nec vomitio, nec mordicatio.* Inflammatio ventriculi *fit sanguine per venas è portæ vena deriuatas & incorpus eius insertas immoderatius effuso inter tunicas ventriculi. Adfert hæc dolorem ingentem, proptèr exquisitũ membri sensum & tumorem partibus diuulsis, & sæpe tactu interdum & visu tumor percipitur, qui tangi sine sensu magni doloris non potest:* Accedunt præterea, (*vt ad omnes internas inflãmationes*) *febris ardentißima, sitis inexplebilis, magna corporis iactatio & inquietudo*, quodq́; *proprium est ventriculi, vomitio ac deiectio eorum omnium, quæ assumuntur, nisi inflammatio consistat ad oscula, tunc enim his coarctatis nihil emittitur:* præterea *animi deliquia crebra, vigiliæ, deliria.* Cognatę aũt sunt phlegmonę vẽtriculi *inflãmationes summi lobi epatis, qui vẽtricnlo incumbit, & rectorũ musculorũ abdominis, qui foris ventriculum tegunt. Neq; ab his ventriculi inflãmatio aliter, nisi magnitudine doloris & cæterorũ symptomatũ sæuitia discernitur*, ꝙ videtur indicare Hipp. cùm inquit: *Dolores vẽtris sublimes leniores, qui verò nõ sublimes, fortiores.* 6. Aph. 7.

Frigida cum pituita.

Humida.

Sicca.

Inflammationis.

Signa distinguentia inflammationem ventriculi ab inflãmatione locorũ hepatis.

Absces-

Signa abscessus. Abſceſſus vomitione vel deiectione puris ſeſe *Vlceris.* produnt. Vlcera ab externis interdum cauſis cum dolore infeſtant, quandoque ſunt ſine dolore; Alui deiectio vel vomitus fatigat aſſiduus, febris lenta ægrum conſumit paulatim, cum pulſu crebro ac celere, appetitus proſternitur virtus omnis ventriculi reſoluta langueſcit ac concidit, corpus non alitur, ſed liqueſcit, donec tandem extincto natiuo calore mors obrepit.

Prout autem hi morbi alias oſculum ventriculi, alias ipſum eius corpus infeſtant, ſic diuerſa ciēt ſymptomata. Oſculum peculiari præditum ſenſu, qui in aliis exquiſitior & acrior, in aliis obtuſior ac hebetior, à nerui ſexti paris cerebri, ſedes eſt appetentiæ vel potius organum ſenſus ſuctionis venarum, quam ſequitur appetitio: Fames enim non ipſa appetitio; ſed ſenſus ſuctionis venarum in oſculo ventriculi eſt. Præterea principibus partibus omnibus, vt cordi, cerebro, & epati & aliis quibuſdam coniungitur; Cordi vicinitate ſitus; Cerebro inſertione neruorum & ductu viarum, quæ è ventriculo in cerebrum tendunt; Epati & lieni interuentu & coalitu venarum meſaraicarum; renibus, inteſtinis, vtero, veſicæ, neruorum connexu. Varie itaque afficitur oſculum ventriculi *per ſeſe & per conſenſum à cerebro*, epate & liene, renibus, inteſtinis, vtero. Et hoc modo affectum alias conſenſu quodam vitia ſua illis partibus impertit, quibus annectitur & cohæret, alias in ſeſe ſymptomata experitur ac ſuſtinet diuerſa, vt ſedes & organum appetentiæ. Cordi lypothymiam, ſyncopem, *cardialgiam commouet*. Cerebro cephalalgiam, ſoporem, veternum, vertiginem, catalepſim, in-

Ventriculi cum aliis partibus connexio.

cubum

cubum, epilepſiam, melancholiam, delirium; Thoraci difficultatem anhelitus ac reſpirationis; oculis affectionem ſuffuſionibus ſimilem inducit, de quorum ſymptomatum cauſis *ſupra* tractauimus in ſeſe ratione exquiſiti ſenſus dolorem experitur, quem cardialgiam & cardiogmum nominant, id eſt, morſum oſculi ventriculi, quem cient *acres, bilioſi aut corrupti humores.* Quatenus appetentiæ ſedes eſt, patitur diminutionem, deprauationem & abolitionem appetitionis. Abolitam appetentiam vocant ἀνορεξίαν & ἀποσιτίαν & ἀσιτίαν. cibi faſtidium, quod debilitatem appetitus ſequitur ἄσην nominant, quorum cauſa eſt vel intemperies ſtomachi cum, aut ſine humore, vt cum oſculum ventriculi aut pingui, adipe, aut humore pituitoſo lento viſcidoque, aut aliter vitioſo inunctum atque implicitum pene amittit ſenſum ſuctionis venarum; vel redundantia bonorum ſuccorum in toto corpore, quibus luxuriantibus nulla fit attractio nutrimenti, nulla venarum ſuctio, membris alioqui large perfuſis; nullus itaque fit ſenſus ſuctionis, idcirco nec appetitus.

Cardialgia *Cardiogmos.*
ἀνορεξία. ἀποσιτία. Ἀσιτία. ἄσην. *Mercuriali tum ſult deceptũ fuiſſe interpretem.*
Cauſa debilitatis appetitus.

Deprauatæ appetitionis ſymptomata ſunt: fames vehemens, βούλιμος appetitus caninus & κίττα καὶ μαλακία, quod Latini picam nominant βούλιμος *deprauatio eſt appetitionis adaucta ſupra modum.* Oritur vero à magna corporis euacuatione, atque alimenti penuria, vel ab imbecillitate & refrigeratione oſculi ventriculi præcipue à frigore externo, ſed adeſſe tamen cibi indigentiam oportet. Eo vſque autem intenditur, vt quandoque deliquium animi adferat.

Deprauatæ appetitionis ſymptomata βούλιμος.

Appetentia canina.

Canina appetentia etiam in quantitate modũ

 naturæ

naturæ conuenientem excedit, qua qui laborant, plures cibos ingerunt & appetunt, quam continere & concoquere possunt. Onerati itaque cibi sarcina reuomunt, quod infarserunt, sicut canes cum pituitæ copia. Fit verò vel propter easdem causas, quibus βούλιμος, vel propter humorē frigidum, acidū, osculo ventriculi impactū, qui & refrigerando & astringendo appetentiam intendit, depulso astrictione alimēto in vētriculi fundum.

Pica. Κίττα seu *μαλακία appetitionis in qualitate deprauata symptoma est*, cùm praui & vitiosi cibi appetuntur. Malū mulieribus grauidis familiare, quibus ferè circa diem à conceptu 40. accidit, & interdum vsque in mensem quartum perdurat, etsi secundo tertiovè vehementius vrget: postea desinit, humoribus partim vomitu euacuatis, partim concoctis, partim ad fœtus alimentum assumptis.

Eius causa. Fit autem quoties oris ventriculi tunicæ humore quodā vitioso vel excrementitio oblitæ sunt, cuius qualitatibus nerui imbuti appetitionem rerúm similium commouent, quo fit, vt carbones, terram, lateres, cretas, fructus acidos & acerbos, carnes crudas tales appetant.

Sitis vehementior. Inter symptomata affectionum osculi ventriculi recensetur & sitis vehementior, quæ nulla est, cùm osculum ventriculi dulci frigidaque pituita madet; ingens est, cùm velut exhaustum succo aret; quod accidit ex penuria potus, vel corporis magna resolutione ab æstu, balneis, exercitiis, sudoribus; Aut cum tunicæ humore salso vel calido,

Eius causa. acri, bilioso, imbutæ sunt, ex defluxu salsi phlegmatis, catarrhis, salsorum ciborum vsu, potu vini meracioris, febribus ardentibus.

Ven-

Ventriculum ipsum quatenus primæ coctionis officina est, *symptomata affligunt, quæ concoctrici facultati accidunt, scil. coctione aberrante, i. e. vel nō assequente finē, ad quē natura tendit ob caloris defectum, aut ciborū vitiū, vel quod deprauate hoc intendit:* Item, *quæ retentrici & expultrici.* Concoctrici accidunt ἀπεψία, βραδυπεψία, δυσπεψία, *afferens corruptionē ciborum.* Ἐμπνευμάτωσις vel ἐμφύσημα, i.e. *inflatio stomachi,* & κλυδὼν seu κλυδωνισμός, id est, *fluctuatio partim concoctricis, partim retentricis vitia sunt.* Expultrici læsæ accidunt λυγμὸς, id est, *singultus, ructus, subuersio stomachi:* ναυτία, id est, *nausea, vomitus.* & huius species αἱματηρὸς ἔμετος, id est, *vomitus sanguinolentus,* χόλερα. Retentrici accidunt *Lienteria* & *cœliaca.* Est & inter symptomata dolor, *qui vel ad inflationē, vel inflāmationē, vel ad mordicationē ventriculi consequitur.* Ἀπεψία seu cruditas *coctionis priuatio est,* vt βραδυπεψία, *tarda difficilisq; concoctio.* Horum symptomatū causæ tm̄ *vi distant & magnitudine.* Fit n. in βραδυπεψία *alteratio cibi in conuenientem qualitatē,* sed *difficulter & longiore tempore.* In ἀπεψία vel *nulla prorsus fit alteratio,* vel *inchoata ac deficiens.* Causæ mali vtriusq; sunt *internæ,* vel *externæ.* Internæ *in ventriculo ipso affecto,* vel *per se,* vel *per consensum.* Per consensum, vt *ab epate natura frigidiore, à liene, ab vtero,* & aliis partibus corporis. Per se affecto ventriculo, vt, *cum laboret intemperie aliqua simplici,* aut *cū humoris vitio coniuncta,* vel *morbo aliquo organico,* vt, *tumore prer naturā è quocunq; genere,* vel *aliis morbis, qui coctionis actionem impedire possunt.* Externæ causæ cruditatis effectrices sunt, *cibi potusq; immoderatior ingestio,* quibus calor natiuus par non est; aut *cibi prauitas, quā subigere calor nequit:* aut intempestiuus vsus, vel præpostérus & incongruus

Symptomata ipsius ventriculi.

Facultatis concoctrici.

Expultricis.

Retentricis dolor.

Ἀπεψία. Βραδυπεψία.

Causæ internæ.

Externæ.

ordo illorum, vt cum cibus vel potus nouus ingeritur priore nondum confecto, vel permiscentur duri difficilesque cum cæteris mollibus ordine peruerso; aut somnus breuior; aut immoderatę vigiliæ, aut balnea; aut intentiones animi, vel commotiones corporis vehementiores mox à sumpto cibo: Denique quæcunque calorem ab officina coctionis euocatum distrahunt ac dissipant, aut ventriculum ad eum modum concutiunt, vt exceptos continere cibos, vel complecti etiam nequit.

Δυσπεψία. Causa.

Δυσπεψία cibos corrumpit qualitate imbutos. causas corruptionis ciborum & differentias Gal. tres constituit: I. Corrumpuntur enim vel propter affectionem aliquam ventriculi propriam, cuius ratione cibi vel aduruntur. vel putrescunt. II. Vel propter admixtionem vitiosorum humorum. III. Vel propter alienam ciborum qualitatem, siue per se insit rebus assumptis, vt cum vel à natura, vel à præparatione nidorosum quiddam, acidum, vel putre in se habent, siue ex vsu præpostero fiant corruptioni obnoxii, vt cum persica mala, pruna, fraga, & id generis fructus aut lacticiniis misceantur aut post alios cibos duriores ac solidiores ingeruntur. Externas causas cognoscet Medicus ex ægro ipso & astantibus, Internas discat & discernat ijsdem notis, quæ s. sunt recitatæ.

Inflatio stomachi.

A concoctricis & retentricis vitio proueniunt inflatio stomachica & sonitus. Vt possit enim vẽtriculus alimentum subigere & excoquere, necesse est, vt id exquisite complectatur ac cohibeat exacta sui constrictione, ita ne quid relinquatur vacui inter

cui inter alimentum & ventriculi tunicas. Hoc quando non fit, ſequitur κλύδων ſtomachi ſeu κλυδώνιασμος, id eſt, ſonitus quidam & fluctuatio à cibo præſertim. Vtriuſq; ſymptomatis, inflationis, & fluctuationis proximæ cauſæ ſunt flatus in ventriculo coaceruati. Flatuũ cauſa eſt calor vẽtriculi imbecillior, qui alimentũ vel humores pituitoſos inibi ex defectu concoctionis digeſtos ſoluit ac fundit in halitus. Sincera frigiditas halitus nõ gignit, quod neque attenuat, neque conficit, neque diſſoluit alimentum. Fortior calor alimentum in tenuem prorſus halitum fundit ac diſſipat, qui expiret, niſi cibi ſint naturâ flatulenti. Ex talibus enim fortis calor halitus exprimit turbidos ac nebuloſos, ſed exigui temporis. At imbecillior calor, qui in cibos quidem agit, ſed languide, ſubit alimentum & mutat, ſed nõ prorſus conficit. Talis ergo magnã copiam craſſorum halituum gignit, q ob craſſitiem exhalare ac diſſipari nequeunt ſed coaceruati atque concluſi in ventriculo, cum diſtendunt, vnde fit ἐμφύσημα ſeu ἐμπνευμάτωσις vẽtriculi. i. e. inflatio; Interdum abſque dolore, interdum cũ dolore & quidẽ ſatis vehemẽti. Hi flatus poſt cibos agitati κλυδῶνα efficiunt ventriculo impedito, ne poſſit cibos exquiſite comprehendere. *Sonitus.*

Sonituum, quos cient flatus in ventre & inteſtinis, variæ ſunt differentiæ, prout craſſiores vel tenuiores ſunt, & citius tardiuſve exitum inueniunt, aut ſunt arctius concluſi. Comitantur inflationem ſymptomata cùm alia, vt dolor ventriculi ex diſtẽſione. tumor œdemati ſimilis tenſio inſtar tympani, circa pectus & oſculũ, cõpreſſio diarphagmatis, reſpirationis interceptio; tũ ruct⁹ quib. fere vel inferne ſubeuntib. vel ſ̃. erumpentib. ſequit̃ leuatio.

 Expultri-

Vitia expultricis. Expultricis vitia sunt *singultus, nausea, vomitus.* Singultus *conuulsiuus quidam motus ventriculi est, quo, quæ osculum eius aut corpus infestant, excutere conatur.* Idcirco sæpius & ex interuallis sese incitat & insurgit, vt extrudat & amoliatur, quod molestat. Hipp. 6. *Aph.* 39. *Singultum omnem sicut & conuulsionē reducit ad inanitione vel repletionem. Inanitio sequitur vel largū sanguinis profluuium, vel purgationem immoderatiorem, vel quamuis nimiam euacuationem, seu vtilis, seu obnoxii humoris.* Repletio pueris est familiaris & crapulosis, qui se immoderatius onerant cibo potuve. Fit & singultus cum ex esu comminuti piperis, vel à bile acri, vel ex alia re quapiam tenui, acri, mordace, aliquid sese in ventriculi tunicas ingesserit, quod pungendo, vellicandove, singultum proritat. Talia ventriculus interdum *singultu*, interdum & *sternutamento*, quod ferè à singultu liberat excutere solet, sed hæc ad repletionē reduci possunt. Præter has causas interdum vapor venenatus & malignus ad ventriculi osculū effusus, ex vulnere à venenatis bestiis inflicto, aut à foco putredinis in malignis & pestilentib. febribus, aut à jecoris inflāmatione, singultum cōmouere solet. Compertum est ēt de cōpressione ventriculi externa à mendosis costis ictu introrsum curuatis singultum extitisse.

Singultus.

Eius causæ.

Nausea & vomitus differentia. Nausea & vomitus causę magnitudine differūt & tēpore. In nausea leuior, in vomitu grauior est causa. Nauseā præcedit, vomitus sequitur. Nec omnem vomitum nausea prægreditur. Est aūt nausea *manis cupiditas vomendi, quo nihil propellitur.* Interdum tū sponte sua sine vllo conatu aqua pellucida ex ore effunditur sine commotione ventriculi euidente aūt notabili. Vomitus *deprauatus est motus*

Nausea quid.

expultricis facultatis ventriculi, quo ea, quæ in laxiore eius spatio continentur & fluitant, regeruntur & reiiciuntur sursum per œsophagum & fauces. Singultus n. ea extrudere contendit, quę tunicis ventriculi insederunt. Quapropter motus vehementior est in singultu, quàm in vomitu, quo difficilius, q̃ sese penitus insinuauit, atq; infixit, exprimitur, quàm quod citra impedimentum liberè huc illuc fertur & natat. Causæ vomitionis multiplices sunt, sed duæ p̃cipuæ: & imbecillitas *interna ventriculi, & causa externa lacessens & irritans ventriculum.* Imbecillitate fit, vt neq; amplecti, nec cohibere cibum exquisitè possit, & prouenit vel ab *intemperie, p̃sertim humida, quæ laxiorē & dissolutiorem ventriculi substantiā reddit, de qua & subuersio existere solet:* vel à *lubrico & leui humore oblinente & velut incrustante tunicas, vnde cœliaca paßio existit, cum talia reddunt, qualia sunt assumpta:* vel *ab aliena, præsertim maligna ac venenata qualitate.* Altera causa ēst res quæuis ventriculum irritans, siue inibi genita, siue im̃missà aliunde ab *epate, liene, mesenterio, intestinis, cerebro, vniuerso corpore.* Irritat autē res quæuis vel copia, sicut cibus aut potus cùm p̃ter naturam immoderatius ingestus est; vel praua qualitate, modò acrimonia, vt in bile; modò lubricitate, vt in lentore pituitę, aut pinguedine adipis, vel olei leuitate & nidore; modò externa & maligna qualitate, à pestilenti & corrupto humore. In ipso ventriculo varia sunt genera; crudiores cibi in pituitam adusti in bilem, corrupti in humorem tota substantia alienum degenerant. An vero in ventriculo genitus sit humor, qui vomitu eijcitur, vel influxerit aliunde, dignoscitur ijs notis, quibus vel diurna aliqua ventriculi affectio indicatur, vel in procatarcticis causis vitium de-

Vomitus quid.

Vomitionis causæ.

prehenditur, id est, in cibis assumptis aut ciborum ordine. Nam si aliunde venerit humor, suis notis affecta pars, quę ventriculo humorem communicat, non difficulter dignoscitur ac discernitur. Qualis vero sit humor vomitionem proritans etiam ante reiectionem deprehenditur ex ructibus atque sapore, qui gustu percipitur in lingua; Si acitus aut nidorosus, si amarus si acris, si salsus, si insipidus, si alieni prorsus & putridi saporis fuerit. Præterea ex doloris proprietate, si dolorem grauantem pondere, qui est ab humoribus frigidis crassis; aut tendentem, qui est à flatibus; aut pungentem & mordentem, qui est ab humoribus acribus, cum quodam caloris & frigoris sensu, vel absque hoc, humores commouerit. Denique ex reiectorum qualitate & substantia. Nam permiscetur interdum noxius humor ijs, quæ reuomuntur scilicet cum vndique à tunicis solutis in cauitate stomachi fluitati interdum vomitu cibi tantum regeruntur, humor vero malignus non dimouetur loco, sed intus remanet scil. cum vel tunicis insedit sua tenuitate, vel adhæsit ijsdem lentore, vt auelli se non patiatur vllo ventriculi conatu. Interdum solus noxius humor reijcitur sine cibo, si ob lentorem cibis non miscetur, sed cibis subsidentibus sursum actus effertur ad osculum superius & supnatat. Nōnulli ante cibū vomunt, quib. humor in vētriculo natat. Aliq post cibū, q b. adhæret, sed cibis soluit ac detergit. Nōnulli ante & post, quib. serosi & tenues humores in vētriculo abūdāt. Ita si nauseā mox vomit⁹ sequat, humor noxi⁹ nō adhæret; si non sequat, infix⁹ est & adhæret. Vomitu interdū sanguis reiicitur qui est αἱματτώδης, id est, sanguinis

Signa humorum vomitionem proritantium.

guis cruentus, sed impetu longe diuerso, quam in tussi, & copia ferè maiore. Vomitur autem aut purus, aut cibo, potui, aut pituitæ permixtus, & ferè non tenuis aut rubicundus, sed crassior ac velut in grumos concretus; quem sæpe deiectio nigra comitatur, sanguine, qui in intestina ex eadem origine decubuit, concretione ibi nigrescente. Oritur autem sanguis omnis, qui vomitu reiicitur, vel ex ipsius ventriculi venis, vt fit inflammato ventriculo, vel ex epate, liene, venis capitis aut vicinis partibus, apertâ, ruptâ, & erosâ venâ. Nunquam enim ne quidem in magna plethora, aut longa suppressione mensium, sanguis per eam viam ordine & lege naturæ exoneratur. Sæpe etiam, si effusus extra vasa in ventriculo, intestinis, mesenterio, & circa παγκρέας corrumpatur & putrescat, adfert animi defectiones periculosas, quod ferit ac tentat cor malignis humoribus. Iisdem autem notis discerni origo sanguinis debet, scilicet à qua parte ad ventriculum confluit, quibus reliqui humores. Quæ sunt enim partes præcipuæ affectæ suæ ac peculiares notæ non obscurè indicabunt. *Causa.*

Est & Cholera, quam vulgò cholericam passionem vocant, *deprauata expultricis vitium*, cùm bilis per inferiora superioraque erumpit, quæ ferè in principio liquidior est, deinde succedunt reliquæ crassiores differentiæ, pallida, citrina, flaua, prasina, æruginosa, cœrulea, nigra, quæ differentiæ sæpe inter se confunduntur. Acutum hoc malum est, quod stomachum & intestina cum graui vitæ periculo excruciat, sitim ciet intollerabilem, pulsum efficit frequentem, celerem & ferè paruum. Sudorem exprimit quandoq; frigidum *Cholera.* *Signa.*

toto corpore, interdum & musculorum motum impedit, & efficit contractionem & tensionem surarum. Oritur vel à corruptis in vētriculo cibis, qui vitiosi sunt; vel à regurgitatione bilis ad ventriculum ab ēpate, liene, intestinis & locis circa παγκρέας & stomachum, ex venis totius corporis, mota n. impulsáque & huc illuc fluctuans intestináq; ac stomachum mordicans ac pungens, tales vomitus commouet. Ad tales affectiones sequitur quandoq; πρειώδμ α stomachi, quæ tanto vehementior est, quanto affectus est sæuior. Cient autē dolores per sese, vel flatus distendentes prorsus, vt in colicis doloribus, vel humores acres, mordaces ac venenati, vel tumor præter naturam, vel vlcus. Intemperies sola vix vnquam. Per consensum dolores inferūt tumores in visceribꝰ adiacentibus, aut decumbentium humorum copia.

Causæ.

Cardialgia. Καρδιογμός. Καρδιακή.

Est inter dolores ventriculi καρδιαλγία seu καρδιωγμὸς καὶ καρδιακή cùm dolor in osculo ventriculi percipitur ex erosione ab acribus & mordacibus humoribꝰ, vel à tensione flatulenta thoracē comprimente cum periculo suffocationis, vel ab humoribus venenatis. Differunt καρδιαλγία & καρδιακή. Hæc enim est cum acuta & ardente febre. corporis magna imbecillitate, sudore largo, frigiditate extremorum, syncope perducente ad mortem: (hac D. Lutherus extinctus est) Illa sine febre est & mitiora habet omnia, nisi quod propter dolorem periculo non careat. De hac Hipp. 4. *Aph.* 17. *Si non febricitanti cibi fastidium, morsus oris, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per superiora indicāt.* Vocabulum stomachicorum latè patet, sic n. vocantur, quibus appetitus prostratus est & cibo assumpto

Differentia inter καρδιαλγίαν & καρδιακήν.

Stomachici qui.

sumpto

ſumpto ventriculus grauatᵉ cum moleſto faſtidio; Item qui frequenti nauſea infeſtantur ducente ad vomitum: Et quib⁹ facile cibi corrumpuntur immutati in qualitatem alienam & vitioſam, vt acidam, nidoroſam, vel aliã; In quibus ructus crebri moleſti ſunt cum nauſea & ſtomachi ſubuerſione; Et quibus diu in ventriculo cibi cõmorantur, tardeque percoquuntur & deſcendunt; Deniq; qui vel appetitu canino exercentur crebrò, vel poſt ieiunia ita exoluuntur, vt niſi ſtatim cibi aliquid guſtent, vel morſu oſculi ventriculi corripiantur, vel in animi deliquium incidant. Et tantùm de ſymptomatibus ventriculi.

DE CVRATIONE MORBORUM ventriculi.

ORDIEMVR curationem morborum ventriculi ab intẽperaturis, eò, ꝗ propriè & principaliter dyſcraſiæ lædunt actiones vẽtriculi, ſicut craſis actionum cauſa eſt. Sunt autem dyſcraſiæ aut nudæ, ſolæque ſimplices aut compoſitæ; aut cum humoribus flatibuſque coniunctę: Et humoribus quidem calidis vel frigidis, craſſis vel tenuibus, acribus aut mordacibus, vel ſalſis, vel lentis & viſcidis; aut contrà harum qualitatum expertibus. Nudæ dyſcraſiæ ſolis alterantibus corriguntur, calidæ frigidis, frigidæ calidis, humidæ ſiccis, ſiccæ humidis. In quibus hoc animaduertendum eſt: Vt, *Alterantia, quæ ſtomacho adhibentur, ſemper habeant aliquid aſtrictionis.* Cæteræ dyſcraſiæ cum humoribus coniunctę purgantia ſimul requirunt. Et qñ dyſcraſiæ plurimæ ex redundãtia magis humorum, quàm horum defectu exiſtunt, iuuantur

Alterantia ſtom. cum adhibē a qualita. aſt. habeant

maximè medicamentis desiccantibus siue purgantia siue roborantia sint. Sed desiccantia aut astringunt aut dissoluunt. Diaphoretica itaque adhibenda non sunt, sed σύφοντα seu astringentia, quæ sunt aut frigida, & calidis ac humidis intemperaturis conueniunt, vt sunt *rosæ, corallia, balaustia, myrtilli, coriandrum, sandala, semen acetosæ, plantaginis* & similia: Aut calida, & frigidis & humidis intemperaturis conueniunt, vt *mentha, absynthium, saluia, calamus aromaticus, galanga, zinziber, nux muschata, macis, caryophyll. piper, mastiche, &c.* Sed diligenter in horum exhibitione hæ regulæ sunt obseruandæ. I. *Nunquam exhibenda sunt stomacho purgantia, si nuda solaq; laboret intemperie, & parcè raroq; ac cum diligenti præmunitione, si habitus naturæ sit siccior siue caliditas simul redundet, siue frigiditas.* Nam ventriculi ariditas propagatur in membra reliqua omnia. Cautio ergo semper adhibenda est in vsu purgantium, & intus & foris diligenter præmuniendus est stomachus, ne his grauiter lædatur. Secundò: Si propter cacochymiā stomachi sit vtendum purgantibus necessariò, diligenter consideranda sunt hæc quinque. 1. An effusi humores natent in stomacho, vel an adhæreant, vel an sint imbibiti in substantiam. 2. An in stomacho geniti sint, vel in eum aliunde influant. 3. Si influant, vnde oriantur, & per quas venas affluant. 4. An in fundo stomachi contineantur vel fluctuent in ampla cauitate; vel consistant ad osculum superius; Denique an sursum tendant, an deorsum. 5. Quales sint humores specie & qualitatibus, biliosine, an pituitosi, vel melancholici, vel sanguinei. Deinde an crassi, vel tenues, calidi vel frigidi, salsi

Alterantia frigida.

Calida.

Regulæ obseruandæ. I.

II. *Quæ in purgatione stomachi consideranda.*

1. 2. 3. 4. 5.

di, salsi vel salsedinis expertis, acres aut sine acredine, viscidi, an sine lentore, simplices aut mixti, Si enim qui solum infestant ventriculum vitiosi humores in capacitatibus ventriculi natarint, si qui ad superiora tetenderint, vomitu; (in iis, qui facile vomunt) si ad ima, lenitiuo pharmaco educendi sunt. Si tamen lentor insit aut crassities, siue natent humores, siue adhæreant, extenuari prius, incidi & abstergi debent, vt promptius sequantur. His eductis reliqui demum, qui tunicis inhærent, educi debent. Ad quam rem mirificè conuenit hiera simplex: aut si sit fortioribus opus, composita, quæ eradat atque extergat quicquid pertinacius insederit tunicis, & moderata adstrictione ac desiccatione laxatam stomachi substantiam roboret. Sed inter initia humoribus fluctuantibus nō commodè vsurpabitur hiera simplex.

Tertiò, *Nunquam stomacho roborantia exhiberi debent, nisi prius expurgato*, Eò, quod roborantia, quibus astringendi inest vis, humores densant coguntq; & stomacho agglutinant atque affigunt, vt difficilius postea auelli atque abradi possint. III.

Quartò: *Nunquam stomachus fortibus catarcticis tentari debet.* His enim virtus vehementer dissoluitur ac prosternitur, & corpus perducitur ad tabem. Cumq; reliqui corporis expurgandi causa vsurpari oportet solutiua fortia, quæ à longinquo materias attrahant, vt ab articulis, à cerebro & venis, corrigi catarctica debent multis aromaticis & odoratis, quæ quidem etiam & lenissimis purgantibus misceri debent. *Sicut enim*, inquit Gal. *fœtida ventriculum perturbant ac subuertunt*, *ita odorata roborant.* IV.

V. *Et roborantibus & purgantibus stomachi medicamentis sem-* V.

tis semper misceri debent aliqua *σύφοντα* (nisi in magna stomachi siccitate,) & tantò magis quidem, quantò humidior laxiorque ventriculi substantia fuerit. Talia enim humiditatibus, quæ substantiæ insederunt, expressis cogunt constringuntque tunicas & *τόνον* ac robur ventriculi augent. In sicca intemperie moderatius talia sunt adhibenda, & humectantibus temperanda. In calida ergo dyscrasia stomachi conducent *rosæ, endiuia, portulaca, lactuca, papauer, & semina & plantæ, folia salicis, myrti, rubi, corallia, spodium, berberes, santala, alba præsertim, coriandrum præparatum & similia.* Ex quibus parari possunt decocta, emplastra, syrupi: Ex compositis verò conducet *saccharum rosatum, diatrion, santalon, diacorallia.* Vt exempli causa:

Medicamēta stomachi frigida.

Electuarium.

℞ *Sacchari rosati ℥ ij.*
Pulu. Santali albi,
Berberum,
Spodii,
Sem. Portulacæ,
Rosarum rubr. ana ʒ j.

Fiat elect. cum syrupo & iulepo rosato. Vel inunctio cum *oleo rosaceo, neumphacino, de papauere, de cucurbita.*

Calida.

In frigida dyscrasia conducent *galanga, zedoaria, nux moschata, macis, cinnamomum, nardus, caryophylli, lignum aloës, squinanthum, cardamomum, calam. aromat. zingiber, præsertim conditum, anisum, fœniculum, ammi, carum, mastiche, thus, integra, grana piperis.* Et ex compos. *aromat. rosat. diagalanga, diacyminum, diacinnamomum, dianisum, diambra, diamoschum, confectio de ligno aloës.* Gal. mirificè prædicat *confect. diatrion pipereon*: item *theriaca, mithridatium*: Vel,

℞ Zin-

℞ *Zinzib. albi interioris,* *Tragea,*
Cinnamomi,
Galangæ,
Pellicularum interiorum de ventriculis gallinarum ana ℥ iij. *Morsuli.*
Caryophyllorum, Macis,
Cardamomi ana ℥ j.
Zedoariæ ℥ j ß.
Ameos,
Anisi ana ℥ v.

Terantur in puluerem: Cui addantur sacch. alb. proportione fiat tragea: Vel cum sacharo dissoluto redigantur in formam morsulorum. Aut fiat sacculus foris imponendus stomacho, vt:

℞ *Cinuamomi,* *Sacculus stomacho imponendus.*
Galangæ, Macis,
Nardi, ana ℥ ij.
Cyperi,
Calami aromatici,
Corticum citri,
Mentæ siccæ,
Absynthii,
Fol. Lauri ana ℥ iij.
Caryophyllorum,
Macis ana ℥ j.

Terantur radices & aromata in puluerem crassiorem, herbæ incidantur, & mixtis omnibus fiat sacculus pro stomacho, qui irroratus vino albo super ignitam tegulam effuso, stomacho applicetur. Ex iisdem speciebus cum *oleis & succis absynthii, mentæ, nardi, rutæ*, emplastra formari: & additis, *ladano, storace calamita, terebinthina, gallia moschata, mastiche*, cerota componi possunt ad eundem vsum.

Siccam

Siccam intemperiem corrigentia.

Siccam intemperiem corrigent humectantia victu magis, quàm medicamentis. Conducent autem electuaria analyptica, vt vocantur Marcipanes ex *amygdalis, fisticis, saccharo.* Item *diatragacanthum.* Item *loch & syrupi de papau. de cucurbitis, amygdal. dulc. violis, butyro recenti, pinguedine recenti gallinarum*, præsertim pullorum, & similibus, quæ applicentur non stomacho tantum, sed & spinali medullæ.

Corrigentia humidam.

Humidam intemperiem emendabunt desiccantia. Conducent autem *mastiche & olibanum*, deglutita ieiuno stomacho, *chebuli conditi, trocisci de rosis, electuarium de scoria ferri, elect. ex pulueribus coralliorum vtrorumque præparatorum, hypocyst. myrtillus, mastiche, caryophyllis, aniso, fœniculo cum melle ros. sacch. ros. vetus.* Inunctio *ex ol. mastichino, myrtino, de absynthio, de cidoniis.* Emplastr. *ex pulu. squinanthi, cyperi, mastiches, olibani, nucis cupressi, myrti, sem. rosar, plantag. acetosæ, farinæ hordei, orobi lentium, lupinorum, cum succo menthæ & plantag.* & oleis *supra* dictis. In composita intemperie misceantur medicamenta diuersa proportione, vt contrarietas virium in medicamentis respondeat morbo. Si sit intemperies cum materia calida vel frigida, purgantia adhiberi necesse est, vt dixi. Si ergo materia fuerit biliosa, & natet in stomacho, vomitus prouocetur haustu *aquæ tepidæ, vel solius vel aceto permixtæ*, vel haustu *olei communis*, aut *ol. violacei*, aut *decocto seminis atriplicis*, cum oxymelle. Si non educatur vomitu materia, sed subsidat ac descendat, pharmaco expurgetur per inferiora, quod bilem leniter ducat sine turbatione alui, vt cum *myrobalanis citrinis, tamarindis, floribus cassiæ & similibus.* Si sit

Curatio intemperiei cum materia biliosa.

imbibi-

imbibita stomacho, præparetur prius ad eductionem *syr. acetoso simplici, de endiuia, rosato, de absynthio, acetositatis citri, oxysacch. ra.* Postea educatur ex stomacho *hiera simplici*, vel *succo absynthii*, quæ duo mirifica sunt in hoc casu, item *rhabarbara, diacatholicon, elect. de succo rosarum.* Vt:

Bolus leniens.

℞ *Flor. Cassiæ recens tractæ ℥ vj.*
Rhabarb. electi ʒ j.
Spicæ Gr. v.

Rhabarbara cum spica subtiliter incidatur & cum modico vini albi odorati conspergatur ac misceatur cum cassia. Post mundificantia adhibeantur confortantia, vt fiat puluis talis:

Puluis.

℞ *Spodii,*
Santali albi,
Sem. Cucurbitæ,
Cucumeris,
Citrullorum,
Portulacæ, ana ʒ v.
Ros. ʒ viij.
Camphoræ ʒ j.
Berberum ʒ vj.
Boli armeni ʒ ij. Misc. Fiat puluis.

Trocisci. *Conditum.*

Vel cum vino formentur trocisci, vel fiat conditum *ex diacydonite sine speciebus ʒ ij. conseruæ ros. cons. acetositatis citri ana ℥ j. syr. de absynth. q. s.* vel fiat ex *sacch. ros. & speciebus diatrion. santalon, subactis cum syr. vel iulepo rosato.* Inunctiones fiant cum *oleis cidoniorũ, ros. absynth. myrti, additis pulueribus*, si opus erit, *trium sant. coriandri præparati, seminibus acetosæ, berberum, ros. corall. rubr. ligno aloës.* Et si cerotum requiratur, cera admixta. Fomentetur etiam ventriculus *ex rosis rubris, absynthio, mentha, florib. chamom.* Ex

quibus vel decoctum fiat spongia applicandum, vel sacculus, qui irroretur cum vino albo super ignitam tegulam aspero.

Curatio intemperiei cum dolore. Si cum hac intemperie coniunctus sit dolor magnus, omnia hæc eodem ordine fiant. Quæ si nihil profecerint, aperiatur basilica dextri brachii. Quod si nec tunc quidem dolor cesserit, narcotica administrentur, in quorum tamen vsu magna adhibeatur cautio.

Intemperiei frigidæ. Si intemperies stomachi frigida sit à pituitoso humore, sique in stomacho is natet, vomitu educatur cum *oxymelle simplici, vel composito*, præsertim si sit phlegma viscidum & crassum, oxymelle dissoluto *in decocto sem. atriplicis & raphani*, vel fiat vomitiuum tale:

Vomitiuum.

℞ Herbarum fœniculi,
Hyssopi,
Betonicæ ana M j.
Sem. Fœniculi,
Anisi ana ℥ ß.

Coquantur in duabus libris aq. ad consumptionem medietatis, colaturæ addantur aceti vini acutiß. ℥ iiij. pro abstersione, sacch. albi ℥ iij. Coquantur ad ignẽ leniter: Postea addantur oxymellis simpl. ℥ iiij. Fiat vomitiuum, quod vna hora post prandium exhibeatur. Si vomitus non sequatur, materia natans lenibus solutiuis educatur, quæ non attrahant aliunde, vt *diaphœnicon in minori dosi cum diacathol. & elect. lenitiuo*, cum pilulis *de aloë & mastiche*. Plurimum proderit autem, si ventriculi purgationi præmittatur clyster lenis. Si verò adhæreat vel imbibita sit stomacho pituitosa materia, sitque crassa & viscida, præparetur cum *oxymelle simplici, composito, & scyllitico, cum*

syrupo

syrup. de mentha, *melle rosato colato*, *syrup. de absynthio*, *de masliche*. Postea euacuetur cum *hiera simplici*, *cum pilulis alephang. mastich. agarico trociscato ana* ℈ j. *formentur inde pilulæ quinque*, *cum syrup. de mentha*, quæ dentur vna hora ante lucem, vel detur talis potio: *Pilulæ.*

℞ *Agarici electi* ℥ ij. *Potio.*

Bulliant in ℥ vj. *aquæ claræ ad consumptionem medietatis. In hac aq. post expreßionem dissoluantur diasenæ lenitiui* ℥ vj. *florum cassiæ* ℥ ß. *Fiat potus*, exhibendus manè ante lucem. Potest autem agarico correctionis causa in decoctione aliquid *de zinzibere* addi. *Curatio intemperiei frigidæ cum dolore.*

Si verò dolor coniungatur cum intemperie frigida, post euacuationem per ea, quæ sunt verè, παρηγορικὰ, & materiæ reliquias leniter resoluunt ac discutiunt, roborari debet. Conueniunt autem in dolore stomachi in causa frigida interius quidem aromata *supra* commemorata & confectiones, *aromaticum rosſ. diatinnamomum*, *diachylo aloës*, *diacalamenthum*, *diagalanga*, *dianisum*, *diacuminum*, & similia. Foris verò fomenta, vnguenta, emplastra cerata, vt:

℞ *Florum Chamomillæ*,
Meliloti,
Fol. Menthæ, *Fomentum.*
Pulegii,
Calamenthi,
Abrotani,
Fœnugraci,
Sem. lini, *ana* M j.
Ros. rubrarum,
Spicæ,

Squinanthi ana ℥ ij.
Sem. Dauci,
Anisi,
Cari,
Anethi,
Fœniculi ana ℥ ij.
Galangæ,
Zedoariæ ana ℥ iij.
Caryophyllorum,
Nucis moschatæ,
Ligni aloës ana ℥ ij.

Bulliant omnia in sufficiente quantitate vini albi odorati ad consumptionem partis tertiæ: Decocto spongia intincta applicetur stomacho. Post fomentationem inungatur stomachus vnguento tali:

Vnguentum. ℞ *Oleorum mastichinis,*
De absynthio ana ℥ j.
De spica,
De mentha ana ℥ ij.
Nucis moschatæ,
Ligni aloës,
Caryophyllorum,
Zedoariæ,
Corallorum rub. ana ℨ ß.
Ceræ q. s. fiat vnguentum.

Sacculus. Vel sacculus applicetur ex *absynthio, mentha, pulegio, calamentho ana M ß. nucis mosch. caryophyllorum, macis, ligni aloës, ana* ℨ j. *Herbæ incidantur, & aromata terantur in puluerem crassiorem & paretur sacculus,* qui vel conspersus vino calido, vel irroratus imponatur stomacho; vel puluis fiat, qui inspergatur crustæ panis furfuracei mediocriter torrefacti & vino maluatico inspersi, vt:

℞ Ma-

℞ *Mastiches,*
Caryophyllorum, **Puluis.**
Nucis moschatæ ana ʒ j.
Macis,
Cinnamom. ana ʒ ß.

Comminuantur in tenuem puluerem. Vel:

♃ *Medullæ panis furfuracei parum torrefacti q. s.*

Subigantur cum succo absynthii & menta & ʒ j. nucis moschatæ. Ceratum parari tale potest:

♃ *Ladani,*
Ceræ, **Ceratum.**
Resinæ ana ℥ ij.
Thuris ℥ j.
Storacis calamitæ,
Galliæ moschatæ,
Myrrhæ,
Mastiches ana ℥ ß.
Cinnamomi,
Cyperi,
Zedoariæ,
Menthæ,
Cumini prius infusi in aceto & desiccati,
Baccarum lauri,
Ameos,
Leuistici,
Cari ana ʒ iij.
Piperis,
Caryophyllorum ana ʒ ij.
Olei mastichini,
De mentha ana ℥ ß. *Misce.*

Fiat ceratum.

Si dolor sit magnus, nec sedetur his paregoricis, exhibeatur *theriaca* vel *mithridatium*, in dilu- **Curatio doloris magni.**

 culo

culo, & superbibat æger haustum vini maluatici. Quod si ne tunc quidem cessat, vrgente necessitate deueniatur ad exhibitionẽ opiatorum; quale est sequens hoc:

Opiatum.

℞ *Specierum diagalangæ,*
Diacumini ana ℥ j.
Philonii Romani, (quod est omnium tutissimum) ℥ ß.
Misce, fiat bolus cum syrup. de mastiche.

Curatio doloris ab humore melancholico.

Si melancholicus humor à splene affluens dolorem faciat, præparetur *syrupo acetoso simpl. de buglossa, de lupulis, de fumo terræ, de pomis cum decocto melissæ, scolopendriæ, rad. capparum, cyperi.* Euacuetur cum pilulis *Indis*, cum *hiera Ruffi*, cum *myrobal. nigris, bellíricis, emblicis, cum decocto epithymi.* Sed curatio semper vna dirigatur ad lienem ipsum, vt humor melancholicus expurgetur & deriuetur aliunde, ne amplius in ventriculum affundatur.

Inflationis.

Eadem conueniunt in inflatione stomachi, quæ in pituitoso humore, nisi quod euacuantibus oportet admisceri plura, quibus inest vis discutiendi flatus, & post euacuationem reliquias flatuum talibus medicamentis tantum consumi oportet, sicut sunt *diagalanga, diacuminum, dianisum, diacalamenthum.* Applicentur foris & sacculi ex milio & sale. Vel fiat talis:

Sacculus.

℞ *Sem. Ameos,*
Leuistici,
Cumini,
Rutæ,
Nigellæ,
Baccarum lauri,
Radic. Pyrethri,

Galan-

Galangæ,
Zedoariæ ana ʒ ij.
Florum Chamomillæ,
Meliloti ana M j.

Fiat sacculus. Vel fiat inunctio talis:

℞ *Baccarum lauri,* — *Vnguentum.*
Rutæ & seminis eius,
Cumini,
Ameos,
Nigellæ, Pyrethri,
Zedoariæ ana ʒ ij.
Ladani ʒ iiij.
Ol. laurini, vel rutacei, vel irini ℥ vj.
Vini maluatici ℥ iiij.

Decoquantur ad consumptionem vini. Ex reliquo fiat inunctio. Prodest autem in omni stomachi dolore, præsertim à causa frigida vnguentum *de alabastro*, quod acui additione plurium, si fuerit opus, poterit.

Stomachus etsi rarius inflammatur, præsertim parte interna, quæ neruosior ac durior est, inflammatur tamen quandoque tunica exteriore, quæ carnosa satis, & multis est venulis intexta. Sed inflammatio talis priusquam ingrauescat, & in tumorem euidentem assurget, cognitu difficilis est. Vbi verò insigniter intumuerit, cum ingenti dolore, cognitu quidem facilis, sed curatu difficillima est, tantoque difficilior, quanto & ipsa conformatior, & virtus imbecillior fuerit, in qua sola, secundùm Galenum in libro decimo *Methodi*, cum internâ inflammatione ægri laborant præcipua Medico spes. Cauendum ergo diligenter est, ne vlla re inter initia vomitus, — *Curatio inflammationis.*

quos alioqui sponte ciet, prorītentur, nevè vlla catarctica paulò fortiora exhibeantur, quod vtraque agitatione & attractione materiæ tumorem augent, & ventriculi virtutem debilitant. Sed præseruationis gratia ante affluxum, vt prohibeatur generatio inflammationis, conducet mirificè assumtio ℥ ß. *florum Cassiæ*, ante prandium & cœnam, vel mansa ℥ ß. *Rhabarbari cum passulis manè.* Hæc enim præseruabunt stomachum ab inflammatione. Sed si fieri inflammatio incipit materia mota omni cura conatuque prohibendum est, ne fiat. Præstabitur id verò per aluum leni enemate subductum, & phlebotomiam dextri brachii basilicæ, de qua pro ætatis, virium & plethoræ ratione emittatur mediocris copia sanguinis reuulsionis causâ. Postea frictionibus & ligaturis extremorum similiter fiat reuulsio, & apertione hæmorrhoidum cucurbitis, clysteribus, suppositoriis, deriuetur & trahatur materia deorsum. Possunt etiam exhiberi in principio, priusquam constiterit aliquid ex fluxione, ea, quæ materiam à stomacho repellunt ac prohibent, ne irruat, vt ad intrà, *decoctum plantaginis, rosl. acetosæ, granorum myrti, santalorum rubri & albi.* Exterius fieri possunt inunctiones, *ex ol. de cidoniis, rosis, myrto:* vel applicari *emplastrum de cidoniis, fol. cucurb. portulaca, farina hordei, santalis, rosis, camphora.* Sed vbi consederit aliqua & tumor esse ceperit, quod dolore forti, tumore ad tactum, & sensu grauedinis in stomacho deprehenderetur, minimè his vtendum est: nam resolutionem impediunt, qua maximè opus est, & materiam cogunt contrahuntq; ac ceu constipant. Idcirco magna cautio in horum vsu adhibenda

hibenda est. Post phlebotomiam itaq; & diuersiones præparetur materia, quæ affluxit & insedit *syr. violato, rosato, oxysacchara, melle rosato*, & penetrationis causa *oxymell. simpl. & syr. de duabus radicibus cum aquis absynthii, fœniculi, cardui benedicti, &c.* Postea educatur cum *manna*, vel *floribus cassiæ & modico Rhabarbari.*

Nec misceantur fortiora, nisi fuerit apostema frigidum pituitosum, aut materia fibris ventriculi imbibita, tunc enim de *hiera simpl.* aliquid addi potest; scammoneata verò vitentur omnia. His peractis inflammatione augescente dirigatur curatio ad apostematis maturationem; quæ tentetur medicamentis moderatè resoluentibus intus forisque, sed ea lege, ne vnquam omittantur moderatè astringentia. Conueniunt autem inunctiones ex *oleis ros. de absynth. de liliis, violis, de anetho.* Postea applicentur emplastra, qualia sunt:

Emplastrum resoluens.

℞ *Farinæ hordei,*
Rad. Altheæ,
Fœnugræci ana ℥ *ij.*
Absynthii ℥ *iiij.*

Conficiatur cum ol. ros. masthichino & de liliis emplastrum: Vel quod paulo est fortius:

Aliud.

℞ *Maluæ,*
Bismaluæ,
Absynthii ana M ij.
Hordei mundi ℥ *ij.*
Pingued. gallinæ,
Anatis ana ℥ *j.*
Dactylorum num. iiij.
Mucilag. sem. lini,
Fœnugræci ana ℥ ß.

Fiat emplastrum, quod ventriculo supradictis oleis perunctô imponatur. Proderit verò & haustus *aquæ chamom. & endiuiæ*. Item, *præparati succi enulæ, absynthii, & cardui benedicti*. Ab his accedetur paulatim ad fortius resoluentia, quale est, quod

Puluis.

℞ *Prasii*,
Absynthii,
Menthæ ana ℥ j.
Galangæ,
Ligni aloës ana ℥ ß.

Terantur in puluerem subtilissimum, de quo cum aq. absynthii vna vice detur ℥ j. Conuenient etiam *species diagalangæ, aromatici rosati, diatrion santalor, penidiorum redactæ in formam vel tabularum cum sacch. dissoluto, vel elect. cum syrup. de mentha*. Fiant & fomenta *ex floribus chamo. meliloti, anethi, fœnugræci, sem. lini ana* M ß. *absynthii, menthæ, ana* M j. *nucis moschatæ, ligni aloës, caryophyll. ana* ℥ ij. *Ferueant in aqua vsque ad consumptionem partis tertiæ*, & intincta his spongia post expressionem applicetur. Prodest &c. *cerotum œsypi cum emplast. de meliloto, addito ol. amygd. dulc. cum modico croci.*

Fomentum.

Signa inflammationis tendentis in abscessum.

Si resolutio inflammationis non succedat, sed sese colligat in abscessum, cuius rei argumentum erit, doloris intensio, tumoris accretio, qui fit altior & durior, & grauitatis maior sensus, incumbendum est maturationi. Ea ergo adhibeantur, quæ maturent ac resoluant leniter abscessum, vtraque tamen cõtemperentur modicè astringentibus, & fiat initium à mitioribus, vt:

Curatio.

℞ *Passularum*,
Sebesten, ana ℥ j.
Sem. Altheæ,

Fœni-

Fœniculi, *Syrupus.*
Glyzyrrhizæ rasæ ana ℥ j ß.
Fœnugræci,
Squinanthi,
Capillorum Veneris,
Menthæ ana ʒ ij.
Dactylorum num. iiij.
Decoquantur ad formam syrupi. Vel;
℞ *Hordei immundi*,
Passularum,
Sebesten, *Decoctio.*
Sem. Maluæ,
Altheæ ana ℥ j.
Violarum,
Glyzyrrhizæ rasæ,
Florum Chamomeli,
Meliloti,
Squinanthi,
Cinnamomi,
Calami aromatici,
Seminum melonum,
Citrullorum,
Cucurbitarum,
Cucumerum ana ℥ ij.

Fiat decoctio. Ex eisdem & electuaria parentur. Foris applicentur fomenta, emplastra, embrochæ & alia iisdem prædita viribus. Emplastrum vsurpari tale potest:

℞ *Rad. Ireos* ℥ ij. *Emplastrum.*
Fol. Maluæ cum radicibus,
Violariæ ana M j.
Radicum altheæ mundatarum & minutim incisarum ℥ iij.

Flor.

Florum Chamomeli,
Meliloti ana M j.

Decoquantur in ſ. q. aq. ad conſumpt. duarum tertiarum, deinde addantur farinæ frumenti M j. farinæ fœnugraci, ſeminis lini ana M ß. Ping. porcinæ, butyri recentis ana ℥ j. lactis vaccini ℥ ij. ol. amygd. dulc. chamomelini, ana q. ſ. ad impinguandum emplaſtrum. Conducet & hoc emplaſtrum:

Aliud. ℞ *Farinæ Fœnugræci,*
Sem. lini,
Farinæ hordei ana ℥ j.
Sem. Anethi,
Flor. chamomeli,
Meliloti,
Squinanthi,
Abſynthii,
Roſar. ana ℥ ß.
Rad. Altheæ præparat. ℥ ij.
Mellis ℥ iiij.
Pingued. anſeris,
Anatis,
Gallinæ ana ℥ j.

Decoquendo ſubigantur in vnam maſſam.

Maturi apoſtematis indicia. Poſt vſum maturantium exploretur, an apoſtema ſit maturum, & an ruptum iam ſit, necne. Maturi apoſtematis indicia erunt, diminutio doloris, duritiei in loco tumefacto & grauitatis; Itẽ mollicies tumoris tactui cedens, cum comprimitur; ſi compreſſum ceſſerit, & commouebitur ac tremuerit, ſed redierit ad ſitum priorem, maturum quidem eſt, ſed apertum nondum. Rumpendum erit itaque, quod fiet, cùm æger ſuper ventrem decubuerit, rebus duris ſubſtratis, ſi forti motu cor-

Maturi apoſtematis apertio.

poris

poris & vocis maiore cõtentione fuerit vsus, quorum vtroque anhelitu incitato & adaucta exufflationis necessitate stomachus commotus extenditur, vt rumpi apostema necesse sit. Fricetur & stomachus fortiter in loco apostematis manibus, & sternutatio prouocetur cum pipere, pyrethro, nigella, vel etiam, si fuerit opus, cum elleboro albo. Si hæc ingenia æger tollerare non posset, vel etiam alioquin ruptionis causa emplastra applicari possunt, fiant talia:

Emplastrũ rumpens apostema.

℞ *Stercoris columbini,*
Ficuum siccarum,
Fermenti ana partes æquales, id est, ℥ j.
Boracis partem dimidiam.

Subigantur in formam emplastri. Vel:

Aliud.

℞ *Farinæ orobi,*
Frumenti ana M j.
Fermenti ℥ ß.
Saponis optimi ℥ ij.
Stercoris columb. ℥ ß.
Ol. de castorio,
De euphorbio ana ℥ ij.

Mixta inuicem coquantur ad ignem, & applicentur per horas decem.

Rupti apostematis signa.

Vbi ergo ruptum apostema fuerit, quod indicabunt exeuntia, quæ cum vrina, deiectionibus alui, & vomitu edentur (vrina enim subalbida & turbulenta, excrementa alui & vomitu reiecta cruenta erunt & saniosa) tunc præcipua curatio conuertatur ad extersionem & expurgationẽ vlceris, ne acredo saniei erodendo profunditatem vlceris & magnitudinem adaugeat: Postea ad solidationem. Præstabit autem mundificationem

Curatio.

Mundificantia.

aqua

aquâ hordei non excorticati cum melle rof. Item *facch. rof.* vel per se, vel si in aqua hordei ebullierit, & fuerit colatum: vel, aqu. hordei cum facch. rubro, aut melle, vel aqua pasfularum. Et si fortioribus sit opus, *decoct. fabarum, cicerum, lupinorum, radicum ireos, &c.* Sed fortissima omnium est *hiera simplex*; qua tamen vtendum non est, nisi magna pituitosi humoris copia vlcus oblinens exigat abstersionem fortiorem. Post

Solidantia. mundificationem exhibeantur solidantia, qualia lia sunt:

Electuarium solidans.

℞ *Thuris,*
Sanguinis Draconis ana ℥ *v.*
Rosarum, Balaustiorum, Carabe,
Boli armeni,
Tragacanthae, ana ℥ *ij.*

Puluis. *Terantur in pulverem*, de quo exhibeantur ℥ ij. vel cum *syrup. myrtino subigantur in formam electuarii.* Foris applicetur emplastrum tale:

Emplastrum.

℞ *Boli armeni,*
Mumiae, Aloës,
Mastyches,
Myrrhae, ana ℥ *ij.*

Incorporentur cum ℥ *vj. resinae.* Et ita, si Deus volet, consolidabitur vulnus.

DE CVRANDA PICA.

Κίττα καὶ κίττησις, est corrupta appetentia. CITTAM ex vitiosorum humorum in osculo ventriculi coaceruatione oriri, *supra* diximus; secundùm Aëtium circa quadragesimum à conceptu diem, & ad mensem quartum vsq; perdurat. Galeno secundo tertioque mense maximè infestat, quarto vero consistit. Cùm autem de sen-

tentia Hippoc. 4. *Aph.* 1. *Vterogerentes sint purganda, si materia turgeat, quarto mense & vsque ad septimum: sed has minus*: à iuniore autem fœtu, & à seniore sit abstinendum, cautè tractanda picæ in grauidis curatio, nec vnquam pharmaco paulò fortiore tentandum. Si leui, & non laborioso vomitu expurgari materia posset; optimè foret. Si non; & necessitas omnino exigat aliquã stomachi mundificationem, materia cum syrup. *acetoso simpl.* aut generibus *oxymellis* præparata educatur cum hiera simplici, quæ tamen, ne sit periculum ab apertione venarum propter aloën corrigatur *tragacantho*, aut *gummi arabico*, aut simili aliquo. Addatur autem hieræ simplici aliquid, de *floribus cassiæ aut manna*, pro ratione affectionis aut ægrotæ. Viris admiscetur aliquid de *rhabarbara* & *agarico*, & exhibeantur pilulæ *stomachicæ*, de *hiera compos.* & similia. Post expurgationem humoris infestantis roboretur stomachus iis, quæ astringunt & roborant, ac prohibent, ne ventriculus accipiat humores vitiosos, eaque & foris applicentur & intus. In viris reuulsionis causa ac deriuationis adhibeantur ea, quæ *supra* dicta sunt. In grauidis sufficiant clysteria ea, quæ non sint acuta, sed leuia.

DE CVRATIONE SINgultus.

SINGVLTVS ex inanitione, sicut conuulsio ex inanitione difficilis est. Nam secundùm Hipp. 5. *Aph.* 3. *Vbi sanguis plurimum fluxerit, conuulsio aut singultus superueniens malum.* Item *eadem part. Aph.* 4. *Ex nimia purgatione cõuulsio aut singultus superueniẽs malũ*:

quem

quem Aphor. *in* 7. *Aph.* 41. repetit de fenioribus. Sed &, fi ad aliarum partium affectiones fingultus fequitur, malum præfagiri: fequitur autem ad magnam epatis inflammationem, tefte Hippocr. 5, *Aph.* 58. Et eft malus eodem tefte 7. *Aph.* 17. *Singultus in epatis inflammatione malum.* Ita & ab *ileo* fingultus malum eft, monente Hipp. 7. *Aph.* 10. *Ab ileo vomitus, fingultus, defipientia, vel conuulfio malum*: cum inteftinis gracilibus coarctatis & interclufis excrementa regurgitantur ad ftomachum. Sic *à vomitu fingultus, cum oculorum rubore* Hipp. *malus eft* 7. *Aph.* 3. Quod inflammati feu cerebri feu ftomachi argumentum eft. Denique *in quocunque extenuato corpore & in ardentibus febribus, viribus deficientibus, & poft alui profluuia fingultus, malum eft.* Etiam in *altiore fopore aut animi deliquiis, aut tetanis fingultus fubortus*, Aëtio *propinquam mortem denotant.* At à fingultu fubito fternutatio fuperueniens ægritudinem foluit. Hippoc. 6. *Aph.* 13. fcilicet, fi fingultus fit ex repletione materiæ eo motu excuffa ex tunicis, quibus inhærebat.

Curatio fingultus ex inanitione. Curatio itaque fingultus ex inanitione tentetur analypticis feu inftauratiuis & humectantibus, de quibus *fupra* dictum eft. Procidantur & caufæ, quæ corpus abfumunt, fanguinis profluuia diarrhϾ, fudores, & corporis quæcunque refolutiones nimiæ inhibeantur ac fiftantur, fpiritus reficiantur. Denique fiant omnia, quibus amiffæ vires reparari ac reftitui poffunt.

A repletione. Singultus à repletione, quæcunque fit repletionis caufa, fiue humores fint calidi, vel frigidi, fiue nimia cibi potusvè copia, fedetur ftomacho vomitu leuato. Si materia aliunde influat, vel

ftomacho

ſtomacho venenata qualitas communicetur, fiant reuulſiones ac diuerſiones iis ingeniis, de quibus ſæpè dictum eſt, clyſteribus, glandibus, frictionib. ligaturis & ſimilibus. Si ſint imbibitæ materiæ, poſt præparationem expurgentur *pilulis ſtomachicis, alephang. de aloë, maſtiche, de hiera ſimpl. & compoſ.* vel aliis *ſupra* dictis: poſtea exhibeatur *decoctum galangæ, zedcariæ pondere* ℨ j. *in vino albo potenti.* Profuerit & ſyr. *de mentha, & zinziber conditum & non conditū,* ſi ſumatur tribus horis ante cibum, & ſuperbibatur *vini maluatici* hauſtus. Item electuarium præparari ex ſpeciebus *diagalangæ, diatrion pipereon, aromatici roſ. cum confectione diacori, & ſyrup. de mentha.* Conducent & fomentationes. Et ſi nō ceſſat ſingultus, exhibeantur *mithridatii* ℨ j ß. *cum* ℨ *ij. ſpecier. diagalangæ*, & ſuperbibatur hauſtus *maluatici vini.* Si neque iſta profuerint, deueniatur ad opiata, ſed cum magna circumſpectione. Si flatus aut humores calidi ſingultum cieant, eadem, quæ in dyſcraſiis ſupradictis vſurpentur.

DE VOMITV.

Etsi vomitus omnis motus eſt præter naturam ſtomachi irritati ad expulſionem rei infeſtantis: tamen ſi ſit ſpontaneus (de quo propriè loquimur) non omnis ſubitò ſiſti aut reſtringi debet, qualiſcunque reiiciatur humor. Quandoq; enim criticus eſt, & ſequitur motum naturæ excutientis rem noxiam, qui motus minimè impediri debet, præſertim ſi & temperatus ſit, & à natura reguletur, nec ſequatur aliqua euidens imbecillitas, aut corporis attenuatio. Nec ſymptomaticus

omnis ſtatim reprimi debet. Fit enim quandoq; natura impulſa malignitate aut copia materiæ in morborum principiis, vt in febribus, quo natura partem materiæ tantum eiicit, quantum eo motu ſuperat, vt quod reliquum eſt, facilius ſubigere atque continere poſſit. Sed ſymptomaticus, qui fit natura coacta, reſtringi ſemper debet, ſicut is quoque, qui à ventriculi dyſcraſia humida, & à laxitate ſubſtantiæ eius prouenit. Omnis præterea nimius vomitus, qui proſternit vires corporis, cohiberi debet, priuſquam natura exoluatur. Qui vero ſint vomitus vtiles, qui noxii, indicat Hipp. *2. Prognoſticorum.*

Quinam vomitus reſtringendus.

DE CVRATIONE.

SI fiat ergo vomitus propter imbecillitatem ſtomachi, & dyſcraſia ſit humida, deſiccantibus & aſtringentibus roboretur, quæ intus foríſque applicentur. Si propter viſcidos humores obducentes ſtomachi tunicas & prohibentes, ne cibos ſtomachus complecti poſſit, incidentibus, aſtringentibus & educentibus medicamentis humores illi promoueantur, & ventriculus roboretur. Si à vitioſis humoribus aliis in ventriculo generatis cientur, humoribus præparatis atque eductis iis medicamentis, de quibus ſæpe dictum eſt, reducatur ſtomachus ad ſuam temperiem, & confortetur. Si aliunde humores in ventriculum influant, ſimul & euacuentur ex ventriculo, quantum ſcilicet de illis influxit, & reuellantur. Quod fiat vel clyſteribus, vel phlebotomia, præſertim in vomitu cruento aut bilioſo. Deinde roboretur ſtoma-

stomachus stypticis. Vsurpentur autem ad eductionem materiæ, quæ influit aliundè; catarctica styptica, quæ & astrictione sua roborent ventriculum, ne recipiat amplius humores, & vi catarctica hoc, quod influxit, educant; vt in biliosa materia *myrobalani citrini*, & *rhabarbarum*, si fuerit opus, *aliquantulum torrefactum, in decocto hordei leuiter torrefacti, & dulcorati cum sacch. rosato.* In pituitosa materia *decoctum myrobalanorum chebulorum, emblicorum, & belliricorum dulcoratum, cum melle ros.* Item *hiera simplex.* In melancholica *decoctio myrobal. Indorum, belliricorum dulcoratum cum sacch. buglossato.* Postea adhibeantur, quæ astrictione quadam reprimunt inhibentque vomitum.

In sanguinis vomitu post phlebotomiam & alui per enemata lenitionem, conducet *aqua plantag. & virgæ pastoris, cum bolo armeno & terra sigillata.* Item *succi bursæ pastoris.* Vel fiat puluis aut decoctum *ex gummi arabico, carabe, coralliis, coriandro præparato, spodio, ros. rub. sem. portulacæ, balaustiis, hypocyst. acacia, cornu cerui vsto, bolo armeno, terra sigillata, herb. portul. plantag. bursa pastoris &c.* Puluis exhibeatur *in aqua plantag. vel portulaca.* *Vomitus sanguinis.*

In cholera post bilem alteratam & vomitu ductam, itidem astringentia exhibeantur, vt, fiat decoctum ex ℔ j. *succi cydonior. cum coralliis rub. sem. ros. rub. hypocyst. acat. & rhabar.* Proderit & *miua cydon. & rob de ribes, & sacch. ros.* quibus possunt misceri *pulu. sem. acetos. plantag. portul. hypocyst. coral. acat.* Itē *species aromat. rosa.* Et si vehementer ægrum vomitus angat, atque consentiat ætas, habitus corporis, virtus, plurimum proderit phlebotomia dextri lateris basilicæ, si educantur ℥ iiij. vel v. sanguinis. *Cholera.*

Neque emplaſtra foris & vnguenta negligantur; *ex corallis, roſis rubris, nuce moſch. ol. cydoniorum, ol. roſ. completo, de abſynthio*, & ſimilibus aliis.

Si phlegmaticus ſit humor, primum leui pharmaco educantur materiæ natantes in ſtomacho, vt cum *diaſenæ lenitiuo, diacatholicone, diaphœnicone ſine ſcammonea in minori doſi cum agarico præparato*. Poſtea roborantia dentur, vt *ſyr. de maſtiche, confectio ex ſpeciebus diagalangæ, aromatici, roſati, diacinnamomi*. Item *ex nuce muſchata, caryophyllis, maſtiche, coralliis rubris, roſ. rubr. ligni aloes, galang. calam. arom. cinnamomo*. Si perſeueret vomitus, præparetur materia *ſyr. de mentha, mell. roſ. col. oxymelle ſimpl.* poſtea euacuetur pilulis ſtomachicis *alephang. de hiera compoſ.* Et poſt euacuationem redeat ad confortantia, quæ exhibeantur potionis, tabularum, electuarii, puluerũ, vnguenti, ceroti, forma ex prædictis ſpeciebus. Cætera ſymptomata, quæ ſtomachi affectiones comitari ſolent, pendent ex morbis ipſis, quorum curationem tradidimus, vt ſunt appetitus vel languidus, vel proſtratus vel deprauatus. Item coctio vel debilis, vel nulla, vel praua, vel alia. Ex ſuperioribus ergo cauſæ horum ſymptomatum & curationes repetantur.

DE MORBIS EPATIS.

CAPVT XIII.

IN ventriculo ſtomachus ſedes eſt appetentiæ, quæ huic vni parti ineſt & propria eſt, cæteræ enim partes omnes appetunt ſine ſenſu indigentiæ. Fundus verò organum eſt & officina primæ coctionis, quam ab effectu χύλωσιν vocant. Secundæ

cundæ coctionis, quam nominant χύμωσιν, organum & officina est epar. Eò enim χυλὸν ex ventriculo deferunt venæ mesaraicæ, quæ serie multiplici in gracilia intestina sparsæ, epate sugente & trahente partes liquidiores ac meliores ex chylo conuehunt in caudicem venæ portæ, quam πύλας epatis inde nominant, quia velut aditum aperit intra epar. Ex caudice venæ portæ rursus effunditur ac distribuitur chylus in alios velut riuulos ex eadem vena portæ deriuatos, qui totam simam regionem epatis vario ductu contextuque implicant. In his riuulis secunda coctio peragitur, qua absoluta fit humorum separatio, quos epar generat diuersos ratione materiæ diuersæ. Separantur autem in medio epatis, vbi concurrunt, suisque inter se osculis conniuent surculi, qui ex vena portæ per simam epatis partem ascendunt, & propagines venæ cauæ, quæ à gibbo epatis descendunt. Præter hos venarum vtrarumque & arteriarum, quæ his admiscentur velut tubulos atque siphones epar nullam habet aliam cauitatem euidentem, qualis & in ventriculo & renibus conspicitur, sed carne constat continua, non tamen tam solida, vt poris & meatibus careat sensum fugientibus, vel vt nullas admittere humiditates alienas possit. Etsi autem post separationem sanguinis melior pars in gibbo epatis perfectius coquitur, non est tamen αἱμάτωσις à χυμώσει specie distincta, vt χύλωσις, sed differt tantum gradibus perfectionis. Separatio autem humorum in medio epatis, vbi surculi venæ cauæ transsumunt sanguinem ex surculis venæ portæ, efficitur nõ peculiari & noua virtute epatis, sicut contendit Auerrhoïs:

ſed duabus diuerſis virtutibus, diuerſorum membrorum, expultrice epatis & attractrice partium illarũ, quæ excipiendis certis humoribus à natura comparata ſunt. Separantur autem & in ſua receptacula relegantur craſſiores & impuriores partes flauæ bilis & humoris melancholici. Meliores in maſſa ſanguinea relinquuntur, quam humor pituitoſus totus comitatur. Hæ partes poſtquã vlteriore coctione exactiuſ ſubactæ ſunt atq; emollitæ, effunduntur vnà cum ſanguine in venæ cauæ truncum, vbi epate pellente, renib⁹ per emulgentes venas trahentibus, ſecernũtur à puriore maſſa ſanguinis, qua corpus nutriendũ eſt ὀῤῥὸς ſeu ὀῤῥῶδες περίττωμα, i. e. *ſerum ſeu ſuperfluitas ſeroſa*: ſicuti poſtea, quod in venarum coctione à tota maſſa & ſingulis humorib. ſegregatur, vocatur ἰχώρ. Cumq; hæc excrementa non bene ſecernuntur, neq; expurgantur, ſanguis in venis fit ὀῤῥῶδες & ἰχωρρῶδες, atq; propter eam cauſam materia multorum morborum. Serum itaq; ſingulorum humorũ renum virtute à meliore ſanguine ſegregatum, & per οὐρητῆρας in veſicam excretum fit vrina. Ex his intelligi vtcunq; morbi epatis poterunt, conſideratis ſcil. epatis natura, ſtructura, virtutibus & actionibus.

Morborum & ſymptomatum epatis differentiæ.

Diſcernantur autem morbi epatis à ſymptomatis, quorum quædam ſi inualuerunt in partibus, quas occupant, abeunt in morbos peculiares, vt cachexia, hydrops, icterus, elephantiaſis, Gallicus morbus &c.

Δυσκρασία.

Dyſcraſia ſola aut ſimplex eſt aut compoſita; ea occupat primariò ac per ſe, vel epatis corpus, vel vaſa, alteratis illis, & perductis ad intemperiẽ: vnde vel calidiora, vel frigidiora, vel humidiora,

vel

vel ſicciora euadunt. Poſtea propagatur in humores, quos epar gignit. Dyſcraſia cum materia, ſi non cœperit ab intemperie epatis, ferè primariò & per ſe humores occupat, vel illos, qui in vaſis continentur, vel reliquos, qui poris epatis inſunt, effuſi eò ex vaſis aut apertis, aut attenuatis, vt tranſcolari ac reſudare humores, præſertim tenues poſſint. Ex humoribus poſtea tranſit dyſcraſia in epar ipſum, & vaſa. Eſtque hæc dyſcraſia aut à primis qualitatib. vt frigido, calido &c. quibus ſola intemperies alteratur ſalua ſubſtantia, vt in hydrope, in febribus præſertim tertianis; aut à putrida & maligna qualitate, vt cum humores in ipſo epatis corpore putreſcunt efficiuntque illud intus ſanioſum, foris puſtuloſum; aut ab infectione contagioſa vel venenata, vt in elephantiaſi, morbo Gallico, &c. Harum poſtremarum vtraque ſubſtantiam epatis corrumpit, quæ eſt φθόρος τῆς οὐσίας. & vbi confirmata fuerit, corrigi ac reſtitui nunquam poteſt. In elephantiaſi malignitas humoris melancholici venenatam qualitatem epati imprimit, ſiue ab exortu primo, ſiue contagio, ſiue vitio aliquo humorum & corporis illa ſit contracta, quo fit, vt deinceps epar vel ab optimo puriſſimoque nutrimento venenum quiddam ac melancholicum gignat eiuſdem qualitatis particeps, quod deinde in habitum corporis vertitur. In morbo Gallico id eſt etiam infectio ex contagione: quamcunque enim illa partem primò obſederit atque imbuerit, tandem tamen in humores, perque eos & ſpiritus ad viſcera propagatur, & epati inhæreſcit. Sic non raro qui epatis corpori inſunt humores putredine affecti,

pro diuersa ipsorum natura & putredinis ratione, diuersimodè epatis substantiam corrumpunt, sic vt putredines diuersæ externa membra, vt cutem & musculos, aliàs aliter afficiunt, vt tumor biliosus, saniosa putrilago, epar ad eum modum inficit, vt totum corpus paulatim lento marcore extabescat. Reperti sunt etiam aliqui, quibus epar natura δυσκρατον calore intẽperato humores crassiores ac viscidiores durauit in soliditatem lapidum, perinde vt in renibus.

Calidæ dyscrasiæ signa. Calidam dyscrasiam ex quacunque causa ortam comitantur cibi, & maximè carnis fastidium; ex inedia verò corporis consumptio, sitis vehemens, pro intemperati caloris ratione, corpus vniuersum & præcipuè extrema, pedes manusque calent. Eadem, si calori siccitas sit adiuncta, arescunt; si humiditas, madent. *Frigidæ.* Frigidam intemperiem sequitur maior cibi appetentia, sitis nulla, præsertim si frigiditati adsit humiditas. Sed nulla diu sola intemperies sine humoribus consistit, quòd cùm epar sit officina coctionis secũdæ, mox humores ad suam intemperiem immutat. Et vt rectè temperatum efficit probam ac laudabilem χύμωσιν, si nutrimentum sit cõueniens, ita intemperie affectum siue à primo ortu, siue ex ascito vitio causa est cacochymiæ. Calidius iusto biliosos humores producit & cumulat: Frigidius, frigidos ac pituitosos. Quare calidior intemperies, tùm eos humores, quos mesaraicæ aduehunt, tum cæteros, quos intra sese epar cõplectitur, & postea in vniuersum corpus nutritionis causa distribuit, adurit. Frigidior humores crassos, crudos, aqueos ac pituitosos reddit; Siccior, crassos, terrenos ac

melancholicos & ſiccos; Humidior tenues & aquoſos; ſed prout coniunguntur atque complicantur hæ dyſcraſiæ ſimplices, ita affectus etiam in humorum generatione miſcentur; quorum ſeſe ſigna tum in aliis corporis partibus, tum vel maximè in ore, facie & labris promtiſſimè exerunt ac oſtendunt. Rubicunda labra & facies colore cen purpuraſcens aut nigreſcens, calidam; pallida, inflata, frigidam & humidam; Pallida, tabida aut liueſcens frigidam & ſiccam; Ita facies cum rubore aduſto marcida ac tabida, cum puſtulis retorridis, ſiccum calorem; Plenior ac ſucculenta cum humentibus puſtulis ac fluentibus, humidi caloris exuberantiam indicat. Humorum calidorum exuberantiam ſequuntur vomitus aut deiectiones bilis, in principio tenuis ac pallidæ, deinde craſſæ, retorridæ, flauæ & grauiter fœtentis: quæ eſt quidem colliquatio primò humorum, ſecundò carnis ipſius; oris amaritudo, cibi faſtidiũ, ſitis vehemens; Et ſi putreſcant, febris aut continua, aut intermittens, aut erratica, aut lenta, qua paulatim corpus abſumitur. Frigidioris iecoris & frigidorum humorum ſigna ſunt, nec frequens, nec multa, nec fœtida alui deiectio, ſitis nulla, febris nulla. Et ſi quando aluus largius fluxerit, non fœtebunt tamen excrementa, neque colore, neque conſiſtentia ſimilia erunt calore liquefactis ac deuſtis. Interdum excremẽta putrefactum ſanguinem potius, quàm liquefactam carnem ſpecie referunt; interdum atro ſanguini ſimilia erunt. Si tamen accuratius conſiderentur, neq; ad ſanguinem atrum, nec ad concretum ſanguinem accedunt, ſed erunt velut fex ſanguinis, qua-

Humorum calidorum indicia.

Frigidorum.

lis solet esse succus melancholicus. Interdum varia erunt excremẽta, ita vt difficulter discerni possint colore consistentia. Si verò frigiditas interna aucta, succedat in locum caloris natiui resoluti ab alieno præter naturam, & destruatur virtus epatis sanguifica, vt fit in hydrope, contabescunt extrema, & dominantur in epate duæ dyscrasiæ cõtrariæ in gradibus extremis: calida à calore alieno, qui natiuum extinxit, & causa est sitis in hydropicis: frigida, quæ calori natiuo eliso succedit, propter quam fit, ne vlla possit fieri χύμωσις, cum calor natiuus coctionis oppressus est. Si corruptio substantię epatis fit à putredine humorum in epate, quæ in omni humore accidere potest, præcipuè verò ex biliosa sanie in corpus epatis dispersa, quam aut vitiosum alimentum vi σηπτικῆ præditum, aut vinum meracius paulò largius haustum, si epar natura intemperatè sit calidum, gignit: In talibus ergo malum sensim serpit, corpus non subitò extenuatur, nec celeriter concidunt vires, sed diu infarctæ persistunt, febris initio nulla, progressu temporis lenta oboritur, nec sitis vehemens vrget, etsi semper adest vini meracioris desiderium, nec tumor adest, anhelitus fit grauis & fœtidus cum cibi fastidio, ac præcipuè carnium, virtus corporis paulatim languescit propter fœtidos halitus, qui per venas cordi communicantur, & tandem deficiente virtute, sequuntur crebra deliquia animi, totoque corpore sudore frigido erumpente, tandem virtus resoluitur. Hæ epatis dyscrasiæ aut coniunctæ sunt omni cum imbecillitate epatis, quam ἀτονίαν vocant; aut sunt sine euidente epatis imbecillitate, quę tamen

Hepatis natura intemperatè calidi signa.

Hepatici.

men tandem ad illas consequitur proximè. Vocantur aūt, quib⁹ epar imbecillum est, vel à prima origine, vel ex accidete aliquo, ita, vt suas functiones non rectè obeat & exæquatur, hepatici. Estq; imbecillitas omnis *aut congenita, aut acquisita*, q̄ ad dyscrasias longas & cōfirmatas aut magnas, cum, vel sine materia, cum, vel sine tumore præter naturam consequitur. Vt enim κρᾶσις partis cuiusq; rectè constituta actiones integras parit, sic vitiata aut languefacta aut destructa vitiat & corrumpit actiones.

Sunt autem facultates epatis, vt partium cæterarum, attractrix, retentrix, alteratrix, quæ efficit in sima parte χύμωσιν, in gibba αἱμάτωσιν, & expultrix, Vniuersaliter autem dyscrasia calida corrumpit ac deprauat, frigida languefacit vel destruit virtutes vel actiones epatis. Fit aūt quandoq;, vt imbecillitas totum epar occupet & languefactet facultates partis vtriusq;, interdum vnius tm̄, vt simæ vel gibbæ. Si virtus attractrix langueat, liq̄da fluidaq; per aluum excernuntur: Cocta quidem cremoris ptisanæ specie, si nulla in ventriculo sit labes, nulla mesenterii obstructio; cruda verò & incocta qualia assumuntur, si simul etiam ventriculi virtus sit afflicta. Si vis retentrix langueat, aluus interdum (*quæ tamen rarius accidit*) liquida & saniosa reddit, loturæ carnis recens mactatæ similia. Frequentius aūt, p̄sertim cùm inualescit imbecillitas, & accedunt causæ internæ irritantes, vt cum incalescit epar vel motu nimio, vel exhaustu vini meracioris, largior sanguis spontè erumpit ex venis per nares, vel hæmorrhoides, vel vterum, vel tum. Si virt⁹ sanguifica laboret, sequit̄ ἀπεψία vel omni-

Facultates epatis, & earum vitia.

omnimoda, vt in aſcite; vel tenuis aliqua, vt in λευκοφλεγματίᾳ, quod cum fit, pedes intumeſcunt, ſicut interdum poſt febres: deinde & partes cæteræ malo augeſcente, vt iis accidit, qui ex graui longoque morbo conualeſcunt, Itemq; hydropicis, ſcyrrhoſis, ictericis. Si cum alteratrice retentrix ſimul laboret, profluuia alui ſequuntur liquida & cruenta loturæ carnium recentium ſimilia, aut aquæ ſanguine dilutæ. Multæ autem epaticæ affectiones incipiunt à tali profluuio alui; ſed imbecillitate aucta, non talia amplius, ſed alia deiiciuntur ſpecie, qualitatibus & conſiſtentia varia, quæ ex alimento mixto cum iis humoribus, qui iam ſunt in epate, & vtriſque corruptis à calore alieno proueniunt.

Cur epar facile obſtruatur. Epar præ cęteris partibus corporis maximè obnoxium eſt obſtructionibus, propter *ſtructuram ſuam & actiones.* Non habet enim epar vnam aliquam inſignem cauitatem ad receptionem vitioſorum humorum, ſicut ventriculus & inteſtina, ſed totum pertextum eſt multiplicibus ceu riuulis venarum & arteriarum, quibus ſima epatis gibbis ipſius in medio committuntur, qui cum ſint tenues & graciles, ac deſinant in anguſta admodum oſcula, facilimè ab humoribus craſſis & lentis obſtruuntur, qui ſi frigidi ſunt, putredinem citius concipiunt; ſi calidi, tardius & longiore tempore. Deinde propter actiones: Cùm enim ſit organum αἱματώσεως, & multiplices materiæ per anguſtos illos meatus in reliquum corpus transferantur, facile permeantibus humoribus vel copia, vel multitudine obruere atque obturare graciles & anguſtos riuulos, vel craſſitie & lentore

1\. (beside "quam inſignem cauitatem")

2\. (beside "pore. Deinde propter actiones")

eoſdem

eosdem obsepire possunt. Obstructionum causæ sunt vel flatus crassi atque copiosi, vel humores crassi aut lenti, aut multi calidi aut frigidi. Nam & flaua bilis diutius in epate detenta mirificè non crassescit tantum ex vlteriore ceu assatione, sed & lentescit, fit tenax & adhærens, sic vt incidi & abstergi auellíque ægrè possit, & infarcta poris aut venulis graues & periculosas obstructiones faciat. Frigidi ex alimento sunt vel crasso copioso aut crudo, vel sine ordine ingesto, vt si vel à cibo intempestiua agitatione corporis aut balneis corpus calefactum rapiat epar ad sese nondum percocti chyli crudos succos, vel si à balneo vel motu corpore adhuc æstuante cibi ad obstruendũ idonei, potusvè, vt vina crassa aut dulcia aut mustea ingerantur, quæ epar auidissimè arripit & attrahit tantoque magis obnoxium est epar obstructionibus, quanto natura imbecillius & intemperatius calidum fuerit, adeò, vt congesti cumulatiq; primum in venis, tandemque in ipsa epatis substantia humores crassi vel pituitosi, vel biliosi longa & inueterata obstructione assando calore epatis prę ternaturali coguntur in duritiem lapidis. Interdum, qui è cerebro in ventriculum decumbunt catarrhi frigidi vel soli, vel permixti alimento atque in epar abrepti fiunt obstructionum causæ. Obstructiones autem sequitur grauitas siquidem ab humoribus solis illa excitata fuerit sine magna copia; sed grauitas cum tensione, si vel à flatibus, vel ab humorum copia fuerit excitata, & adest sensui grauitatis dolor obtusus in hypochondrio dextro; qui magis à cibo corpore agitato percipitur, quàm ieiunio, febris adest nulla, præsertim in recen-

Obstructionum causæ.

Signa.

recenti obstructione, tumor nullus; veruntamen si sit obstructio in regione epatis gibba, dolor euidentior est & maior, qui interdum eousque augetur, vt respiratione etiam irritetur, & compressione, anhelitus etiam sit difficilior, & impedita sanguinis in sima parte generali distributione, sequitur quandoque regurgitatio sanguinis puri ad intestina aut ventriculum, vnde vomitu aut deiectione alui excernitur. Vrinæ tamen sunt copiosiores, sed subtiles ac tenues, scilicet, quod tenuiores partes seri prorumpunt ac penetrant cum parte massæ sanguineæ liquidiore, præsertim si non sit magna, neque completa omnium venarum obstructio, & tunc quidem minus etiam sanguinis regurgitatur ad mesaraicas venas. Si verò obstructio sit in sima regione epatis, impeditur ἀνάδωσις, id est, distributio chyli intercluso aditu in ramulis venæ portæ: idcirco aluus fit liquidior, chylo in intestina refluente ex mesaraicis, corpus emaciatur, quando non nutritur; vrinæ fiunt paucæ & subtiles, sed variantur tamen in subtilitate & colore pro ratione materiæ obstruentis.

DE SCYRRHO EPATIS.

Obstructionum effectus.

FIVNT autem contumaces & inueteratæ obstructiones causa cum aliorum morborum, vt scyrrhi, febrium, tum symptomatum variorum, vt icteri, hydropes, &c. Febres enim tertianæ sæpissimè ex putredine humorum biliosorum epati infarctorum accendi solent longæ & graues, teste experientia. Inde etiam scyrrhos nasci frequenter

Scyrrhi quid.

ter

ter constat, qui sunt *tumores præter naturam diuturni ac renitentes dolorisq; expertes*, nisi forte pars affecta vehementius prematur. Etsi enim scyrrhi à causis procatarcticis etiam efficiuntur, vt si vel epar nimium refrigeretur aquæ frigidæ potione post æstum aut balneum, aut medicamentis infrigidantibus in calida intemperie; vel si calefiat nimium tenuioribus eius partibus resolutis, crassioribus induratis, & affligatur assiduæ crapulæ cruditate: Interdum etiam inflammatio (etsi rarius) scyrrhum inducere possit, quod in viscere naturâ calido & humido inflammatio citius in abscessum pernitiosum, quam in scyrrhum desinit; tamen sæpius ex diuturna & confirmata prouenit obstructione, cùm humor, qui tenues epatis venulas impleuit, nouis accessionibus adauctus inde in ipsam epatis substantiam egeritur, & assiduis additionibus paulatim cumulatur, adeo, vt copia in poros infusus, eosq; spongiæ instar ad implens partem in amplam distendat molem. Vnde epar tumidum euadit, & progressu temporis humore siccescente, partibusque tenuioribus calore exhaustis ac dissipatis, crassiores vnà cum ipsa substantia epatis paulatim exarescunt & indurescunt, donec ad exactum scyrrhum peruenit. Non fit enim scyrrhus epatis subitò ab obstructione vel à causa alia interna, sed paulatim ex tempore longiore, & aliàs à pituitoso, alias à bilioso humore existit, sed assatione densato. Tactu autem deprehendi scyrrhus omnis potest, si abdomen aut natura sit aridum ac tenue, aut morbo emaciatum. Et exploratur facilius erecto, vel in latus dextrũ inclinato corpore, quàm in decubitu supino.

Scyrrhorum causæ procatarctica.

Scyrrhi epatis signa.

Circum-

Circumſcribitur enim iecur, figura ac ſitu peculiari, & in erecto ſitu magis extrorſum prominet, ſicut refugit manum, & abdit ſeſe in decubitu ſupino. Æger etiam decubitum in dextro latere facilius tolerat, quàm in ſiniſtro, quod tunc velut mole quadam ventriculum & præcordia premere vrgereque videtur. Epate in hoc procumbente. Sed & à bilioſo ſcyrrho pituitoſus ſuis notis diſcernitur, quod bilioſum præcedit victus ratio bilem generans, atque coaceruans alimentis externis, exercitiis, intentionibus animi & ſimilibus. Pituitoſum contrà, quæ phlegma gignunt. Hunc notæ conſequuntur frigidæ intemperiei epatis & humorum: Illum calidæ. Bilioſus ferè ex pertinaci obſtructione, quæ icterum genuit, naſcitur, & febrem lentam inuehit. Pituitoſus ſine febre eſt, qui ferè etiam diutius durat ſine inſigni læſione virium, & corpus tandem in cachexiam aut leucophlegmatiam perducit, cùm bilioſus aſcitem attrahat, calore natiuo in epate ſuffocato & extincto.

Scyrrhi biliosi & pituitosi differentia.

DE OEDEMATE.

CORRIPITVR epar & aliis tumoribus præter naturam, frigidis & calidis, qui magna ex parte omnes ſunt cum dolore coniuncti. Frigidis vt œdemate, & emphyſemate, id eſt, inflatione: calidis, vt hepatitide, quæ eſt calidus tumor epatis, id eſt, vel phlegmone vel eryſipelas, vel aliquid ex vtroque mixtum & compoſitum. Ex frigidis vterque, tam œdema, quàm emphyſema, magni tumoris ſpecie pene iiſdem notis ſeſe aperit & oſten-

ostendit, quibus scyrrhus, sed ad tactum & compressionem minus renititur, & gignitur breuiore tempore. Nonnunquam in tantam molem epar attollit, vt vniuersam hypochondrii dextri regionem occupet & expleat, & supra costas etiam extet atque emineat. Fiunt autem, cum vel flatus tenuesvè cruditates ex immoderata frigidæ potione, intempestiuo fructuum esu, longis crapulis collectæ atque coaceruatæ ex venis in epatis corpus erumpunt: Indeque ad membranam ambientem; qua diuulsa ab epatis corpore, sequitur sensus tensionis cum dolore, tussicula, impedimentum in anhelitu ex diaphragmatis compressione, præsertim si spiritus adducatur vehementius; vel cum crassus & lentus humor, biliosus aut pituitosus robore naturæ excussus ex imo ad ambitum erumpit. Ille mollior est tactuique promptè cedit, & non difficulter discutitur. Hic durior est ac pertinacior magisque renititur, longiore fit tempore, & difficilius dissoluitur. Vt autem materia, sic curationes differunt & medicamenta in tumoribus frigidis. *Oedematis signa.*

Inflammatur epar, cùm aliqua illius parte paruâ vel magnâ sanguis præter naturam collectus, concepto intus alieno calore incenditur, atque efferuescit, quod fit, si vel præcopia vel tenuitate vel feruore atque acrimonia, vel à causa aliqua externa impulsus, vt casu, vel ictu, è venis violenter in corpus eius erumpat, vbi cùm sit extra propria vasa, alieno calore circumuentus inflammatur ac putrescit, simulque carnosam epatis substantiam, quæ sanguinis naturæ cognata est, inflammat ac putrefacit. Differunt autem inflammationes epa- *Inflammationum epatis causa.* *Inflammationum epatis differentia.*

tis humoribus, situ, magnitudine, & symptomatis. Sanguis purus, phlegmonem exquisitam, bilis
1. pura erysipelas exquisitum efficit. Mixtio horum pro ratione dominantis humoris, aliàs phlegmonem erysipelatoden, alias erysipelas phlegmatodes gignit. Situ differunt, quod aliæ in
2. gibba, aliæ in sima epatis regione consistant. Ma-
3. gnitudine pro copia humoris, qui in substantiam epatis sese ingerens atque insinuans, aliàs eam in maiorem, aliàs in minorem molem attollit, & intra epar aliàs maiorem, aliàs minorem cauitatem efficit, in qua corruptus putrescit. Ita pro ratione magnitudinis symptomata etiam sequentia variant. Notæ inflammati epatis secundùm Galenum *lib. 5. de locis affect. & 8. de composit. medicam. secundùm loc.* sunt grauitas in dextro hypochondrio, dolor à iugulo ad nothas costas protensus ex diaphragmatis detractione, quod de propaginibus membranæ succingentis costas contextum est; respiratio difficilis, dolor acutior sub costis mendosis, cùm paulò vehementius ab imo spiritus ducitur, tussis exigua & sicca, febris ardens & assidua, sitis inexplebilis, linguæ scabrities & lentor huic adhærens, primò quidem flauus, deinde nigricans, nausea & cibi fastidium, interdum singultus ferè strangulans, iuxta *Aph. 5. part.* 58. Interdum cutis bile suffunditur, sicut in ictero; vrinæ sunt crassæ, rubicundæ, turbidæ; sincera bilis, aliàs flaua, aliàs vitellina, interdum etiam prasina aut æruginosa, vel vomitu reiicitur, vel per aluum excernitur, quæ nonnunquam in diarrhœam exit, & si humorum magna sit acredo in dysenteriam. Si inflammatio fuerit erysipelatodes, ardor febrilis,

Signa.

brilis, sitis, nausea, vomitus sinceræ bilis: Denique cætera symptomata omnia sæuiora erunt, quæ corpus tandem in marasmum abducunt. Rursus si inflammatio simæ parti insederit, etsi ratione continuitatis cōmunicabitur etiam parti gibbæ, tamen præter illas communes notas habebit etiam quasdā peculiares. Cibi fastidium enim nausea, sitis, vomitus bilis vel deiectio vrgebunt vehementius, decubitus in sinistro latere erit laboriosus, & cum dolore, compresso scilicet loco inflammato epatis pōdere, nec tactu dolor promptè explorabitur. Si in parte gibba consederit, spirandi difficultas ingrauescit, eritque anhelitus creber & exiguus, tussis & dolor iugulum reuellens deorsum magis infestabit, dexter decubitus laboriosior erit: epar enim tota ventriculi, intestinorum & lienis parte intra angustias costarum & diaphragmatis adigetur atque coarctabitur, contactu, compressuque dolor exacuetur, & tumor quidem interdū extabit, præsertim si magnus fuerit, vt oculis etiam deprehendi possit; calor etiam pter naturā ingens in regione hypochondrii dextri sentietur. Hæc signa magnā inflammationem comitantur: sed parua obscurioribus se notis prodit, in qua hypochondrii dolor & grauitas nōnisi adductione spiritus vehemētiore explorabit.

Inflammationis erysipelatodis.

Inflammationis partis simæ.

Partis gibbæ.

Cùm in musculis abdominis inflammatio fuerit, prædictarum notarum nulla adest, nisi fortasse febris, sed mitior multò dolor sentietur, lancicans, tumor ferè secundùm longum sese extendens, sequens musculorū fibras & ductus, tactuq; & visu deprehendetur; calebit enim & rubebit cutis magno ambitu extrinsecus & tumidior erit, dolor attractione exasperabitur.

Signa inflammationis in musculis abdominis.

Inflammationis non maturè dissoluta symptomata.

Inflammatio non maturè dissoluta diaphoreticis, materiæ collectione vertetur in apostema, sanie putrida, quam calor præternaturalis ex sanguine inflammato gignit, mutatione vlteriore degenerante in pus; quod quando fit, dolor calorq; secundùm Hippoc. & cætera symptomata intenduntur; vigores subinde inuadunt, sine ordine præter rationem, qui caloris exacerbationem adferunt. Confecto pure remittunt accidentia; sed virium imbecillitas augescit, pulsus fiunt frequentes, languidi parui, accedunt crebra deliquia animi. Abscessus autem omnis pure maturato, aut ad mortem deducit ægrum, aut in hydropem desinit: rupto enim abscessu pus fœtidum erumpit, quod tetro vapore cor obruit, & spiritus vitales fugat atque conculcat, tandemque ægrum cum graui animi defectione perimit; vix enim quisquam seruatur, nisi admodum exiguus sit abscessus, & pus vel vomitu, vel deiectione, vel per vrinas excernatur. Si rupta epatis substantia pus effundatur in abdomen, sequitur ascites. Vlcus autem, quod relinquitur, cùm perpetuò eluatur chymis, qui epatis substantiam permeant, nunquam vel expurgabitur à saniosa illuuie & sordibus, vel solidatur. *Cùm enim epatis substantia sit spermatica, non magis glutinari, quàm pulmonis substantiæ potest.* Erit itaque sanguinis generatio vitiosa, corpus tabescet, alui excrementa & vrinæ cruentæ erunt ac saniosæ; tandemque sanie in abdomen decumbente sequitur hydrops, omnium grauissima, qui tumore & grauitate inguinum ventrisq; manifesta & insigni ægrum tandem suffocabit.

DE CV-

DE CVRATIONE MORBOrum Hepatis.

PRIVSQVAM ad singulares curationes particularium affectionum epatis accedam, generalia quædam moneri necesse est, quæ ex substantia, situ & structura epatis connexuque cum partibus vicinis sunt desumpta, & ad omnem curationem plurimum mor[illegible]nti adferunt. *Regulæ in curatione morborum epatis obseruandæ.*

I. I. *Nulla sunt vnquam exhibenda medicamenta epar respicientia, siue aperiendi vim habeant, siue resoluendi, siue astringendi, siue purgandi, nisi accuratè expurgato ventriculo, in intestinis, & communibus viis venarum mesaraicarum, quæ ad epar vim medicamenti deducunt.* Cùm enim epar à ventriculo sit dissitum longius, nisi, quæ præiacent viæ, fuerint expeditæ, aperientia medicamenta, quicquid repererint sordium, secum pertrahent ac deferent intra epar, & obstructiones vel efficient vel augebunt. Astringentia eadem ceu affigent, & meatus coarctabunt. Expurgentur autem meatus supra quidem medicamentis aluum leniter deiicientibus, infra clysteribus.

II. II. *Cum epate affecto plurimum noceat vtrumque, venter scilicet & astrictus nimis & laxus nimis, danda est opera, vt si durior aluus fuerit & aridior, leniatur & subducatur: si fluidior, sistatur & astringatur.* Vtrumque verò præstetur medicamentis lenibus ac moderatis, & vitentur omni studio immoderata ac fortia in omni genere medicamentorum. Nam catarctica fortia destruunt tonum ac robur, ac dissoluunt tandem epatis substantiam. Astringentia obstructiones efficiunt & augent, & epar indurant.

 rant.

rant. Conducunt autem in materia calida, *manna*, *cassia fistula*, *tamarindi*, *pruna*, & præcipuè *rhabarbarum*, quod epati amicissimum est, cumq; ventrem soluat flauæ bilis eductione, mirificè tamen sua astrictione epar roborat. Cõducet & vsus *myrobalanorũ citrinorum*. In frigida materia conducet *agaricus*, & ex cõpositis *diaphœnicon* in minore dosi, vel *diacatholicon*. Ita ad astringendum valebunt *miua cydoniorum simplex*, *conserua ros. vetus*, & similia.

III. III. *Si omninò necessitas exegerit vsu catarcticorum fortium, corrigi illa debent accuratè admixtione medicamentorum aromaticorum*, quæ præmuniant epar, idque quantum fieri potest, præstent innocuum & tutum aduersus vim catarctici.

IV. IV. *Cùm epar sua substantiæ ratione sit tenerum ad modum ac facile, & grauiter lædatur calidis paulò fortius resoluentibus, & frigidis paulò fortius refrigerantibus, vtrorumque vsus ita temperari debet, ne calida virtutem eius languefaciant, ac substantiam dißipent, nève frigida styptica expreßis tenuioribus partibus, crassas coactu indurent, & scyrrhum inducant.* Semper itaque resoluentibus admiscenda sunt styptica epati propria, vt *squinanthum*, *spica celtica*, *absynthium*, *eupatorium*, *calamus aromaticus*, & similia. Etecõtra frigidis densantibus ac repellentibus, vt in initio phlegmonum, adiiciantur calida resoluentia, vt *cuscuta*, *chamom. melil.* & similia. Simpliciter infrigidãtia verò non sint valde styptica, sed simul habeant aliquid astrictionis, sicuti sunt omnia genera intybi, quæ epati gratissima ac conuenientissima, vt *endiuia*, *cichoreum*, *vtrumq;*, *scariola*, quæ est endiuia hortensis cum foliis tennioribus, *lactuca*, *plantago*. Denique omnibus, quæ epati applicentur medicamentis,

insit

insit, vtraque virtus, moderatè restringens & moderatè resoluens.

V. *Cùm epar propter angustias multiplicium meatuū facilè incurrat in obstructiones, & epati ipsi & reliquo corpori perniciosas, harum auertendarum causa omnibus epatis morbis & medicamentis omnibus addantur aliqua aperientia.* In frigidis calida, sicut sunt *rad. petroselini, graminis asparagi, brusci, semina maiora, cumini, carui, anisi, fœniculi, minora apii, dauci, ameos*, & præter hæc herbæ *cuscuta, prasium, absynthium, eupatorium.* In calidis frigida, sicut sunt species & differentiæ *intybi, cichorii, lactucæ*, semina & rad. frigid. vt *semina frigida maiora, melonum, cucum. cucurbit. citrull.* Minora, vt *scariolæ, lactucæ, endiuiæ, portul. cichor. plantag. & folia & semina.* Cùmque aperientia & calida sint duorum generum: acria, quorum substātia tenuis est, vt *piperis, granorum paradysi &c.* subtilitate partium viâ vi factâ perrumpunt ac penetrant, nec obstructiones auferunt, sed velut perterebratis humoribus exiguos meatus expediunt: amara verò, quorum est crassior substātia, abradunt, deterguntq́;, quod adhæsit & secum auferunt, qualia sunt, quæ dixi. Ex talibus amara semper præferantur acribus in epatis obstructionibus. Nam & alioquin acria subtilitate substantiæ & caloris vehementia plurimum epati nocent. V.

VI. *Semper etiam in conspectu sit generalis regula de vsu topicorum, ne vel intus vel foris epati topica applicentur, alterationis, resolutionis, apertionis, vel roborationis causa, nisi præmissis vniuersalibus, reuulsione, deriuatione & euacuatione maximæ partis materiæ*, per phlebotomiam, vbi fuerit opus, per catarctica, per clysteria, & alia. VI.

VII. VII. *Vniuersalibus expeditis, quæ simam partem epatis infestant mala, catarcticis per aluum educantur: Quæ gibbam, diureticis per vrinam.* Nunc singulorum affectionum curationes adiiciemus, & primò dicemus de dyscrasiis.

DE CVRATIONE INTEMperierum epatis.

DYSCRASIA sola sine materia solis alterantibus contrariis corrigenda est, intus forisque applicatis, sed præmissa semper lenitione alui: Et si corpus fuerit plethoricum, incisione basilicæ dextri lateris, & iisdem etiam emendentur dyscrasiæ, si quæ post morbos organicos curatos ac depulsos in epate relinquuntur. Eodem modo imbecillitati succurrendum est, quæ ex dyscrasia oritur, ita tamen, vt alterantibus semper misceantur aliqua, quæ epati tonum addunt & robur, siue manifestis qualitatibus, siue totius substantiæ familiaritate. Quo in genere cômendantur *vua passa* in omni dyscrasia, *epar lupi.* Item *caro cochlearum & limaciarum bene lota, & à visciditate purgata, scoria ferri & chalybis præparati, auellanæ torrefactæ, species endiuiæ omnes;* peculiariter autem virtutem sanguificam corroborant, *spica, squinanthum, nux moschata, calamus aromaticus, radices cyperi, mastiche, absynth.* Magna virtus etiam est *vini puri & dulcis,* præsertim si absit calida intemperies, & tumor præter naturam calidus. In calida itaque intemperie conuenient *syr. de endiuia, acetosus simpl. rosi. viol: oxysacchara: Decoctum ex herbis, radicibus seminibus frigidis.* Item *confectio diairion santalon, diarrhodon abba-*

A proprietate hepar corroborantia in omni dyscrasia.

Virtutem sanguificam corroborantia.

Curatio intemperiei calidæ.

lon abbatis, saccharum rosatum, consf. cichorii. Foris applicentur epithemata, inunctiones, vnguenta, emplaſtra, cerota, vt:

℞ *Aqu. Endiuiæ,*
Lactucæ,
Cichorii, *Epithema.*
Rosarum,
Epaticæ ana ℥ j ß.
Puluerum Santali albi & rubri,
Spodii,
Rosarum ana ℈ j.
Spicæ,
Absynthii,
Squinanthi ana ℈ ß.

Misceantur, & fiat epithema. Vel fiat inunctio ex *oleo rosf. viol. maſtichino, ex pulueribus ſantali albi, rubri, ſpodio.* vel applicetur *ceratum infrigidans Gal.*

Si fuerit dyſcraſia cum materia, antè vſum topicorum euacuetur materia poſt præparationem cum *caſsia extracta, elect. de ſucco roſ. diapruno non ſolutiuo,* & ſimilibus. *Diſcraſia cum materia.*

Si laborarit epar intemperie frigida, cõuenient calida aperientia *ſupra* dicta. Item *ſyr. de eupatorio, de calamentho, de abſynthio, de bizantiis, de quinque radicibus, acetoſus comp. oxymel ſimpl.* & cætera, *de praſino*: præſertim ſi adſit materia frigida & aliqua obſtructio, quæ euacuanda erit, *agarico & pilulis aggregatiuis, de agarico,* vel *elect. diaphœnicon,* aut ſimilibus. Poſtea fiant epithemata, inunctiones, emplaſtra foris. Intus dentur confectiones roborantes, vt *diacinnamomum, diagalanga, diacurcuma, dialacca &c.* Epithema paretur ex aquis *abſynthii, eupatorii, cuſcutæ, ſuccis abſynthii & eupatorii: Pulueribus ſpicæ, ſquinanthi,* *Frigida.*

 nanthi,

nanthi, cinnamomi. Inunctio fiat *ex oleo mastichino, de spica, de absynthio, de amygdal. amar. cum pulu. cinnam. ligni aloës, squinanthi, spicæ.*

Emplastrum tale parari potest:

℞ *Farinæ hordei ℥ ij.*
Florum Chamomillæ,
Meliloti ana M ß.
Mucilag. Althea, ℥ j.
Pulu. Cyperi,
Squinanthi,
Mastich. ana ʒ ij.
Santal.
Calami aromatici,
Eupatorii,
Absynthii, ana ʒ iij,
Croci ℈ ß.
Aceti ℥ ß.
Olei rosati,
De absynthio,
Nardini ana q. s. Misce.

Fiat emplastrum.

Corroboratio virtutis retentricis. Si retentrix virtus laboret, roboretur iis, quibus inest vis astringendi, vsurpentur autem, quæ *supra* exposita sunt, & si fuerit opus fortioribus, adhibeantur *balaustia acatia, rosæ, hypocystis, trocisci de rosis, de berberibus*, cum similibus.

Curatio obstructionis epatis. Si obstructionibus laboret epar ab humoribus calidis vel frigidis, aut flatibus, cùm, vel sine dolore, præmissa expurgatione communium venarum, aperiatur basilica dextri brachii, præsertim si obstructio sit ab humoribus calidis, aut sit magna & inueterata, aut si appareant notæ plethoræ in corpore. Postea omnis intentio dirigatur ad aper-

apertionem obstructionis, scilicet humoribus crassis attenuatis prius, viscidis incisis & abstersis, deinde euacuatis, & ad extremum reliquijs omnibus amotis, & expurgatis ac epate simul roborato. Peculiariter autem commendātur in obstructionibus epatis calidis *supra* commemoratæ species *intybi & cichorii, hordeum non excorticatum; serum caprinum.* In frigidis, *capillus Veneris*, & species cognatæ, *adianthum & polytrichon, fumus terræ, lupuli, cuscuta, eupatorium vtrumq., chamæpytis, squinanthū atriplex, glyzyrrh. rasa, polypodium quercinum, & simul radices & semina diuretica.* Fortiora his sunt, *centaurium minus, ireos & succus eius, enula, aristolochia, rubea tinctorum, asarum, cyclamen, vermes terrestres triti in puluerem.* In omni autem obstructione valent *rhabarbarum* & *absynthium*, quibus misceantur aromatica aliqua styptica & roborantia, vt *spica, squinanthum, calamus aromaticus*, & alia eiusmodi, simulque quæ attenuant & abstergunt, quod *ferè omnibus humoribus epar obstruentibus crassities aliqua & viscíditas inest, siue calidi sint, siue frigidi*, & exhibeantur stomacho ieiuno. *Nec foris etiam topica vlla epati admoueantur, nisi ieiuno stomacho.* In obstructione ergo calida parari possunt decoct. ex prædictis herbis, seminibus & radicibus:

℞ *Herbarum Endiuiæ,*
Cichorii, Lactucæ,
Scariolæ, Epaticæ, ana M j ß. *Syrupus.*
Lupulorum,
Fumi terræ, ana M j.
Hordei non excorticati,
Adianthi,
Capillorum Veneris,

Absyn-

Absynthii ana ℥ v.
Radicum Fœniculi,
Asparagi,
Apii,
Cichorii,
Endiuiæ ana ℥ ß.
Polypodii quercini,
Glyzyrrhizæ rasæ,
Vuarum passularum enucleatarum ana ℥ j.

Fiat decoctio in s.q. aquæ ad consumptionem partis dimidiæ. Colatura condiatur saccharo, & imponantur in eam ℥ ij. Rhabarb. cum spicæ gr. x. lig. in petia per dies vj. vel *misceantur syrupi de endiuia, de cichorio, cum Rhabar. acetosus simpl. vel compos. de bizantiis, diarrhodon, mell. ros. col.* plures aut pauciores ex his, prout fuerit opus, & diluantur *aquis cichorii, endiuiæ, lupulorum, cuscutæ, ana q.s.* Euacuatio fiat cum *Rhabarbaro*, cum *electuariis diacathol. de succo rosar. cum pilul. de rhabarb. aggregat. aureis.* Et si morbus exigat fortiora, cum *elect. de sebesten, de psyllio,* & similibus, vt:

Potio purgans.

℞ Diacatholicon ℥ j.
Rhabarb. electi ℨ j.
Spicæ Gr. iiij.

Curationis obstructionis frigidæ.

Infundatur rhabarb. cum spica in aq. endiuiæ, per horas decem. Postea fiat expreßio fortis, & dissoluantur omnia in decoctione communium florum & fructuum cordialium & pectoralium. Iterentur autem & præparantia & purgantia medicamenta, si obstructio non remiserit, toties, quoties fuerit opus.

In frigida obstructione faciant decoctiones ex calidis ante commemoratis. Aut misceantur *syrupi de byzantiis, de lupulis, de eupatorio, de calamentho, de prasio, acetosus compositus, mel rosatum, oxymel simplex*

aut squilliticum. Et diluantur aquis conuenientibus, *sal. cardui benedicti, cichorii, absynthii*, & paulatim à mitioribus accedatur ad fortiora. Materia euacuetur cum *agarico, rhabarb. absynthio*: cum *pilul. & electuar.* supradictis: vt pilulis *aggregatiuis, de rhabarbaro, electuar. diacatholicon, diaphœnicon, Indo.*

Post euacuationes verò aliquoties, si fuerit opus, iteratas, & meatibus diligenter expurgatis, si obstructio gibbam partem epatis obsederit, sumantur aperitiua fortiora cum diureticis mixta, & simul etiam epar roboretur per interuallum. Conducent autem *trocisci de absynthio, de eupatorio, de lacca, de spodio*; *species dialaccæ, diacurcumæ*, *cum speciebus diatrion santalon*, *diarrhod. Abbatis*, in calida causa: Cum speciebus *diagalangæ, diacinnam. diacumini* in causa frigida & frequens vsus rhabarbari, vel per se, vel cum aliis aperitiuis. Vt: *Obstructionis gibbæ partis.*

℞ *Passularum enucleatarum* ℔ j.
Epatis lupi præparati ℥ iiij.
Rhabarbari optimi ℥ ß.
Spicæ Gr. v.

Electuarium.

Puluerisatis puluerisandis cum s. q. syrupi de eupatorio, fiat electuar. Vel:

♃ *Trocisc. de Spodio,*
De Lacca ana ʒ j.
Spec. Dialaccæ,
Diacurcumæ,
Diarrhod. Abb. ana ʒ ß.
Rhabarb. ʒ j ß. *Fiat puluis.* Vel cum conserua cichorii, & syrupo de cichorio, *fiat electuarium.*

Similis curatio instituitur in œdemate epatis & emphysemate: Denique in epatis dolore. Sed diligen- *De curatione œdematis*

emphysematis & doloris. ligenter causa doloris consideretur, an sit cum tumore aliquo præternaturali calido vel frigido, an verò sine hoc, & foris, & eisdem, quæ dicta sunt, applicentur fomenta & inunctiones.

De curatione inflammationis & apostematis epatis. Si epar inflammatione corripiatur, omni cura & intentione prohibeatur, ne fiat & confirmetur inflammatio. In hoc enim consistit omnis curatio. Si autem magna sit inflammatio in corpore abundè calido & sicco, præsertim si vires sint imbecilles, magna ex parte ægrum interficit, secundùm Galen. *in* 10. *Meth.* *Eò, quod in internis inflammationibus omnibus pleuritide, peripneumonia, angina, inflammationibus ventriculi & epatis, plurimùm sit positum, in viribus & robore naturæ.* Vt plurimum autem talis inflammatio, præsertim si sit erysipelatis particeps, in tabem transit secundùm Gal. *in* 5. *de loc. affect.* Si ergo validæ sint adhuc vires, tentetur curatio. Cùm autem inflammatio omnis soluatur vel διαφορήσει, vel ἐμπυήσει, vel induratione, vel permutatione, vel membri corruptione, sola διαφόρησις in epate salutaris est, cæteræ omnes vel ad mortem, vel ad hydropem perducunt. Nam permutatio ad membrum minus nobile lienem, etsi minus mala est, periculo tamen non caret. Et quanquam Hipp. de maturati apostematis curatione loquitur 7. *Aph.* 45. cùm inquit: *Qui iecore suppurato vruntur aut secantur, siquidem pus purum effluxerit, & albũ euadunt, iis enim pus conclusum in membrana est, &c.* Videtur ponere genus apostematis curabile, quod fit materia extra corpus epatis ad tunicã ambientem expulsa, scil. si maneat illæsa epatis substantia: tamen quibus corruptio in carnẽ epatis vsq; pertingat, moriuntur. Prohibebunt ergo, ne fiat

ne fiat inflãmatio poſt alui lenitionem. Reuulſio & deriuatio. Sanguinis ad epar fluentis reuulſio fiat per copioſam eductionem ſanguinis ex baſilica dextri. Deriuatio prouocatione hæmorrhoidalis ſanguinis menſtrui in mulieribus, fluxu ſanguinis narium, defixu cucurbitularũ ad nates vel ad ſcapulas cum ſcarificatu. His peractis medicamenta applicentur epati ipſi inter initia, quæ leniſſimè repercutiunt, ſimulque reſoluunt, ſintque ſemper in conſpectu regulæ *ſupra* traditæ de vſu infrigidantium, reſoluentium & ſtypticorum. Ad intra ergo conuenient *ſyr. de cichorio*, *de endiuia*, *de acetoſitate citri*, *acetoſus ſimplex*, *roſatus*, quibus ſemper addatur aliquid de *ſyrup. biſantino*, vel *ſyrupus acetoſæ compoſ.* vel *de radicibus cum aq. lupulorum*, *cichorii*, *endiuiæ*. Poſtea fiat aliqua euacuatio materiæklilioſæ cum *electua. de pſyllio*, *diacathol. diaphœnic. rhabarb.* Epithema ſit ex *aquis roſ. endiu. ana* ℥ ij. *aceti* ℥ j. *ſant. rubr.* ʒ ij. *ſpodii* ʒ j. Inunctio etiam fiat ex *olei roſati* ℥ j. *ſpeciebus cerati ſantal.* ʒ ij. *aceti modico & ceræ*. Et ſi eryſipelas ſit, addi poſſunt magis infrigidantia, vt ſunt *aqu. lactucæ*, *ſolatri*, *ſemperuiui*. In augmento verò applicentur reſoluentia mixta cũ mollientibus, vt ſunt *olea de ſpica*, *de maſtiche*, *chamom. amygdal. dulc. ſeſamino cum mucilag. ſeminum altheæ*, *lini*, *fœnugræci*, *medulla crurum vituli*, *pingued. anatis*, *pulueribus abſynthii*, *ſpicæ*, &c. Vel fiat fomentum tale:

Epithema. *Vnguentum.*

℞ *Fœnugræci*,
Sem. Lini, *Anethi*,
Sem. acetoſæ ana ℥ ß.
Flor. Chamomillæ,
Meliloti, *Abſynthii ana* M j ß.
Spodii,

Fomentum.

Galan.

Galangæ,
Spicæ,
Squinanthi ana ℥ ij.

Bulliant in aq. ad consumptionem medietatis. Vel fiat emplastrum tale:

Emplastrum.

℞ Emplastri de meliloto,
Cerati de œsypo ana ℔ ß.
Oleor. amygdal. dulcium,
Chamomelini,
De spica q. s. ad incorporandum.

Ad intra verò perseueret vsus leniter resoluentium & aperientium. Si verò intra dies xx. quem terminum Hippoc. statuit 1. *Prognost.* non resoluatur, & febris persistat, vel potius intendatur vnà cum dolore, significat inflammationem tendere ad suppurationem, quam sequitur aut mors, aut hydrops. Paucissimi enim & nisi exiguus valdè sit abscessus, liberantur.

DE MORBIS VESICVLÆ *fellis.*

CAPVT XIV.

Dissensio Anatomicorum de fabrica & vsu vesiculæ fellis.

DE fabrica & vsu vesicæ fellis dissentiunt inter se Anatomici, idcirco de morbis eius & affectionibus necesse est etiam, vt dissentiant. Affirmant aliqui, tunicam vesiculæ triplici constare fibrarum genere, attractionis, retentionis, & expulsionis causa. Et separationem bilis à sanguine in epate dicunt compleri expultrice, & vtrique functioni comparatos esse peculiares meatus, qui vocantur χοληδόχοι & χολαγωγοί. Alii contra negant in tunica vesiculæ triplex genus fibrarum esse, nec

eſſe, nec diſtinguet inter meatus χοληδόχους & χολαγώγους, ſed rectum meatum ex epate in inteſtinum duodenum dirigi volunt, qui à veſiculę collo propagetur, & eidem patente oſculo coniungatur. Negant verò & tres virtutes; & immitti in veſiculam bilem ex prędicto meatu regurgitatione quadam contendunt, cum ſcilicet meatus inferioribus eius oſculis copia chyli obturatis bile diſtentus tumet. Expulſionem verò fieri ſolere veſiculæ ab epate compreſſione. Etſi verò huius loci nõ eſt, hanc controuerſiam diſcutere, tamen ad priorem opinionem vt ꝓpius inclinem, moueor tum aliis argumentis, quæ longum eſſet recenſere, tum hoc etiam, quod qua virtute fiat in epate ſeparatio quatuor diſtinctorum humorum, ſi nulla eſt veſiculæ attractio, non reperio. Iudico itaque veſiculam fellis affici omnibus morborum generibus. Sed dyſcraſia, quæ languefacit virtutes, & adfert imbecillitatem, nullis manifeſtis notis certò cognoſci poteſt, fit tamen cauſa multorum morborum, vt ſi languet expultrix, bilis diutius ibi detinetur, & maiore copia coaceruatur, tandemq; vel aduritur & concreſcit, vel putreſcit; ſi retentrix languet, tota bilis effunditur: Si attractrix languet, non rectè bilis expurgatur.

Opinio qu[...] ctoris.

Veſiculæ fellis morbi.

Organici morbi crebrius accidunt, atque inter hos præcipuè obſtructio, calculus, repletio & inanitio. Obſtructio has eaſdem habet cauſas, quas in aliis partibus, ſed aliàs meatus bilem ex epate in veſiculam deferentes, aliàs bilem ex veſicula in inteſtina educentes intercludit. Cõmunia vtriq; ſunt aluus aridior, excrementa albicantia, vrinæ flauæ, craſſæque, interdum in tantum, vt ad nigre-

Obſtructio.

Signa.

dinem etiam tendant; bilis, quæ à sanguine secreta propemodum in intestina descendere consueuerat, sanguini permixta in totum corpus dispergitur, & sua tenuitate ceu exudans ad cutem, totum corporis ambitum flauo ictero deformat; sed hoc interest, quod priore impedito χολιδόχῳ, nihil in vesiculam admittitur, ideo ipsa exhausta prorsus est; in altera cùm nihil emittatur, vesicula copiâ turgescit, & diuersa symptomata gignit.

Calculi. Calculi in vesicula concrescunt non rarò, aliàs plures, aliàs pauciores numero, magnitudine diuersi, colore obscura viredine nigricantes, interdum vnus tantùm ex flaua bile crassiore ac viscidiore calore epatis vicini longo tempore indurato, sicuti in furno lateres coquuntur, præsertim si vterque vesiculæ meatus obstruatur. Sed horum calculorum neque notæ manifestę sunt, neq; symptomata, quibus agnosci possunt, nisi quod longo ictero laborantibus tale quid accidere posse coniectari licet. Sunt verò calculi vesiculæ fellis magna ex parte leues, qui in aquam proiecti non subsidunt, vt renum & vesicę calculi & intestinorum, sed supernatant.

Vesiculæ fellis distensio. Copia maiore iusto collecta bilis sæpe vesiculam ingentem in molem distendit, infestans cùm grauitatis, compressionis & suffocationis sensu, cùm ructu, ardore, siti, iracundia, & si putredo accedit, febribus intermittentibus. Sic cum tota effunditur bilis, cōcitat biliosas vomitiones, choleram, diarrhœam biliosam, dysenteriam, nec rarò sequitur interitus vniuersa bile ex vesicula, vomitu, fluxuvè alui exhausta, sicut in diarrhœa biliosa & cholera experimur. Inter hos morbos obstru-

ctio frequentissimè accidit, & suis commodissimè notis cognosci potest. Sed cùm ferè icteri causa sit, curationem eius *infra* trademus.

DE MORBIS LIENIS. CAPVT XV.

Lienem inter παρεγχύματα laxa raraque substantia, & venarũ arteriarumq; multiplici serie pertexta, destinatum esse expurgãdo humori melancholico, qui ceu fex sanguinis crassior est ac limosior, constat ex anatome. Quapropter & substantiæ & structuræ & officii ratione omnibus est morborũ generibus obnoxius, cum leui occasione impleri distendiq;, & in tumorem attolli, facilè etiã à crasso humore, cuius est receptaculum, obstrui possit. Sed inter hos morbos frequentissimi sunt & familiarissimi dyscrasia, languefaciens virtutes & destruens actiones eius in attrahendo, & vicissim in excernendo melãcholico humore, vel alterando, vt cum calore præter naturam adustus degenerat in bilem exquisitè atram; Obstructio, quæ ferè in scyrrhum degenerat, ἐμφύσημα seu inflatio; scyrrhus; φλεγμόνη seu inflammatio. Si itaque non educat lien ex epate succum melancholicum deficiente scilicet virtute attractrice, fertur hic sanguis admixtus in totum corpus, & cutem atro vel liuido colore denigrat, quod morbi gen⁹ icterum nigrũ nominant. Idem accidit, *si ductibus venarũ, qui ab epatis porta ad lienem tendunt, interclusis, humorẽ illum nõ admittant.* Accidunt verò & alia symptomata; *nam & oris fœtorẽ efficit, & gingiuas putrefaciendo exedit, & dentes languefactat.* Si attrahat quidem, sed non vicissim, vt conuenit, excernat

Lienis substantia structura & officium.

Morbi.

Icterus niger.

Symptomata.

in ventriculum & intestina, quod fit, si langueat naturâ vel ex accidente in iis, qui splenetici vocantur, præsertim si accedat creber & assiduus vsus ciborum gignentium melancholicum sanguinem; aut si vitio epatis redundet humor melancholicus, tunc impletur & obruitur succo melancholico, venis primò turgescentibus, postea toto eius corpore. Id cum fiat, magna ex parte sine scyrrho, sitque cum rugitu & murmure hypochondrii sinistri coniunctum ex plurimo flatu, qui ex humore illo in ventriculum & vicinam aluum erumpit, propterea nondum scyrrhus est, sed ἐμφύσημα & inflatio. Intumescit enim hypochondrium sinistrum sine duritie ex renixa vel conseruata figura, & circumscriptione lienis, vel occupato & expleto toto sinistro hypochondrio, ita vt respirationem reddat difficiliorem, præsertim in corpore vehementius agitato, vt in cursu, aut in decubitu dextro lienem tendente, & fit maior à cibo sumpto, appetitus non destruitur, sed aut persistit, aut intenditur: Acuitur enim frigiditate humoris, sed coctio læditur, quo fit, vt chylus gignatur aquosus & crudus, & os perpetuò madeat, flatus plurimi & toto ventre, & in sinistro præcipuè hypochondrio oberrant & obmurmurant, sursumque deorsumque erumpunt, corporis color pallescit aut liuescit, habitus languescit, accedente ignauia, mœstitia, timiditate, somnolentia turbulenta & molesta, cum capitis grauitate, effumante scilicet crasso atroque spiritu ad cerebrum. Interdum his fumis etiam cor tentatur, & ex his palpitatione corripitur, cum propensione ad animi & virium defectionem. Iuuantur autem omnes tales calidis, læduntur

Ἐμφύσημα.

Eius signa.

duntur frigidis. Accidunt hæc, dum humor melancholicus adhuc liquidus eſt, & fluidus; ſi verò liquida parte euacuata remanent craſſa, aut ſi tenuioribus partibus calore diſſipatis humor craſſeſcat, & totum lienis corpus obſtruat, ſenſim in ſcyrrhum obdureſcit, qui interdum in tantam aſſurgit molem, vt extra circumſcriptas lien metas effuſus omnem ſiniſtri hypochondrii cauitatem oppleat cum grauitatis cuiuſdam in eodem hypochondrio & doloris ſenſu. Et plerunque ex vitioſa curatione oritur, cùm inter initia, quod tenue eſt, digeritur ac diſſipatur; quod craſſum, induratur. Renititur autem tactui hic tumor propter duritiem, & omnia ſymptomata, quàm prior, adfert grauiora. *Eius cauſa.*

Si humor melancholicus longis vel ardentibus febribus, victu calidiore, æſtu, exercitio, longa mœſtitia, vetuſtate, efferueſcens, ſed citra putredinem degeneret aduſtione in bilem exquiſitè atram in ipſo liene; aut ſi in epate vel lienis genita atra bilis, vel ex flauę bilis, vel ex ſanguinis melancholici aduſtione, regurgitatur in lienem vel παγκρέας etiã & meſenterium, ſiue tumefaciat lienem, ſiue non, efficit melãcholiam hypochondriacam ſeu φυσώδη, ferè ſine dolore & diſtenſione hypochondrii ſiniſtri, ſed cum æſtu & feruore circa pręcordia ſemper velut ex inflãmatione, cùm ſit ceu inflammatio quædam hypochondriaca, & intenditur æſtus calidorum vſu, & adſunt ructus ac flatus perpetui. Sunt ergo duæ huius hypochondriacæ ſpecies: Vna mitior eſt ex humoris melancholici in ipſo liene aduſtione, cuius notæ ſunt aſſidua fixáque cogitatio, qualis eſt attonitorum *Melancholia hypochõdriaca.* *Φυσώδης.* *Eius ſpecies.* *1.* *Eius nota.*

aut stupentium suspiciones perpetuæ de reb⁹ malis, intempestiua verecundia, rusticus pudor, solitudo, mœstitia, timiditas, ignauia, animi deiectio, mentis & sensuum caligo, oculi nigricantes, turbulentus somnus, peruersum & sinistrum de rebus iudicium. Altera species ferior est & periculosior, in qua arteriæ in præcordijs & supra vmbilicum dilatantur & vehementer pulsant, cordi palpitationes crebræ accidunt, præsertim ab animi intentione, vel corporis exagitatione, nonnunquam & deliquia; cumq; vapor ater & calidus inde ad cerebrum efferatur, facies rubescit, venæ implentur ac distendũtur, mens turbatur & prorsus alienatur cum timore & mœstitia perpetua. Deniq; prioris speciei symptomata melancholiæ veræ, huius posterioris maniæ sunt similiora; sed ferè omnis hypochondriaca per interualla infestat, aliàs magis, aliàs minus, lõga vel mitior. Nam vaporibus, qui cerebrum obruerunt, dissipatis aut extinctis, vel saltẽ retusis, symptomata remittunt & mitescunt. Eadem recrudescunt denuò collectis, si tamen affectiones hæ in cerebro figantur & confirmentur. Prior hypochondriaca in melancholiam veram, posterior in maniam transit cum continua febre affligentem, quæ tandem desinit in marasmum.

II. Huius signa.

Cur melancholia hypochondriaca infestet per interualla.

Inflammatio lieni rarius accidit, quàm cæteris visceribus, ꝙ ea ex sanguinis affluxu & irruptione præter naturam prouenit. Talis autem ad lienem rarò tanta copia peruenit, cum fœculẽto crassoq; sanguini excipiendo sit destinatus; si tñ contingat inflammari lienem, similiter & ijs causis inflãmabitur, quibus epar; & symptomatis sese proferet

Inflammatio. Cur lien rarò inflammetur.

simili-

ſimilibus, quæ ſunt, *febris continua & ardens lingua aduſta ac velut incruſtata, lentor nigricãs & aſper, cibi faſtidium, ſitis inexplebilis, hypochondrii ſiniſtri diſtenſio, & tumor cum duritie quadam & grauitate, dolor pulſans, decubitus in dextro latere grauis & difficilis, interdum & in ſiniſtro.* Deniq; ea ſiniſtrum latus ſymptomata infeſtant, quæ in epatis inflammatione inferri dextro diximus. *Inflammationis ſymptomata.*

Deinde ſi inflammatio in abſceſſum ſe collegerit, & ſuppurari cœperit, id iiſdẽ in liene indicijs deprehendetur, quibus in epate. Omnis tñ lienis inflammatio aliquid melancholicum præ ſe fert, quia fieri non poteſt, vt non admiſceatur ſanguini quantumuis puro aliquid craſſi ac limoſi humoris, qui in liene reſidet. *Abſceſſus.*

Non rarò epar & lien ſuperflua, ſi quid conſuetas eorum euacuationes impediat, deponunt in meſenterium & παγκρέας, tãquam ſentinam corporis, quæ pars glanduloſa carne conſtat, coq; & propter laxitatem ſubſtantiæ promptè recipit & admittit ſuperflua, & propter imbecillitatem fluxionibus eſt obnoxia. Quo fit, vt hæc pars inflammetur aliquãdo ruptis vel exeſis meſaraicis venis, tandemq; inflãmatione abſceſſum faciente ſuppuraſcit, vel attollitur in tumorem frigidum, laxum & mollem, qui progreſſu temporis in ſcyrrhũ vertitur. Denique ſæpe, qui ibi colliguntur humores, aliorum morborum fiunt cauſa, vt ſi in aluum & ventrem effundantur per meſaraicas dyſenteriæ, diarrhœæ, choleræ, ſi vbi putreſcant, febrium lentarum, ſi citra putredinem ibi hæreant & cumulentur, καχεξίας, hypochondriacæ & ſimilium. *Inflammatio meſenterii & pancreatis.*

DE CVRATIONE.

EX affectionibus lienis prædictis communissimæ sunt, inflationes scyrrhi passiones hypochondriacæ, & infestant eum, vel sine dolore, sed nunquam sine obstructione, quod humor melancholicus crassus est natura, & ad crassitiem, si calor preternaturalis superueniat, mox etiam lentor accedit, sicut apparet in bile exquisite atra, quę picis instar lentescit & nitet. In omnibus his lienis affectionibus diligenter hi canones obseruentur.

Canones in curatione morborum lienis obseruandi.

I. I. *Ne vnquam tentetur euacuatio conferta & violenta humoris melancholici, sed instituatur per interualla & paulatim, nec tentetur, nisi humore ad euacuationem bene præparato, & viis omnibus diligenter expurgatis atq; expeditis*, vt & ventriculus sit liber à superfluis, & mesaraicæ, q̃ ad lienem tendunt, pateant.

II. II. *Cum humor sit frigidus & siccus atque crassus, & requirat calida, humida & attenuantia, diligenter cauendum est à valide calefacientibus & desiccantibus.* Vtraque enim indurando & humorem & viscus ipsum perducunt ad scyrrhum, calida digerendo id, quod tenue, sicca arefaciendo. *Semper itaque in spleneticis morbis medicamenta temperentur humectantibus*, quæ ceu emolliant ac fundant humorem, vt promptius fluat à medicamentis tractus, aut à natura pulsus & digeratur facilius calore. Calida verò sint temperata aut non valde fortia. Cùm verò *perpetuo humori melancholico in splene aliquid pituitæ crassæ & viscidæ sit admixtum*, præparetur ergo iis, quæ attenuant, incidunt, abstergunt, flatus dissipant, cum temperata caliditate & humectatione, non tamen sine astrictione aliqua, vt etiam tonus membri conserue-

seruetur, & semper addantur aliqua, quæ simul aperiant, sitq; maior intentio ad humectationem, quam ad fortem resolutionem. Non enim educi catarcticis humor commodè potest, nisi fluidus reddatur. Tota etiam diœtæ ratio sit directa ad humectationē & temperatam calefactionem. Calidior enim diœta adurendo succum melancholicū conuertit in bilem exquisitè atram. III. *Cùm, & humectantia ventriculo non conueniant, & lien sua vitia epati communicet, vix enim vlli splenetici sunt, quin iidem habeant stomachos imbecilles, & progressu temporis fiant etiam hepatici: Ideo in omnibus lienis ægritudinibus diligenter respiciendum est ad ventriculum & epar, imò ad omnia principalia membra*, quod humor melancholicus & vitæ & rationi inimicus est. Roboretur ventriculus, præmuniantur membra principalia, epar, cor & cerebrum: minus enim gignitur & coaceruatur humoris melancholici in corpore, si ventriculus cibos rectè excoquat, & elaboratum chylum epati transmittat. Deinde si epar conuertat chylum in sanguinem, bonum: quantò plus cruditatum colligitur, tantò plus congeritur & exaggeratur humoris crudi, crassi & inelaborati. *Sect. 2. aphorism. 9.*

In tumore itaq; & inflatione splenis, siue cum dolore sit, siue absque dolore, præmissa ventris lenitione cum medicamento aluum ducente, vel clystere, si malum recens est, aut cum intemperie calida coniunctum, vt cùm ad adustionem tendit materia & degenerat paulatim in bilem exquisitè atram, secetur basilica lateris sinistri. Deinde secundo, tertiovè die post, vel aperiantur hæmorrhoides, quarum fluxu in hoc casu nihil melius *Curatio tumoris & inflationis lienis.*

eſt,& magis præſentaneum, vel incidatur ſaphena pedis ſiniſtri. Quod ſi poſt ſanguinis miſſionem malum non fuerit ſedatum, aut ſi antiquum fuerit, coquatur materia & euacuetur paulatim, & pluribus vicibus, vel ſyrupis, vel decoctionibus, quæ fiant ex rebus appropriatis.

Commendantur autem præ cæteris *cortices radicum capparum tamariſci, fraxini, rad. geniſtæ, acori, gentianæ, ariſtolochiæ, herbæ ceterach, ſcolopendria, capilli Veneris, chamædris, chamæpytis, teucrion, thymus, epithymus, fumus terræ, praſium, ammoniacum, bdellium, galbanum, opponacum.* Ex frigidis, *ſemina & herbæ portulacæ, corall. fol. ſalicum, ſem. acetoſæ & attriplicis.* Denique omnia, quæ epati conueniunt. Vſurpentur ergo ad coctionem materiæ, ſyr. *de ſtœchade, de betonica, de lupulis, de thymo, epithymo, calamentho*, & cùm materia eſt aduſta, *de fumo terræ:* item de *pomis, de bizantiis, de duabus radicibus, omnia genera oxymellis, mel roſatum colatum.* Et ſi materia vergat ad caliditatem, aut ſit coniuncta intemperies calida, addantur *ſyrupi & iulepi violarum, ſyr. de endiuia, acetoſus ſimplex:* & diluantur aquis accommodatis, vt *boraginis, bugloſſæ, meliſſæ, cuſcutæ, lupuli, agrimoniæ, endiuiæ, portulacæ, &c.* Vel fiant decoctiones; vt in materia frigida:

Syrupus pro materia frigida.

℞ *Radicum Fœniculi,*
Acori,
Cyperi,
Glyzyrrhizæ raſæ ana ℥ ß.
Cort. radicum tamariſci,
Fraxini,
Capparum,
Filicis,
Polypodii quercini ana ℥ v.

Caryo-

Caryophyllatæ, Capillorum Veneris,
Scolopendriæ,
Cuscutæ,
Lupulorum,
Ceterach,
Stœchados ana M ß.
Calamenthi,
Agrimoniæ,
Portulacæ, ana P j.
Semin. Anisi,
Fœniculi,
Carui,
Portulacæ ana ʒ ij.
Vuarum passularum enucleat. ℥ j.

Fiat decoctio in duabus partibus aq. & tertia aceti ad casum partis dimidiæ. Colaturæ
℞ ℔ j. cui possunt addi,
Succus Boraginis,
Buglossi,
Fumi terræ, ana q. s.

Bulliant leuiter, & dulcorentur sacchָaro vel oxymelle simplici, melle rosato colato, syr. de stœch. aut aliquo prædictorum. Si materia calida est, misceantur herbæ frigidæ, *portulaca, endiuia, cichorium, flores violar.* Item fructus *iuiubæ, sebesten*, & aliquid de seminibus frigidis maioribus & minoribus.

Euacuationes fiant cum *diasenæ, diacatholicone, confectione hamech, hiera Ruffi, cum elleboro nigro, lapide Lazuli nouies abluto, & diligenter præparato.* Vel cum *decoct. myrobal. Indor. chebulor. emblicorum, thymi, epithymi, polypodii quercini, florum borag. buglossi, sem. anisi, fœniculi, herb. bugloss. cuscutæ. In qua decoctione dissoluantur lapid. lazuli bene abluti: & in puluerem triti ʒ ij. agar. candidi* *Purgantia.*

candidi in oxymelle infusi & expressi ℥ ß. fiat potio pro duabus vicibus addito sacharo, vel aliquo syrupor. Electuaria catarctica dissoluantur *in decocto passular. thymi, epithymi, ceterach, addito oxymelle, & melle rosat. colato.* vel exhibeatur *extractum ellebori, aut eiusdem decoctum.* Valent & pilulæ *de lap. Lazuli*, vt:

Pilulæ.

℞ *Hieræ Ruffi* ʒ ij.
Lapid. Lazuli abluti ʒ j ß.

Cum oxymelle compos. formentur pilulæ pro arbitrio; detur ʒ j. pro vna vice.

Si adsit caliditas cum vestigiis adustionis, addantur *rhabarbarum* infusam in aqua conueniente, *syrupus rosatus solutiuus, electuarium de succo rosarum, diaprunum solutiuum.* Misceantur & roborantia & post diligentem euacuationem assiduè exhibeantur species *diacalamenthi, diacumini, diacurcumæ, diatrion pipereon*, ratione ventriculi, *confectio de limaturæ ferri præparati.* Et si caliditas adsit, iungatur his species *diarrhodon Abbatis, diatrion santalon.* Item *puluis thymi, epithymi, ceterach.* Et hæc quidem exhibeantur ratione affecti splenis, ita tamen vt sicuti initio monui, membra principalia non negligantur.

Foris applicentur epithemata, fomenta, vnguenta, emplastra, vt:

Fomentum.

℞ *Radicum Altheæ,*
Maluæ,
Filicis ana ℥ j ß.
Seminum Fœnugræci,
Lini,
Florum Chamomeli,
Meliloti ana M j.
Fol. Calamenthi,

Melis-

Melissæ,
Cuscutæ,
Pulegii,
Seminum Anisorum,
Carui,
Fœniculi,
Cumini ana M ß.

Radices incidantur & cum sem. conquassentur & bulliant in s. q. aceti vini albi fortissimi. Ex hoc decocto cum spongia fomentetur regio splenis. Vel:

Linimentum.

℞ *Mucilaginum seminis lini,*
Fœnugræci, ana ℥ j.
Adipis gallinæ,
Anseris,
Anatis ana ℥ ij.
Axungiæ porcinæ sine sale,
Medullæ bouis,
Butyri loti, ana ℥ ß.
Pulu. cort. radicum tamarisci,
Rad. Capparum,
Rad. Fraxini,
Scolopendriæ,
Salicis,
Folior. Rutæ,
Calamenthi, ana ℥ ij.
Olei de Capparibus,
Laurini ana ℥ j ß.
Aceti parum,
Ceræ q. s. Fiat vnguentum molle.

Simile parari potest ex *vnguento dialthea, emplastro de meliloto, pinguedine anatis, medulla crurum vituli, butyro sine sale, oleo amygdalar. amararum vel dulcium, rutaceo, de capparibus, aceto & cera.*

Si con-

Curatio scyrrhi. Si coniungatur durities, vel inflatio tendat ad duritiem, & appareant manifestæ notæ aut incipientis aut confirmati scyrrhi, exhibeatur *ammoniacum in oxymelle dissolutum cum puluere capparum & scolopendriæ*, assiduè, forma pilularum & emplastrum applicetur ex *ammoniaco*, vel tale:

Emplastrum.

℞ *Ammoniaci,*
Bdellii,
Picis naualis ana ℥ j.
Corticum capparum, Scordii,
Stercorum vaccæ, ouis, exiccatorum ana ℥ j ß.
Mucilaginum sem. lini,
Fœnugræci, Cydoniorum,
Maluæ, Altheæ ana ℥ j.

Terenda terantur in puluerem, dissoluantur in aceto fortissimo, conficiatur emplastrum cum oleo amygdalarum dulcium, & chamomelino: aut tale:

℞ *Bdellii,*
Ammoniaci ana ℥ iiij.

Linimentum.

Dissoluantur in aceto squillitico. Deinde addantur:
Olei amygdalar. amararum,
Axungiæ porcinæ ana ℥ j ß.
Agarici optimè triti in pulu. ʒ vj.
Cort. rad. ellebori nigri ʒ ij.
Cort. rad. capparum ʒ v.
Modicum ceræ. Fiat linimentum.

Simile parari potest ex *galbano, ammoniaco, bdellio, oppopanaco, dissolutis in aceto forti cum oleo de capparibus, ruta, chamo. & rad. maluæ, bismaluæ, filicis, decoctis in aceto forti.* Vel ex *rad. cyclamini, caricis, ol. amygdal. dulcium*, formetur emplastrum. Applicari & fomenta possunt ex *radicibus maluæ, altheæ, lilii, cæparum, squillæ, seminibus lini, fænugræci, caricis pinguibus,*

uuis paßis enucleatis, infusis in aceto per noctem & posteà decoctis.

In hypochondriaca melãcholia ex bile exquisitè atra, seruentur eædem intentiones in phlebotomia, alteratione & euacuatione humoris peccantis, roboratione membrorum principaliũ, apertione obstructionum, vsu localium: Sed dominentur, quæ respiciunt humores adustos, & calidam intemperiem epatis corrigunt, sicut sunt *syr. de fumo terræ, de pomis, de succo boraginis & buglosi, de endiuia, de cichorio, cum rhabarbaro.* Item pro euacuatione, *confectio hamech, syrup. rof. solutiuus, elect. de succo rosarum, cort. elleb. nigri, serum caprinum.* Et accuratè præmuniantur cor & cerebrum. *Curatio hypochondriaca melancholia ex bile exquisitè atra.*

Quod si in cerebro materia cõfirmabitur, symptomata inferet maniæ similia. Quare in hoc casu plurimum proderit creber vsus enematum, quæ aperient, educent & reuellent quicquid ascenderit citra stomachi nocumentum. Sed attendendũ diligenter est ad epar & ventriculum. Epar enim ferè calida intemperie æstuat; ventriculus ex frigiditate languet. Corrigenda itaque erit calida intemperies epatis, & ventriculus roborandus. Si verò malum in cerebro confirmetur, instituatur cura, quæ *supra* tradita est, *in cap. de mania & melancholia.* Eodem modo in inflammatione lienis fiant phlebotomiæ partis sinistræ, sicut expositum est, & prouocationes hæmorrhoidum, præparatio & euacuatio humoris, qui nunquam est sine melancholia, & in loco affecto resolutio materiæ per topica, cum quadam emollitione, iisdem medicamentis, quæ dicta sunt. *Mania.*

DE ICTE-

DE ICTERO, CACHEXIA, HYDROPE.

CAPVT XVI.

CVM epar sit officina sanguinis, & succum melancholicum lien, biliosum fellis vesica ordine & lege naturæ excipiat, siquidem his affectis aut laboret humorum generatio in epate, aut non sit iusta & conueniens eorundem separatio, symptomata oboriri consueuerunt diuersa pro affectionum diuersitate, quæ magna ex parte totum corpus occupant. Huius generis sunt Icterus, cachexia, hydrops.

Icterum cui nomen dedit apud Græcos, secundùm Aëtium animal ἴκτις, Latinis viuerra, de genere mustelarum syluestrium, Latini etiam Regium morbum, & arquatum, & æruginosum vocant, vulgò Icteritiam.

Icteritia quid.

Est autem bilis per totum corpus effusio, modo flauæ, qui propriè Icterus dicitur, modo atræ, qui Icterus niger dicitur: modò vtriusque mixtim colore corporis ad viredinem nigricantem tendente, si partibus æquis humores misceantur, vel variante speciem pro ratione mixtionis & exuberantiæ alterutrius. Etsi autem *nunquam hydrops existit, nisi epate affecto,* Icterus tamen *citra epatis læsionem oboriri potest.* Est enim *Icterus propriè dictus aut criticus, aut symptomaticus.* Fit enim interdum ratione κρίσεως, cùm natura biliosas febres ita finit, vt materiam noxiam ex imo corporis foràs propellat ad summa, nullo existente nocumento in epate. De hoc ictero loquitur Hipp. 4. *Aph.* 64. *Quibus in febribus morbus regius septimo vel nono, vel decimo quarto superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit.*

Quotuplex.

ruerit. Si verò non iisdem diebus, non bonum. Semper itaque biliosa febris præcedat necesse est, quam, cùm repentè fiat, facit, si scilicet accidat diebus decretoriis vel iudicatiuis; sed non cum febre ipsa desinit, verum in plures sæpe dies perdurat pro materiæ effusæ crassitie aut tenuitate, sicut ostendit Galen. *in 5. de locis affect.* Vrinæ verò & alui excrementa neque colorem, neque consistentiam naturalem mutant, sed si quid febrile indicarunt ante bilis eruptionem, illo se mutante redeunt ad habitum naturalem. Sic de diebus ante septimum accidentibus pronuntiat Hippoc. 4. *Aph. 62. Quibus in febribus ante diem septimum morbus regius accidit, malum;* Eò quod non decretoriè ante hoc tempus tanquàm percocta iam bile fieri expulsio iam possit, sed symptomaticè propter aliquod vitium epatis, vtpote vel inflammationem, vel obstructionem, vel scyrrhum; sed scyrrhus subito non fit. Inflãmatio & obstructio de repentè existere possunt. In 4. *de regim. acutorum*, legitur sententia, quę cum hoc Aphorismo videtur pugnare, scilicet icterum ante diem septimum, si cum rigore inuadat, febrem soluere, si sine rigore, lethalem esse. Sed pugnantia non est; Posterior enim pars hoc dicit, quod Aphorismus præallegatus; Prior intelligitur de conatu naturæ in crisi contendente expellere bilem tenuem, acrem, & mordacem, cuius motus rigoris causa est, prorsus vt in abscessibus. Sine crisi fit icterus propter causas vel internas, vel externas seu procatarcticas. Procatarcticæ sunt, vt morsus viperarum, aut epotum venenũ, quo tota massa sanguinis incensa ceu ignescit, atque amissa puritate priore, in humorem bi-

liosum ac flauum conuertit, qui diffusus in omne corpus, & ad extrema detrusus, cutem inficit. Internæ causæ sunt vel ab epate, & folliculo fellis, vel ab habitu totius corporis calidiore, quæ causa, cùm rarius accidat, hoc loco à nobis omittetur.

Icteri ab epate suborientis causa.

Ab epate verò oritur icterus, vel supercalefacto, vel inflammato, vel in scyrrhum indurato, vel obstructo, iis meatibus maximè, qui vel flauam bilem ex epate in folliculum fellis, vel ex folliculo fellis in intestina euehunt. In inflammatione magnitudo incendii humores exustos vertit in bilem, quæ in totum corpus spargitur.

Ab inflammatione exorti signa.

Ab hac cum oritur icterus, adsunt ardens & continua febris cum aliis symptomatis hanc sequi consuetis, dextri hypochondrii grauitas ac dolor, deiectiones & vrinæ biliosæ. In epate calidiore plus flauæ bilis gignitur, quam recipi & expurgari à vesicula fellis possit, quare illa redundans cum sanguine fertur in totum corpus: cumque tenuior sit, erumpens ad summam cutem, colore flauo eam deformat. Si verò etiam cumulata in epate, corpus eius in tumorem attollat, paulatimque densata crassescat, ipsum etiam epatis corpus densat, & scyrrhum inducit, tumorem scil. durum ac renitentem, quem ferè comitatur hydrops.

Ex calida intemperie aut retentione bilis.

Si itaque ex calida intemperie fit icterus, aut ex retentæ bilis coaceruatione & densatione, febris aut nulla adest, aut lenta, vrinæ verò turbidæ sunt crassæ & croceæ, alui deiectiones albicantes: impeditur enim effusio bilis flauæ ad intestina.

Ex scyrrho.

Si verò cum grauitatis sensu durities apparet, scyrrhum iam inchoatum esse, certum est.

Ex obstructione.

Quod si ex obstructione sit, subitò inuadit sine febre. Sine

magna

magna corporis aut virium iactura, dejectiones albicant, vrinæ crassescunt rubentque, vt propemodum nigrescant, dextro hypochondrio grauitatis sensus inest sine conspicuo tumore, præsertim si meatus obstructi sint, qui tendunt ex vesicula ad intestina; impletur enim tunc vesicula ac tenditur, quod non accidit intercluso altero, qui bilem in vesiculam defert. Omnis itaque icterus citrinus oritur aut à vitio partium generantium bilem, aut à meatuum obstructione, per quos à sanguine bilis expurgatur; aut à vitio ipsius excrementi; estque symptoma in genere illorum, quæ consistunt in habitu totius corporis, scil. quæ colorem mutant. Primò omnium aũt album oculorum & partes, quæ circum tempora sunt, aut pallescunt aut flauescunt pro ratione bilis, quæ effunditur. Nam ferè aut pallida est, quam Græci ὤχραν vocant; aut flaua, quam ξάνθην; aut vitellina, quam λεκιθώδη nominant, cujus est flauedo intensior. Deinde tota cutis tingitur, venæ sub lingua etiam implentur, corpus vix sudat, sed plerunque prurigine tentatur, & ceu grauatum pondere atq; exolutum torpescit, mens sensusq; omnes languescunt ac hebetantur, & variis vexantur imaginibus. *Icteritia signa.*

In ictero nigro melancholicus humor ad cutem & summa corporis effunditur, quod cùm fit, perit floridus color corporis, proque viuido obscurus primum, mox liuidus, tandem ater etiam euadit; corpus minus grauatur, quam ictero citrino, sed perturbationes mentis & sensuum sunt maiores, & quidem metus ac mœstitiæ plenæ, vt in omni melancholica affectione, deiectiones alui *Icteri nigri,*

&vrinæ à naturali statu ferè non mutantur. Melancholicus humor, qui effunditur, aut in sanguine & epate redundat, copia maiore, quàm à liene expurgari possit, ratione victus & diœtæ; aut in ipso liene; quo fit, vt vel excipere amplius nequeat, vel etiam de suo in epar & venas refundat, cuius mali indicium est tumor hypochondrii sinistri, & sequuntur interdum etiam alia symptomatà, vel in certis partibus, vel in habitu totius corporis, vt in faucibus putredo gingiuarum, labefactatio dentium & similium. Nonnunquã & viæ, quæ deferunt ex epate melancholicum succum in lienem, obstructæ impediunt lienis expurgationem. Vtrisque meatibus obstructis, iis scilicet, qui vtramque bilem à sanguine segregant, oboritur compositi icteri species vtraque bile ad cutem summam effusa, in qua color ex viredine nigrescit.

DE CACHEXIA.

Cognata mala sunt, & ferè magnitudine tantùm differunt Cachexia, hydrops, ὕδερος seu ὑδρώπισις. Cachexia enim ferè hydropis principium est, sed vsurpatur etiam cachexiæ nomen generaliter de quouis prauo & vitioso corporis habitu, in quo corporis ipsius moles ceu inflata est ac tumida, ratione nutrimenti vitiosi frigidi, crudi & impuri, tum substantia, tum colore, qui

Cachexia causa.

color ad pallorem aut liuiditatem, aut flauedinem vergit, accedente lassitudine, ex qua corpus totum pigrescit. Contrahitur magna ex parte, vel ex impuro & corrupto alimento, vel vitio partium deseruien-

ſeruientium coctioni, & maximè ex imbecillitate ventriculi aut epatis, quæ cauſa eſt imbecillioris coctionis & cruditatis humorũ, qui in reliquum corpus quidem per venas diſtribuuntur & agglutinantur, ſed non aſſimilantur. Qua propter non vera ac perfecta, ſed vitioſa fit nutritio, & corpus ex humidiore illo & dilutiore nutrimento, ſi cachexia eſt à pituitoſo ſanguine, laxũ flaccidumq; & pretumidum euadit, aut durius aliquanto horridius & aſperius, ſi eſt melancholia. Cauſa imbecillioris coctionis in viſceribus eſt, aut dyſcraſia frigida, quæ magna ex parte cum humoribus impuris eſt coniuncta, aut ſcyrrhus. Sunt autem pro conditione humoris exuberantis diuerſæ ſpecies cachexiæ. Pituitoſa, qualis ferè cernitur in virginibus, quibus ex menſium ſuppreſſione natiuo calore ſtrangulato ac ſuffocato perit viuidus color, & facies intumeſcit atq; ex pallore vel liueſcit vel flaueſcit. Hęc antecedit hydropem leucophlegmatiam, eamque pronuntiat. Melancholica elephantiaſim præit & minatur. Sunt & aliæ ſpecies differentes ratione vitioſorum humorum, quos aut cibaria impura, aut corrupta viſcerum ſubſtantia gignit.

Cauſa imbecillioris coctionis in viſceribus.

DE HYDROPE.

CACHEXIÆ proximus eſt hydrops maximè, & σαρκίτης vocatur. Tres enim ſunt differentiæ hydropis: I. quæ appellatur σαρκίτης, ἀνασάρκα, ὑποσάρκα, καταсάρκα, λευκοφλεγματία. II. τυμπανίας vel τυμπανίτης, hydrops, ſic dictus à tympano, q; in eo imus venter vngue digiti percuſſus inſtar

tympani resonat. III. ἀσκίτης ab vtre, quod vtris instar imus venter copia inclusi humoris distentus tumet. Hippoc. illum scilicet τυμπανίτην ὕδρωπα ξηρὸν: Galen. hunc scilicet ἀσκίτην, ὕδερον ὑδατώδη nominat.

Hydropis causa.

Causa omnium est proxima frustratio generationis sanguinis ex epatis & venarum frigiditate, siue insita substantiæ visceris, siue illi ab aliis partibus communicetur, *nec fieri potest hydrops, nisi epar sit læsum*, siue per se ac primariè, siue per consensum.

A quibus partibus epar affici possit.

Affici autem potest epar, ab iis membris, quibus vel adiacet, quæq; vel proximè, vel non longo interuallo attingit, vt à ventriculo, mesaraicis, diaphragmate, liene, intestinis, renibus, matrice; vel quibus connexum est atque cohæret vasorum interuentu, vt præter iam dicta à pulmonibus, thorace, corde: scil. si sit in his partibus dyscrasia hectica, aut scyrrhus, aut inflammatio. Propterea Hipp. 2. *Prognost.* inquit: *Hydropes omnes incipere aut à lumbis & regione iliorum, aut ab epate*, intelligens per lumbos & regionem iliorum cætera membra imi ventris, à quibus magis, quàm à medio ventre epar læditur & frequentius.

Causæ externæ epar refrigerantes.

Refrigeratur verò epar vel ab euidentibus causis & procatarcticis, vel ab internis. Procatarcticæ causæ vel natiuum calorem obtundunt vel extinguunt contraria frigiditate, vt frigidæ & vitiosæ aquæ immodica ingurgitatio lactucarum & similium crudorũ fructuum intempestiuus esus; præsertim, si ab æstu vel exercitatione corpus incaluerit; vel calore fortiore & igneo temperatum natiuum calorem epatis resoluunt atque consumunt, vt vini meracioris assidua ingurgitatio, præsertim ieiuno ventre, inflammatio ex vulnere non

altè

altè penetrante, vel ex casu. Internæ causæ vel in ipso nascuntur epate, vel in vicinis partibus existunt, aut reliquo corpore. Harum aliæ calorem natiuum & spiritus exhauriunt ac dissipant, vt hæmorrhagiæ assiduæ & immodicæ, ex naribus, vtero, hæmorrhoidibus, fluxus nimius menstruorum alborum, diarrhœa continua, longa dysenteria, sicut testatur Hippoc. *6. Aph. 43. Quicunque lienosi à dysenteria corripiuntur iis superuenientem longam dysenteriam hydrops excipit, aut cauitas intestinorum, & moriuntur.* Quæuis euacuatio nimia & conferta humorum seu naturalium seu præternaturalium collectorum, quibus cum perpetuo magna spirituum copia expirat atque absumitur, sicut de empyicis & hydropicis testatur Hipp. *6. Aphor. 27. Quicunque suppurati aut hydropici vruntur aut secantur, si pus aut aqua confertim efflaxerint, repentè moriuntur.* Vt enim omnes seu à natura factæ, seu arte prouocatę euacuationes, si paulatim fiant, etiamsi longo tempore perseuerent, minus tamen incommodant, sic si semel ac affatim confertimq́; fiant, plurimum nocent, & ad interitum perducunt. Morbus acutus & vehemens, vt ardentes & continuæ febres, inflammationes ventriculi, mesaraicarum, intestinorum, matricis, &c. De qua causa Hippoc. inquit 2. *Prognostic. Hydropes cùm ad acutos morbos sequuntur malum.* Aliæ obruunt, strangulant & suffocant calorem natiuum, vt mensium aut aliarum consuetarum, vt hæmorrhoidum euacuationum suppressio: Denique omnis nimia in corpore exuberantia sanguinis. Aliæ extinguunt calorem frigiditate, vt scyrrhus lienis aut vicinarum partium ventriculi, intestinorum, renum, *Internæ.*

matricis, habituata intemperies frigida. In ipſo epate exiſtunt morbi, qui ad hydropem perducunt frigida intemperies epatis ſeu connata, vt in epaticis, ſeu acquiſita, vt inflammatio; ſeu immoderata caliditas, vt in febribus ardentibus, quo fit, vt ſæpe ſimul in epate dominentur, frigiditas calore natiuo diſſipato, & ignea caliditas, quæ natiuum diſſoluit, vnde & in talibus vrinæ craſſæ ſunt & rubicundæ, & ſitis adeſt inexplebilis: Item apoſtemata, ſcyrrhi, ratione obſtructionis longæ, vt ex quibus, qui accidunt ferè icteri exiſtunt, ſolutio continui, vt ruptura vaſorum, fiſſura ſubſtantiæ epatis, vt in intemperie calida, & ſicca, ex frigiditate & ſiccitate in ſcyrrho, vlcera relicta poſt ſuppuratam phlegmonem & abſceſſum euacuatum. Etſi autem proxima cauſa omnium ſpecierum hydropis eſt frigiditas epatis ex defectu vel interitu natiui caloris, ſiue adſit aliena vel ignea caliditas, ſiue nulla adſit, tamen differunt inter ſe tum aliis ſymptomatibus, vt tumore totius corporis, vel ſolius ventris, tum magnitudine cauſæ, id eſt, gradibus frigiditatis in epate impreſſæ.

Anaſarca. In anaſarca etſi vincit ac dominatur frigiditas, tamen aliqua adhuc eſt reliqua actio natiui caloris, qua fit conuerſio chyli, non in ſanguinem bonum, ſed crudum, pituitoſum & albicantem, ſeu potius in lentam & concretam pituitam. Fit & diſtributio; tali enim pituita per venas totum corpus impletur: vnde moles totius corporis increſcit æqualiter tali humore ceu ſpongia imbuta; non fit enim poſt appoſitionem vera agglutinatio, multò minus nutritio, ſed lentore ſuo, materia partibus adhæreſcit, eaſque tumefacit. Initio hu-

ius

ius mali pedes intumescunt, maximè vesperi & ab exercitatione, aut si declines, pendeant, tumor, si digitis imprimatur, cauitatis vestigium relinquit, per noctem tamē & inter quietem interdum subsidit rursus ac dissipatur, nulla pars magis, quàm altera, aut quam corpus vniuersum turgescit, sed totum æquabiliter molle, laxum, fluidum, tumidum ac pallidum euadit, propterea inquit Hipp. *6. Aph. 8. quod aqua inter cutem laborantibus vlcera difficulter sanentur*, scilicet propter imbecillitatem caloris natiui & exuberantiam pituitosi excrementi in habitu totius corporis, propterea corpus dissolutum & quasi eneruatum nimio labore fatiscit, functiones omnes languent & hebescunt, *febris adest assidua & lenta*, cum pulsu crebro & paruo, q̄ tamen sub noctem exasperatur. Vrinæ aut albæ sunt, tenues crudæ, aut sordidæ & inquinatæ. *Signa.*

In tympania multò maior est frigiditas epatis, de calore natiuo vero non, quantum ad immutationem aliquam ac distributionem requiritur, superest, nulla enim fit, sed quantum ad flatuandum alimentum satis est. Non potest enim substantia humida digeri ac dissolui in halitum, nisi à calore, nec si calor esset ἀνάλογος, expiraret in halitum, sed subigeretur & excoqueretur, sicut si fortior esset, adureretur & consumeretur. Imbecilliorem ergo necesse est calorē natiuum epatis esse, quàm pro ratione alimenti, cùm ne tentet quidem aliquam alterationem, sed solos eliciat atque exprimat halitus. *Rarius hic hydrops reperitur sine complicato ascite. Vix enim soli halitus citra humorum permixtionem vspiam in corpore paulò maiore copia coaceruantur*: sed cùm in hoc nec χύμωσις nec διάδοσις vlla *Tympanites.*

fiat, extabeſcunt extrema, imus venter impletur; flatus enim imbecilla coctione in ventriculo, inteſtinis & epate geniti, cùm coaceruantur, velut in colicis doloribus, exitum quærentes impetu & copia ſeſe in abdominis membranas ingerunt atq; infarciunt, per occultos & cœcos meatus, & eouſque huc illuc feruntur, donec patefacto exitu in caua ſpacia abdominis ſeſe effundant, iiſque impletis totum imum ventrem diſtendunt. Eſtque huius mali origo magna ex parte à ventriculo, vnde tandem epati communicatur. Loquitur de hoc Hipp. 4. *Aph.* 11. *Quibus adſunt tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter ſoluitur his hydrops ſiccus accidit.* Eſt itaque tympania *abdominis diſtentio à multo flatu in illius capacitate inter peritonæum & inteſtina collecto*, qui flatus paulatim denſatus nebularum inſtar craſſeſcit atq; coit in guttulas aqueas, vel roridũ vaporem, qualis eſt nebularũ, quo fit, vt ferè cum flatu nebuloſus humor coniungatur, moles abdominis minor eſt, minuſq; ponderoſa, quàm in aſcite, parum fluctuans, ſed flatuum agitatorum inſtar crebro obmurmurãs, venter pulſatus vngue reſonat, vt tympanum, & adſunt alia flatuum indicia.

Tympanites quid.

Aſcites.

In aſcite ſeu aquoſo hydrope nulla prorſus eſt reliqua actio caloris natiui, idcirco nulla fit chyli immutatio, nulla diſtributio, nulla in flatus reſolutio, ſed ab alieno & igneo calore vertitur chylus in humorem ſeroſum, ſalſum, acrem, qui quidem ex illo alieno calore mox etiam putreſcit, extrema areſiunt & emarceſcunt, abdomen inter peritonæum & inteſtina aquoſo ſeroq; humore ſenſim impletur, tum extenſa laxataque cute ſupra mo-

Signa.

dum intumeſcunt. Tumor quandoque totus intra abdomen includitur, quandoque pars eius in femora & pedes poſt motum, vel in ſcrotum etiã decumbit materia velut cuniculis actis eò ſubſidente, vrina reddit pauca, eaq; craſſa & rubicunda, præſertim ſi malum exiſtat ab epate, & à calore igneo ac præternaturali. Si venter manu impellatur, aut corpus ex vno latere transferatur in alterũ, agitatus humor intus fluctuantem ſonitum edit. Si ingraueſcat humor cõpreſſo diaphragmate anguſtum & difficilem reddit anhelitum: Si verò in thoracem penetret, ſymptomata infert, q̃ τὰς ἐμπυηκὰς ſolent affligere. Id verò quotieſcunq; accidit, malum eſt ac lethale, teſte Hipp. *6. Aph. 35. Aqua inter cutem laborantibus tuſſis ſuperueniens malum.* Item *Aph. 47. Aqua intercutem laborantes ſi tuſſi corripiantur, deſperati ſunt.* Quandoq; aqua exitu vi facto in inteſtina effunditur commouens alui profluuium. Quod ſi paulatim fiat, natura euacuationẽ gubernante ac moderante, ſoluitur morbus, teſte Hipp. *6. Aph. 14. Hydrope correpto ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſoluitur morb⁹:* Etſi de anaſarca potius, quàm de aſcite loqui videtur, ſicut in *7. Aph. 29. Ei, qui leucophlegmatia detinetur, ſi fortis fluxus vẽtris ſuperuenerit, à morbo liberabitur.* Interdum in vterum tota moles aquæ prorumpit & profunditur. Sed per quas vias aqua ex vẽtriculo, venis, epate, renib⁹, in caua ſpatia abdominis deferat̃, Medici q̃runt. Plerīq; nixi dicto Hipp. *totũ corpus eſſe συμπνοῦν κὴ σύῤῥουν:* Alii moti *7. Aph. 55.* vbi dicitur: *Quibus epar aqua plenum in omentũ eruperit, iis venter aqua impletur, & moriũtur.* Affirmant nunquam poſſe fieri aſciten, *niſi fiat ſimul ſolutio aliqua cõtinui in epatis ſubſtantia, renib. aut venis,* id eſt,

Per quas vias aqua ex ventriculo, venis, epate & renibus deferatur in caua ſpatia abdominis.

id eſt, niſi exceſo, aperto, rupto, fiſſovè aliquo iſtorum ſeroſius humor ex his excidat, & illabatur in abdomen, propterea ferè cōſequitur ad eos morbos, à quibus epatis aut vaſorum ſubſtantia finditur, vel exeditur, vel rumpitur, vt ad ſcyrrhos, inflammationes, ardentes febres, quales ſunt quartanæ, habituatam intemperiem aut frigidam aut calidam, à quacunque cauſa ſit orta, quibus epar arefactum dehiſcit ac finditur, perinde vt terra deſiccata. Promtiſſimè enim generat epar paulò languidius multum ſeroſi excrementi, atque eo ad extimam tunicam depulſo ὑδατίδας, id eſt, aquoſas puſtulas, Waſſerblaſſen/ ſicut in animantibus cernitur. Quod ſi & tunicâ ruptâ & fiſſâ ſubſtantiâ ſeroſo humori exitus pateat, omnis ille, qui in epate gignitur, & alioquin à ſanguine ſegregatus per emulgentes ablegatur ad renes, is, inquam, omnis effunditur in cauitatem abdominis. Idem renum ſubſtantia accidit, inde affluente ſeroſo humore in eandem cauitatem. Videtur itaq; rationi valde conſentaneum eſſe, in omni aſcite ſimul cum refrigeratione epatis cōiunctam eſſe, vnionis ſolutionem aliquam ex his, quas diximus. Etſi itaque omnis inueteratus hydrops, qui habitum corporis obſedit, curatu difficilis eſt, tamen citius curam admittit anaſarca, quàm reliquæ duæ ſpecies, & inter cæteras ſpecies plus ſpei relinquit τυμπανίτης quàm ἀσκίτης, ſcilicet, de cauſa, id eſt, de malo in epate loquendo, non de ſymptomate, id eſt, tumore ipſo, quem propter παρεγχέντησιν Aëtius facit curatu faciliorem in aſcite, quàm in tympanite. Idque velle etiam videtur Hipp. *in 4. de ratione victus in morbis acutis*, vbi duabus

Anaſarcam facilius curatam.

bus constitutis differentiis hydropis, humidum incurabilem esse, flatulentum multa indigere fortuna indicat. Etsi textus ille obscuritatem habeat, propterea, quod mutilus est & nominat hydropem ὑποσαρκίδιον, vbi ascitem nominare debebat. Communiter autem *omnis hydrops adfert spirandi difficultatem, tumorem, grauitatem, vitiatum colorem agris ex viredine albicantibus, cibi fastidium*, præsertim si malum sit ab epate, *potum appetunt largiorem plurimi*, maximè in ascite, in qua & in epate calor igneus est, & humor, qui in ventre continetur, salsus est ac putrefactus, quare & sitis & febris augescunt: *Febriunt enim in hydrope plurimi*, accessione sub noctem manifestè sese proferente.

DE CVRATIONE ICTERI.

IN curatione icteri vtriusque inspiciendum est, primò ad causam, postea ad symptomata, id est, deformitatem corporis ex coloris defœdatione. Si fiat ratione crisis, non est impediendus motus, sed adiuuandus diaphoreticis, & sudorem prouocantibus siccis vel humidis, intus & foris, quibus aperiantur & laxentur pori cutis. Si bilis sit crassa & viscida, attenuetur, incidatur & abstergatur. Foris conueniunt frictiones, balnea, inunctiones, ex resoluentibus & aperientibus, vt ex *oleo chamomelino, anethino, irino, amaracino:* Balnea, *ex decocto spicæ nardi, rubeæ tinctorum, chamom. meliloti, capill. Veneris, marrubii, origani, endiuiæ, scariolæ*, & misceri possunt semina etiam & radices aperitiuæ. Præcedant autem balnea, frictiones & exercitia, & exhibeantur ante ingressum, quæ sudo- *Icterus ex motu critico.*

rem

rem prouocant, vt *decoctum hordei excorticati, cum sem. anisi, in vino albo subtili, conditum saccharo.* Item *decoctum cicerum*, quibus, si fortioribus sit opus, addi possunt *capillus Veneris, lupulus; cuscuta, marrubium:* Item *radices asparagi, brusci, apii, buglossi, enulæ, eupatorii.* Item *ficus*: & si oriatur sudor post egressum ex balneo, eo tempore corpus calidis tegumentis fouendum, & continua abstersione denuo prouocetur, & caueatur omnis refrigeratio, quæ sudorem reprimat aut sistat. Si crisis non sit perfecta, non tentetur inter initia sudoris prouocatio, sed prius diligenter præparetur & euacuetur materia, quæ in corpore subsistit. Si ex inflammatione epatis sit icterus, prius inflammatio curetur eo modo, quo dictum est. Si à scyrrho sit, curetur scyrrhus. Item si à veneno sit, exhibeatur *theriaca* & *mithridatium*, dissoluendo hæc *in succo malorum acetosorum aut granatorum*, aut in *aquis endiuiæ, portulacæ*; & cor muniatur *Bezoarticis*, vt *confectio. liberantis, speciebus diamarg. specieb, electuarii de gemmis.* Æger sæpe bibat lac cum *ol. amygd. dulc.* Si sit itaque ex obstructione; vel à bilioso humore, vel à frigido pituitoso humore, in principio, id est, primorum quatuor dierum spatio, aperiatur basilica dextra, præsertim si sit ab humoribus calidis, in corpore calido, præmissa tamen alui lenitione cum *cassia* vel *manna*, vel *electuario lenitiuo dissolutis in decocto communi.* Hunc si terminum transierit icterus, caueatur phlebotomia, ne hydropem pariat, præsertim si corpus sit phlegmaticum & imbecillum. Neque exhibeantur vlla aperitiua, nisi expurgatis venis communibus. Deinde vsurpentur, quæ præparant materiam & simul aperiunt aliquantulum.

Curatio icteri ex inflammatione epatis.

In ma-

In materia biliosa crassa, quæ calorem alterant, & simul attenuant atque aperiunt, ordiendo à leuissimis, & paulatim accedendo ad fortiora; vt sunt *syrupus acetos. simpl. de endiuia, bizantinus, de cichorio cum rhabarbara, vterque de radicibus de lupulis, de prasio, cum aquis appropriatis*, continuando horum vsum, donec appareant in vrina signa coctionis. Vel fiat decoctum tale:

℞ Radicum Cichorii, *Syrupus.*
Endiuiæ, Apii,
Fœniculi, ana ℥ j ß.
Asparagi,
Brusci, ana ℥ j.
Herbar. Capillorum Veneris,
Adianthi,
Folior. Endiuiæ,
Scariolæ,
Hyperici ana M j.

Decoquantur, & in colatura dissoluantur succi eupatorii depurati ℥ v j. Dulcorentur saccharo, & acuantur aceto vini albi. Potest autem infundi & tale decoctum, vel in prædictos *syrupos rhabarb ℥ j ß. cum gr. v. spicæ*, & ad vsum exprimi. Apparentibus signis coctionis fiat euacuatio cum *cassia, manna, electuario de succo rosarum, electuario de psyllio, rhabarb.* Et si materia tendit ad pituitæ lentorem, aliquid addi potest *agarici*, vt:

℞ Rhabarbari electi ℥ j.
Agarici candidi ℥ ß. *Potus.*
Spicæ,
Salis gemmæ,

Rhabarbarum cum spica infundantur in aquis cichorii, endiu. & apii: Agaric⁹ in oxym. post horas xij. facta expreß. addan-

addantur colaturæ ℥ vj. cassiæ, elect. de succo rosarum ℥ j. Fiat potus. Vel;

℞ *Diacatholiconis ℥ ß.*
Electuarii rosati ℥ j ß.
Rhabarbari electi, ℥ j ß.
Spicæ gr. vij.
Electuarii de psylio ℥ j ß.

Rhabarbar. cum spica infundantur in aq. eudiuiæ, si sit calida intemperies epatis: in vino, si frigida, per horas x. Post fortem expressionem omnia simul dissoluantur in decocto communi, vel in sero caprino, in quo bullierit semen carthami, vel in infusione myrobalanorum citrinorum, scilicet horum ℥ iij. infusis in aqua casei cum ℥ j. passular. enucleatarum.

Post euacuationem accuratam tutò exhibeantur aperitiua fortia, diuretica, diaphoretica, & sudorem prouocantia. In quo casu commendatur plurimum *succus vel decoctum absynthii*, aut solùm, aut cùm herbis *eupatorii, cuscutæ, semine attriplicis, apii.* Item *decoctum cicerum vtrorumque rubrorum & nigrorum.* Item *trocisci de absynthio, de rhabarbaro, de eupat.* Item *species dialaccæ, diacurcumæ.* Quibus si adsit caliditas, addantur species *diarrhodon Abbatis, diatrion santalon.* Conferent etiam in hoc casu *puluis cornu cerui vsti, vel sola rasura cornu ceruini.* Item *puluis radicum rubiæ tinctorum;* Item *puluis vermium terrestr. præparatorum*, & similia. Si obstructio sit ab humore pituitoso frigido, addantur prędictis, quę magis attenuant, incidunt, abstergunt & aperiunt, vt genera *oxymellis*, vel *mel rosatum; Et in decocto radicum rubiæ, leuistici, acori, cyperi, aristolochiæ, semina carui, cumini, dauci, leuistici, pastinacæ syluestris*, & similia. Catarcticis etiam addantur, quæ magis

phlegma

phlegma ducunt, vt *myrobalani chebul. semen carthami.* Si obstructio sit in gibba parte epatis versus intestina, multum valebunt clysteria, quibus misceantur, quæ epar respiciunt, sicut sunt *eupatorium, absynthium*, & alia similia. Et in intemperie calida, *endiuia, cichorium, scariola, &c.* Epati etiam, si igneo calore æstuet, applicentur vnguenta & epithemata refrigerantia, vt *cerotum santalinum*, vel epithema tale:

Epithema.

℞ *Aquæ rosatæ,*
Acetosæ,
Absynthii ana ℥ ij.
Epaticæ,
Solatri, ana ℥ j ß.
Specierum ceroti santalini ℥ ß.
Spodii ℈ ij.
Spicæ ℈ ß.
Aceti fortissimi ℥ j ß.
Misce pro epithemate.

Obstructionibus omnibus expeditis, & his vsurpatis, si non redeat natiuus color corporis, reuocetur per ea, quæ dicta sunt in ictero ratione crisis.

Icterus niger curatur iis, quæ lienis obstructiones aperiunt & remouent, & lienem roborant, cuius curationis methodus cum *supra* sit tradita, eò lectores remitto.

DE CVRATIONE HYDROPIS.

In hac curatione obseruanda.

PRIMA consideratio in curatione hydropis cuiuscunque respiciat ad epar, in quo causa est 1.

vel per se, vel per consensum tumoris, qui aut totum corpus, aut abdomen occupat; Et ad symptomata, quæ magnitudinem affectionis ostendunt. Nam prouenerit hydrops, vel ex confirmato, vel inueterato scyrrho epatis, vel ex magna inflammatione, quæ in abscessum desinit, vel ex morbo acuto, vt febre ardente, sicut *in Prognosticis* testatur Hippocr. vel si tussim adferat, aut si subitam ac vehementem alui deiectionem, quæ vires exoluit, (nam interdum liberantur ægri natura sese per secessum, vrinas, & in mulieribus per vterum exonerante per interualla cum manifesta ægri alleuatione.) Aut si longæ dysenteriæ, teste Hippocr. 6. *Aphoris.* 43. aut diarrhœæ longæ, aut diuturnæ quartanæ superuenerint; In talibus casibus salus hydropicorum desperata est magna ex parte. Quare nunquam inchoetur medicatio, nisi præmonitis, qui astant, de periculo, qui ægrum vrget.

Hydropis desperati signa.

II. Secundò consideret Medicus fontem mali, an sit primariè ac per sese ex epate, an verò per consensum ex alia parte hydrops sit natus, vt à liene vel ventriculo. In quo casu non tam ad epar, quàm ad membrum principaliter affectum curatio dirigenda erit, (etsi epar nunquam negligendum est.) Deinde si ab epate extiterit, an à calida, vel frigida intemperie sit, & an cum febre sit coniunctus, an sine febre: *Semper enim cum calida intemperie hydrops curatu difficilior est*, quod intemperiem calidam augent medicamenta, quæ tumori diminuendo adhibentur.

Hydrops cũ intemperie calida curatu difficilior.

III. Tertiò, species hydropis consideretur, quantum ad subiectũ tumoris & materiæ. Aliter enim paulò

paulò anaſarca, quam aſcites, etſi vterque ex humore eſt, aliter tympanites curatur.

Quartò. Cùm hydrops ſit tumor præter naturã natus in toto corpore, vel abdomine ex epate affecto, & fruſtrà adhibeantur medicamẽta tumori cauſa præſente, quæ protinus reſtituit, quantum tumori adimitur: Ergo curatiuæ intentiones dirigantur ſimul ad epar & ad tumorem, id eſt, ità attemperentur epati medicamenta, vt intemperiem calidam leniter refrigerando, frigidam leniter calefaciendo reducant ad ſtatum naturalem, quantum fieri poteſt, & emendent imbecillitatem virtutis cõcoctricis, cuius vitio & errore malum omne prouenit, aperiant obſtructiones, attenuent craſſa, incidant & abſtergant viſcida, denique foueant calorem natiuum. Diminutio tumoris conſiſtit tota in exiccatione, quæ fit iis, quæ phlegma & ſeroſum humorem ac flatus euacuant, ſenſibiliter, vel inſenſibiliter: Senſibiliter, à quib⁹ ordiendum eſt per ſeceſſum, vrinas, ſudorem. Inſenſibiliter, per tranſpirationem inſenſibilem. Aluum cient *medicamenta electiuè ducentia, aſſumpta vel illita*. Vrinas prouocant *diuretica*, ſudorem *ἱδρώτικα, intro aſſumpta & foris adhibita, vt balnea ſudorifera*. Per cutem inſenſibili tranſpiratu reſoluunt *diaphoretica*, vt, vnguenta, emplaſtra, fomenta, balnea reſoluentia naturalia & artificialia. Hipp. *6. Aph. 27*. vnam adhuc indicat rationem euacuationis, quæ fit vſtione aut ſectione. Hæ duæ itaque intentiones ſemper ſint Medico in conſpectu, ſed ſi epar ſpem exiguam præbeat de tumoris depulſione & ſalute ægri eam nec Medicus ſperet & polliceatur.

IV.

Durch den Fuß das Waſſer laſſen. Jtem / in Bauch ein Loch machen.

Quintò. Cùm in omni hydrope epar ſit imbecillum & languidum, catarctica vſurpentur leniſſima initio, etſi fortiora natura toleret, illa tamen ita temperentur & corrigantur, vt quã minimum noceant. Ideò ſi ferre catarctica interna epar nequeat, prouocetur aluus emplaſtris aut inunctionibus catarcticis.

VI. Sextò. In medicamentorum vſu & applicatione hic ſeruetur ordo: 1. Primò exhibeantur, quæ humores & vias præparent, & ſimul intemperiem epatis alterent, & imbecillitatẽ corrigant. Poſtea adminiſtrentur catarctica, quibus corpore benè perpurgato diuretica ſuccedant, his diaphoretica interna atque externa, &c. Hipp. *in 4. de ratione victus morb. acut.* totam curationem hydropis, quæ in diœta & medicamẽtis conſiſtit, complexus eſt aptiſſimè, cùm inquit: *Duæ ſunt ſpecies hydropis, quorum hypoſarcidius, ſi hominem aggreditur, vitari non poteſt: alter ex flatibus conſtat, multoq; & bona indiget fortuna, maximè verò laborum tolerantia, fomentis & temperantia curatur. Veſcantur ſiccis & acribus, ſic enim & vrinam red[...]et copioſiſſimã, & plurimum roborabit. Si verò difficultas in reſpiratione adfuerit, & anni tempus fert, ætas iuuenilis, robur virium, ex brachio ſanguis detrahatur. Poſtea calidum panem vino nigro maceratum cum oleo æger bibat, laboribus ſeſe fatiget quàm plurimis, carnes comedat aceto decoctas, & aduerſus arduas reſiſtat inambulationes.* Omnia, quæ ad hydropem curandum requiruntur, hoc in loco Hippoc. expreſſit, præſertim ſi in epate ſit intemperies frigida, & ſi ſit ſine febre magna, *nihil enim tam conuenit, quàm abſtinentia à potu, & temperantia quarta omnino poteſt præſtari*, præſertim ſi ſitis ingens vrgeat,

Ordo in medicamentorum vſu obſeruandus.

gear, totaque diœtæ ratio constat calidis & siccis, exercitia sint crebra, sed naturæ congrua, ita vt non frangatur aut prosternatur virtus. Medicamenta etiam sint calida & sicca, & talia quidem, quæ in anasarca sudorem prouocent, & tumorem corporis insensibili spiratu discutiant. In tympanitide dissipent flatus. In ascite prouocent vrinam præmissa semper præparatione & euacuatione serosi humoris per catarctica lenia; his enim intentionibus præcipuè Medicus insistere debet. Quod verò phlebotomiæ meminit Hippocrates, diligenter obseruandum est: Nunquam in ascite aut tympanite conuenire sanguinis missionem, imò hanc adhibitam mortem accelerare, cùm exhauriat & dissipet caloris natiui reliquias, quæ exiguæ sunt, sed in anasarca inter initia quandoque posse vsurpari, si anasarca cœperit ex retentis præter naturam consuetis euacuationibus mensium aut hæmorrhoidum. Quanquam & in hoc casu Medico attendendum est diligenter, quid fieri conueniat, quid ferat ægri natura & morbi conditio. Auicenna addit alios casus, in quibus phlebotomia competit etiam initio ascites vel tympaniæ: si scilicet in epate vel liene sit inflammatio aut dolor pulsans, cum calore hypochondriorum, sed Medicus circumspectè agat. Præmissa itaque lenitione ventris exhibeantur, vt dixi, syrupi & decocta, quæ materiam & vias præparant, sicut sunt *syrup. acetosus simpl. & compos. byzantinus, vterq; de radicibus, mel rosatum, genera oxymellis.* Et si adsit intemperies calida, *syr. de endiuia rosat. de cichorio, cum rhabarb.* addendo semper aliquid rhabarbari, aut *de syr. ex absynth.* Aut fiant de-

In qua specie hydropis, & quando conueniat Vena sectio.

coctiones, quales *supra* traditæ sunt. Postea deueniatur ad euacuationem, quæ fiat ex clysteriis, & aliis per os assumptis, vel si virtus languida nequeat tollerare vim catarcticorum, vnguentis ventri illitis. In ascite & tympanite clysteria & inunctiones; In anasarca catarctica per os assumpta magis conueniunt. Ex lenissimis catarcticis sunt *soldanella, agaricus sine zingibere, myrobalani citrini, sagapenum, succus iridis; vtriusque nostræ & Illyricæ, rhabarbarum*, (quod nunquam omittatur) *species hieræ simpl.* quæ præcipuè valent in hydrope anasarca. Item *pilulæ de rhabarb. de eupat. succus iridis* exhibeatur cum *hydromelle vel sero lactis*, sitque crudus non coctus, *sagapenum* redigatur in trociscos, vel pilulas, vt: ℞ *Succi Enulæ*, ℥ xvj. *Huic infundantur*

Pilulæ de sagapeno.

Spicæ,
Mastiches ana ℥ iiij.

Bulliant vsque ad consumtionem medietatis. In decocto colato nutriatur sagapenum, donec impinguescat, deinde exiccetur & formetur in pilulas vel trociscos. Plurimum commendantur *puluis vermium terrestrium præparatus & soldanellæ*, qui possunt exhiberi hoc modo:

Puluis.

℞ *Absynthii sicci*,
Eupatorii Græcorum sicci,
Soldanellæ siccæ ana ℥ ij.
Spicæ ℈ ij.

Redigantur in puluerem tenuißimum, de quo detur ℥ j. cum *aqua sambuci aut ebuli.* Valent etiam *pilulæ aggregatiuæ*, quæ possunt acui cum *elaterii gr.* j ß. vel potest exhiberi talis potus:

Potus.

℞ *Eupatorij*,
Florum cordialium omnium ana M ß.
Agarici ligati in petia, ℥ j ß.

Bulli-

Bulliant in s.q. aq. cuscutæ ad consumptionem medietatis. In colatura dissolue:

Electuarii diacathol. ℥ vj.
Rhabarbari ℥ ij.
Spicæ Gr. x.

Rhabarbarũ cum spica teratur in pulu. & potus fiat. Fortiora sunt *Mezereon, ammoniacum, elaterium, turbith, colocynthis, scammonea, euphorbium, laureola.* Et composita, vt *pilulæ de mezereo, de euphorbio, de sagapeno.* Semper autem ordiendum est à leuioribus, neque ad fortiora vnquam ascendendum, si virtus sit languida, vt plerunque est in ascite: virtute autem cõstante nunquam exhibeantur, nisi bene præparata & correcta, vt: *Fortiora purgantia. Composita.*

℞ *Syrup. rosat.* ℥ ij.
Aq. decoct. fol. laureolæ ℥ ij.

Bulliant & aromatizentur cum cinnamomo: Aut,

℞ *Pilular. de Rhabarbaro* ℈ ij.
Aggregat. ʒ ß.
Mezereon ℈ j.

Formentur pilulæ cum syr. de endiuia, vel byzantino, pro vna aut duabus vicibus.

Emplastra laxatiua conficiantur *ex pulpa colocynthidos, laureola, euphorbio, succo cucumeris asinini, sublactis cum cera & oleo, aut butyro, aut decoctis in aqua althea, & contemperatis cum mucilagine sem. maluæ & altheæ.* Clysteria parari possunt tali forma, vel alia simili: *Emplastra laxatiua.*

℞ *Bliti, Mercurialis,*
Flor. Chamomillæ, Melilothi,
Eupatorii ana M j. *Enema*
Agarici ℥ ß.

Fiat decoctio. Colaturæ ℞ ℥ jx. *& amplius vsque ad* ℔ j. *addantur:*

℞ Flor. Cassiæ,
Hieræpicræ simplicis vel compositæ ℥ ß.
Ol. de lilio,
Chamom. ana ℥ j ß.
Salis ʒ iij. Fiat enema.

Et si fuerit caliditas epatis, addantur decocto *folia endiuiæ, scariolæ, &c.* In tympania conueniet talis clyster:

Aliud pro tympaniticis.

℞ Soldanellæ M j ß.
Mercurialis,
Florum Chamomillæ,
Maluæ, ana M j.
Seminum Anisorum,
Fœniculi,
Carui,
Dauci ana ℥ j. Bulliant in s. q. aq. ad casum medietatis. Colaturæ ℞ ℔ j.
Ol. Rutæ, ℥ iij.
Benedictæ, ℥ j.
Elect. de bacc. lauri ʒ j.
Vitell. oui, num. j.
Salis communis ʒ iij.
Sacchari rubri ℥ j ß. Fiat clyster.

Sed cùm omni aquositati sint admixti flatus, semper clysteribus iungantur itemque emplastris, fomentis, & illinitionibus, quæ simul flatus discutiunt.

Post euacuationem, quæ paulatim & pluribus vicibus facienda est, reliqua curatio dirigatur partim ad confortationem epatis, partim ad tumoris discussionem. Conuenient ergo ad diaphoresin & sudoris prouocationem in anasarca, *theriaca, mithridatium, electuarium de baccis lauri.* Pro confortatio-

Diaphoretica.

tatione epatis & vrinæ prouocatione in aſcite & aliis ſpeciebus, *trociſci de eupatorio, trociſci de abſynthio, trociſci de rhabarbaro, trociſci de lacca.* Item *ſpecies dialaccæ, diacurcumæ.* Et in tympania *ſpecies diagalangæ, dianiſi, diacalamenthi, diacumini, trociſci de aniſo, de capparibus.* Quibus addi poteſt aliquid de *ſpeciebus diarrhodon, & diatrion ſantalon*, præſertim ſi adſit calida intemperies; & exhiberi poſſunt talia, puluerum, morſulorum, aut electuariorum forma. Efficaces erunt & *ſucci praſii, calamenthi, ireos*, ſi horum ℥ iiij. exhibeantur *cum decocto hordei & ʒ j. vel ij. puluere ſoldonellæ*, aut *vermium terreſtrium præparatorum.* Item *vrina pueri & capræ cum ʒ j. ſpicæ, & ʒ j. mellis.* Emplaſtra, vnguenta, & fomenta parentur ex materiis conuenientibus. Commendantur autem vnguentum *Aregon, vnguentum Agrippæ, vnguentum Martiatum, emplaſtrum de meliloto.* Vel fiat vnguentum tale:

Hepar confortantia & diuretica.

℞ *Succi ireos, Ebuli,*
Radic. Sambuci ana ℥ j.
Succi cyclaminis ℥ j.
Cardamomi,
Calami aromatici,
Hyſſopi ana ʒ ij.
Cum cera fiat vnguentum. Vel:

Vnguentum.

℞ *Ol. Maſtichini,*
Laurini, ana ℥ j.
Baccarum Lauri ℥ ij.
Cyperi,
Coſti, ana ℥ j ß.
Stercorum caprarum,
Ouium exiccatorum in furno, & pulueriſatorum, ana ℥ iij.

Emplaſtrum.

Sulphuris,
Salis nitri ana ℥ j. *Misce &*
Aliud. *Cum melle fiat emplastrum.* Vel:
℞ *Ficuum,*
Caricarum pinguium ana ℥ j.
Stercoris columbini ℥ iij.
Spicæ nardi,
Mastiches ana ℥ j.
Decoquantur in vrina capræ, & addito modico mellis, fiat emplastrum.

Linimentum pro tympanitide. In tympanite fiat linimentum ex *fimo caprino, bubulo desiccato ana* ℔ j. *& cum succo absynth. & ol. rutaceo subacto.* Vel applicetur sacculus aut fomentum ad ventrem ex cumino, aniso, mylio, floribus chamomillę, meliloti, furfuribus grossis, & in ascite fiat fomentum tale:

Fomentum in ascite. ℞ *Betonicæ,*
Saxifragiæ,
Chelidonii ana M j.
Centaurii vtriusque,
Hyssopi,
Agrimoniæ, Fol. mezereon ana M j ß.
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Sem. Anisorum,
Fœnugræci,
Lini ana ℥ ß.

Bulliant in vino albo odorifero ad casum partis quartæ, & spongiâ in hoc decoctum intincta fomentetur venter. Aut foueatur venter cum vrina pueri, in qua dissolutum sit *halinitrum* (Salpeter) scilicet *in* ℔ j. *vrinæ feruefactis* ℥ iij. *halinitri ad consumptionem partis tertiæ vrinæ.*

DE MOR-

DE MORBIS ET SYMPTOMATIS *intestinorum.*

CAPVT XVII.

INTESTINA præcipuè ad hunc vſum condita eſſe, ſuperiora quidem, vt chylum è vētriculo depulſum excipiāt diſtribuantq́; epati, meſaraicis ſugentibus, & fæces tranſmittant ad craſſiora; Inferiora verò, vt fæces excipiant, & ſi quid adhuc ſucculentum eſt, percoquant ac digerant, reliquū egerant, oſtendit anatome. Seruire ēt inteſtina velut communem ac patulam viam, ac ceu ſentinam omnib⁹ totius corporis & ſingularum partiū ſordibus expurgandis, ꝙ eò ſæpe cum impetu feruntᷓ ac decurrunt, docet experientia. Quare plurimum refert, vt expedita ſint & pateant ſemper, iuſtoque tempore ſordes euehant, & rurſus plurimum etiā refert, ne nimis ſint laxa & profuſa. Etſi igitur ſubſtantiæ & fabricæ ſuæ ratione omnib. ſint morborum generib. obnoxia, frequentius tn̄ aut imbecillitate retentricis, vel expultricis, aut obſtructionibus, aut inflāmationibus, aut exulcerationib⁹, aut lubricitate, vel aſperitate infeſtari ſolent, quā aliis morbis. Ad hos ſequūtur ſymptomata in ipſis inteſtinis, cùm alia, vt dolores colici, iliaci, inflationes cum rugitu, vermiū vel lumbricorum generationes, tum verò fluxionum alui diſcrimine multiplicia. Quorū cauſæ ſunt *aut procatarctica* à cibis vel medicamentis, vel inordinato motu; aut *ſunt interna*, vel in inteſtinis ipſis, vel his nihil patientibus in partibus aliis, vt ventriculo, epate, liene, meſaraicis, capite, vel in toto corpore, in quo fluxionum genere inteſtina aliud nihil, quàm tranſitum præbent

Inteſtinorum officium.

Morbi.

Symptomata.

præbent humoribus aliunde appulsis. Quare differunt inter se non tantùm exortus sui initiis, sed & causis & materia, quæ ex primæ vel secundæ coctionis humoribus, aut ex colliquata humorum vel totius corporis massa, aut ex cerebro impulsa ruit in intestina torrentis instar. Quod si aliàs victrice natura excutiente, quod erat aut graue aut noxium atque infestum, vt in crisi; aliàs natura deficiente, cùm suo sese materia impetu incitat, vt in fluxionibus symptomaticis & colliquatiuis, in pestilent. ib. febribus, ardenti causo, phthisi, atrophia, hectica: in reliquo corpore aut partibus certis ex intestinorum morbis, præsertim ex obstructionibus varia ac periculosa sæpe oboriuntur symptomata, cùm fit aut regurgitatio fœcum ad ventriculum, vt in iliaca, aut putres, fœtidi, crassi & maligni halitus sursùm efferuntur ad ventriculum, ad epar, cor, cerebrum, vel cum sparguntur per venas in habitum totius corporis. Quare Medicus semper in omni morbo det operam, vt intestina pateant, sintque à fæcibus omnibus expurgata. Primùm autem symptomata declarabimus, quæ obstructiones alui, aut suppressiones ex obstructionibus, aut inflammationibus ex intestinis sequi solent. Postea de immoderati profluuii differentiis agemus.

DE COLICA PASSIONE.

Κωλικὴν διάθεσιν καὶ κωλικὴν ὀδύνην, vocant Græci, quam Latini *Dolorem colicum* nominãt. Celsus *lib.* 4. *cap.* 14. vocat morbum intestini plenioris, à loco. Et si enim laxius est κῶλον intestinum,

num.

num & amplius multò cœco, & amplitudinis ratione decebat minus obnoxium esse obstructionibus, tamen quod in anfractus est diremptum, & toto suo ductu ceu in cellulas quasdam peculiaribus interstitiis distinctas exuberat, deniq; quod fæces desiccatas iam suctione venarum in gracilibus intestinis, atque idcirco aridiores, crassiores, & minus ad fluendum idoneas excipit; diu sæpe in alueis etiam istis materias exceptas retinet, quæ quidem à calore variè etiam afficiuntur, vt apparet in excrementis, quæ proliciunt clysteria. Nam cum excrementis primæ coctionis simul eo deferuntur, & pituita cum flatibus, quorum prima origo est in ventriculo, bilis flaua, excremétum succi melancholici, quod ex liene in ventriculum & intestina depellitur, & hæc quidem regulariter & assiduè eo commeant. Accedunt verò aliundè sæpe alia plurima ex partibus aliis. Hæ materiæ ergo cum in crassioribus Intestinis sunt coaceruatæ atque congestæ, vel copiâ tunicas eius distendunt atque diuellunt, vel acredine pungunt; sed cum regulariter pituita vincat & excedat copiâ reliqua excrementa in illo loco, aut ex pituita genitus crassus & flatulentus spiritus, qui intra coli tunicas insedit frequentissimè ab his dolores colici excitantur. Interdum dolores existunt à tumore præter naturam in intestinis, vt ab inflammatione vel abscessu, interdum ab acri, mordace, & ferè bilioso succo. *Dolorum colicorum causa.*

Si ergo in hoc intestino flatus à duris & desiccatis fæcibus conclusi vel diffundere sese, vel eniti atque egredi nequeant, distorquent intestina, tensis atque diductis tunicis cum sæuissimi dolo- *Signa dolorum ex flatibus.*

tis ſenſu, ſed vagus eſt & inſtabilis dolor, quod huc illuc flatus diſcurrunt, quærentes exitum & conuoluuntur inter ſeſe, inque ipſo diſcurſu rugitum & murmur excitant, ſi arctè ſint concluſi, vt in obſtructione magna, nec per os, nec per palatum, nec per aluum exeunt, & præceſſerunt cauſæ flatuum genitrices, vt cibi flatulenti, aut longa cruditas, quam mox ſecuta eſt inflatio quædam & tenſio ventris cum torminibus: Egeſtiones verò ſi in aquam proiiciantur, propter incluſos ſpiritus ſupernatant, & bubulo ſtercori ſimiles euadunt. Interdum ex cohibitis flatibus ita impletur κῶλον, vt in magnam intumeſcat molem, vnde ſæpe regurgitati ad ventriculum pro ventris crepitu ructus commouentur fœtidi.

A lenta & craſſa pituita. Dolor à lenta & craſſa pituita, qualis eſt Praxagoræ vitrea, fixior eſt & ferè in vnā incumbit partem, tanta cum ſæuitia, vt perforantis terebri aut pali adacti ſenſum inferre videatur; commouet ructus, nauſeam, vomitum, cum aliorum humorum, tùm verò pituitæ. Aluus interdum adeo aſtringitur, vt ne quidem ſpiritum tranſmittat ſubtus, ſtercus, ſi quod emittatur, bubulo ſimile eſt, leue, flatu plenum, natans in aqua, præceſſit diæta frigida & cruda, vt vſus muſti, aut potus alterius non defæcati, eſus crudorum fructuum, repletiones multæ, ἀδηφαγία, ocium longum, interdum vomitus, nauſea, flatus, qui longò tempore perſeuerant. Nonnunquam præcurrunt præcordiorum dolor ex mordicatione aut compreſſione, faſtidium omnium ciborum; interdum pituita talis longo tempore coaceruata & adhæreſcens inteſtinorum fibris lentore ſuo, atque concreſcens

ſcens velut in oblongum canalem intus cauum inſtar fiſtulæ totam internam ſuperficiem inteſtinorum obducit ac ceu incruſtat.

Dolor ab acri & mordaci ſucco ardorem, ſitim, vigilias, febriculam adfert; vrina fit acris, deiectiones biliosæ & acres, cùmq; egeruntur, dolore feriunt nates, exacerbatur calidis & acribus, mitigatur contrariis. Hæc ſymptomata augentur & fiunt intenſiora, ſi dolor colicus ſit ab inflãmatione, & accedit alui vrinæque ſuppreſſio tanta, vt vix medicamentis cieri queat, ſequuntur & vomitiones biliosæ, & dolor pulſans circa eam ventris partem, in qua inflammatio conſtiterit. *Ab acri & mordaci ſucco.*

DE DOLORIBVS ABDOMINIS diuerſis à colicis.

SVCCEDVNT & interdum febribus diuturnis, quartanis aut aliis biliosis morbis dolores abdominis vehementia colicis ſimiles, & loco affecto, quorum tñ ſedes propriè in ipſis inteſtinis nõ eſt, ſed vel in peritonæo, vel in membranis, quæ abdomini & partibus ventris obtenduntur. Hi è flatu tenui, vel humore æruginoſo ortum habent, quem natura moliens expulſionẽ, ſi quid in meatibus inteſtinorum obſtat, depellit è venis & viſceribus ad mẽbranas. Hi graues ſæpe ac diuturni ſunt, nec faciiè aut clyſteribus, aut fomentis, aut catarcticis pharmacis leniuntur. Huc pertinet & ſymptoma tardæ egeſtionis, cũ & raro & difficulter, nec pro ratione ciborum aſſumptorum venter exoneratur, quo fit, vt lõgiore detentu in corpore fæces vi caloris & ſuctione aſſidua meſaraicarum exare-

exarescant & indurentur, in σκύβαλα retorrida, exucca & arida, qualia sunt caprarum aut ouium, & qualia sæpe eduntur ventre clysteribus emollito aut soluto. Quibusdã hoc malum natiuum est, in aliis causas habet vel externas vel internas. Externæ sunt, vt retentio longior fæcum præter morem, creber vsus acerborum & astringentium, p̃sertim si assumantur principio mensæ, exercitia & ieiunia crebra, præsertim æstiuo tẽpore, & in æstiuis ardoribus immoderatę & assiduæ ciborum ingestiones, quos nec vincere nec distribuere potest, cùm non concedatur ei tempus & spatium, item otium, decubitus, somnus longus, quibus natura hebetatur, & ignaua redditur ad omnes actiones προαιρέτικας & φύσικας. Internæ causæ sunt tres.

Causa externa.

Causa interna.

I. I. hebetior sensus intestinorum ex veterno, paralysi, apoplexia, aut cicatrice intestinorum cõtracta
2. ex solutione vlcerum post dysenteriam. Secunda, ex defectu seu penuria flauæ bilis, extimulantis in intestinis vim excretricem, vt fit in ictero ex ob-
3. structione meatus cholagogi. Tertia causa est στέγνωσις intestinorum, quę duplex est ἔμφραξις & πύκνωσις. Ἔμφραξις ab aridis durisque fæcibus, vel à crassa lentaq; pituita, vel ab inflammatione, vel à grumo sanguinis, carunculâ, aut tumore aliquo in intestinis, vel à concreto calculo. Πύκνωσις, id est, compressio fit vel à frigore, vel astringentium illinitione supra ventrem, vel ab inflammatione mesenterii, viscerum, renum, vesicę, vel à calculo vreterum. Sæpe autem retentio fæcum periculosa parit symptomata. Caput enim ferit & implet, corpus grauat, ventriculi coctionem offendit, & adfert alia multa.

Retentionis fæcum symptomata.

DE ILIA-

DE ILIACA PASSIONE.

SI vel à duris ſtercoribus, vel à copioſioris pituitæ craſſæ infarctu; vel ab inteſtinorum tumore, inflammatione, ſcyrrho, aut abſceſſu, aut compreſſione, vel ab illapſu inteſtinorum ſtercore repletorum in ſcrotum perlaxatum aut diſruptum peritonæum, vt in ἐντεροκήλῃ, id eſt, ramice inteſtinorum viâ inteſtinorum omnimodo interclusâ; nullas tranſmittat fæces, paſſio oboritur gracilibus, non craſſis inteſtinis, propria, quæ *ſymptoma eſt ablatæ excretricis*, vocaturq; à Græcis ἴλεος & χόρδαψος, Latinis *Voluulus* ſeu *Ileus*. Celſo morbus inteſtini tenuioris. Acutiſſimũ malum eſt, à quo vix vllus vnquam euaſit, Gal. teſte *6. de loc. affect.* nihil enim exit inferius, ne quidem, ſi aluus acutiſſimo enemate proluatur & irritetur, quod quidem proprium & inſeparabile ſymptoma eſt huius paſſionis. Dolor inuadit circumuolutus; ſtomachus fit humidior ſolito, ructus oboriuntur crebri, ſed inanes & nihil leuantes, murmura inteſtinorum, cohibitio ſtercoris & flatuum perfecta, vomitus non ſemper adeſt, ſed vbi aduenerit grauiter excruciat & exitialis eſt, teſte Hippoc. 7. *Aph.* 10. *Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio, aut deſipientia, malum.* Aduenit autem, ſi intendatur affectio, primum pituitæ biliſque vomitio, quod eſus etſi ad inteſtina deſcendit, tamen inde regurgitatur ac remeat ſurſum ſtercoris fœtore inquinatus, donec ad extremum, quod miſerabile eſt viſu, ſtercus ipſum reiicitur, aluo ſubtus adeo ſuppreſſâ, vt ne quidem ſpecillum admittat, toto cor-

Iliaca paſſio quid.

Signa.

pore frigescente cum eruptione sudoris frigidi & spirandi difficultate.

DE VERMIBVS IN INTESTINIS, quos lumbricos vocant.

PITVITA in intestinis coaceruata majore copia,& conclusa in seq; corrupta ac præparata, si putrescat, & ex putredine concipiat caloré vberem, ἀνάλογον atque accommodatum segregandis subigendisq; atq; excoquendis pituitæ partib⁹ ad formam animantis viui,gignit vermes, quos lumbricos vocant Latini, Græci ἑλμίνθας, quorum è *putredine* origo est, perinde vt calor cœlestis è materia putri vermes terrestres excoquit ac producit. Neq; ex vllo alio humore, nisi *ex pituita* generantur in intestinis, quæ vtraque qualitate putredini obnoxia est,& natiuum calorem habet imbecillé. Et quanquam in renibus,pulmone,dentibus, auribus, neglectis abscessibus, vlceribus sordidis, in pruriente scabie quandoque vermes reperiuntur; creberrimè tamen nascuntur in intestinis,quæ ordine naturæ sunt receptacula fæcum & pituitæ genitæ in ventriculo, auctæque atque cumulatæ intemperantiâ,otio, cruditatibus & aliis causis. Vt autem varia est putrescentis materiæ copia, positus,figura,ita variæ fiunt lumbricorum species,sed tres vsitatè recensentur, quarum duas Galenus ἑλμίνθων nomine complectitur, rotundos scilicet, & latos lumbricos; illos ἑλμίνθας στρογγύλας, hos πλατείας & κειρίας: Tertiũ genus ἀσκαρίδας nominat,quos Gaza apud Aristotelé *Tipulas* vertit. Sępè tñ ἑλμίνθων nomine cõplectitur omnes tres differentias;

Lumbrici ex qua materia generantur.

Varia lumbricorum species.

rentias; interdum eodem nomine intelligit solos lõgos lumbricos. Differunt inter se materiæ copia & paucitate, qualitatibus, gradibus putredinis, loco affecto. Teretes seu rotundi magis generantur in intestinis superioribus. Ascarides in parte maximè inferiore intestini crassi, i. e. in recto intestino, & ima parte coli, vbi capacioris spatii ratione major copia materiæ cõuenit, & citra impeditionem excretionis longiore tẽpore asseruari potest. Quo fit etiã, vt nõ vnus grandis, sed plurimi, imò innumeri tenues ibi generentur, quales apparent in jumentis malè coquentibus, quorum coctionẽ malã indicat fœtor excrementorũ. Ex intestinis gracilibus quandoq; ascendũnt ad vẽtriculum, cum quidẽ grauia symptomata adferunt, nonnullis ad os vsq; prorepunt, eoq; hiante prodeunt, clauso, per nares erumpũt. Ascarides ab ano cum pruritu emergunt. Lati lumbrici, *qui & longissimi sunt effigie seminis cucurbitæ, sæpe per tota intestina crassiora in ipsa gracilia vsq; extenduntur.* Ideo Aëtius & Paulus latos lumbricos *fieri volunt interiore tunica intestinorum tenuium in vnum corpus, cum ea, quam continet materia, excrescente, sed maior est lati lumbrici generatio.* Teretes & ascarides frequenter nascuntur in pueris, Hipp. teste 3. *Aph.* 26. præsertim in tertia parte ætatis puerorum, vsque ad annum XII. & XIII. Sunt autem lumbrici inter eos morbos, qui tota substãtia p̃ter naturã peccant in numero. Communis eorũ causa *est in materia crassa, lenta, sordida & viscida, cui suppeditant originem & pabulum, crapulæ & cruditates.* Deinde multus & frequens vsus eorum, quæ facilè putrescunt, vt sunt lac, casei, fructus dulces. Sed putredinis initium aliàs est ab alieno calore

Differentia.

Communis causa.

interius occupante materiam destitutam à natiuo, aliàs à causa procatarctica, vt à veneno, aut à materia vel qualitate venenata, contracta esu fructuum, quos polluerunt aut infecerunt insessu aut venenati humoris aspersione erucæ, & id genus animalia, quorum è putredine origo est; Siquidem compertum est, & ranas generatas esse in ventre exhausto cum lacustri aqua earum semine, & serpentes ex venenato potu, & vermes erucis pilosis & grandibus similes ex fructibus infectis ab erucis talibus. Comitantur lumbricos teretes ventris distensio cum murmure, & sensus mordicatione, præsertim ieiuno ventre, profluuia alui liquidiora, & lienterica, corporis dissolutio, faciei pallor, refrigeratio extremorum cum febre inordinata, quæ sine certis typis tertio interdum quartovè die aut noctu accessiones habet: Oculorum suffusiones & vacillationes, narium pruritus, stridor dentium in somno. Si sursum repant, morsu suctuque intestina vellicant, præsertim fame vrgente, exiguas tusses cum siccitate irritant, morsum oris ventriculi & animi defectiones cum tenui quodam & frigido sudore inferunt, item syncopas, epilepsias, tremorem, deuorandi conatum & strangulationis periculum: Nonnulli tremunt in somno, & præter naturam exurgunt, ac rursus collabuntur, aut exclamant etiam, aut delirantium more peregrina loquuntur, nonnulli singultu vexantur & linguam inter dormiendum exerunt, expergefacti, molestè id ferunt, deque vno latere in alterum sese volutant, & præter id, quod cibnm auersantur, reuomunt etiã, quæ accipiunt, aut sine nausea deglutire nequeunt.

Varia animalia in corporibus humanis posse generari.

Lumbricorum teretũ signa.

Iisdem

Iisdem symptomatis infestant lati lumbrici, quorum nimium fallax indicium est, si cum excrementis edantur aliqua similia seminibus cucurbitæ, teste Hippoc. 4. *de morb.* Sic & ascarides circa anum & musculum σφυγκτῆρα pruritum cient, quo signo discernuntur à reliquis speciebus. ***Latorum.*** ***Ascaridum.***

Censentur autem ex lumbricis maiores peiores esse minoribus, multi paucis, rubri albis, viui mortuis; Ascarides cæteris, tum quod tenues & exigui sunt, tum quod loco à partibus principibus remotiore gignuntur & consistunt, & quod cum alui excrementis promptissimè excernuntur, minus periculi habent. Inter cæteros lati rotundis peiores sunt, sicut & rariores. Hipp. 2. *Prognost.* inquit, *Lumbricos rotundos tendente ad crisin morbo descendere idoneum est. In morbis enim, si generentur in principio quidem ex corruptis humoribus, in vigore ex morbi malitia, circa declinationem ex permutatione in melius proueniunt.* Rotundorum bonam curam habere præcipit Paulus, quod illis neglectis, ægros exesos & conuulsos interiisse, sit compertum. ***Lumbrici peiores qui.***

DE FLVXIONIBVS ALVI.

Flvxvs alui seu profluuii ventris discrimina multa sunt, causis inter se discrepantia, sicuti diximus: alii enim fluxus ab ipsis intestinis; alii ab aliis partibus vel toto corpore oriuntur. Alii symptomatici sunt, alii critici. Hippocrates & Galenus interdum omnem alui fluxum nominant Diarrhœam: Interdum speciem certam; nominant etiam ῥοώδη morbum. Huius generis sunt: Cita seu liquida aluus, διέξοδος ταχεῖα, vulgò fluxus ***Fluxionum alui differentia.***

fæcalis, κοιλιακὴ, vulgò fluxus chylosus: Lienteria, vulgò fluxus cibalis: διάῤῥοια, vulgò fluxus humoralis, quo nomine etiam comprehenduntur αυωτήκλικα ῥεύματα, id est, fluxus colliquatiui à dissoluto & eliquato corpore à calore febrili, δυσεντερία, τήνεσμος, αἱμάτηρα, ὑποχώρησις, id est, cruentum alui profluuium, quod est aut ab epate, vocaturque vulgò fluxus hepaticus aut diarrhœa epatica, aut ab apertis hæmorrhoidibus πυώδης ὑποχώρησις, id est, purulenta excretio.

DE CITA ALVO.

Causa. CITÆ alui causæ, vt aliarum fluxionum sunt; vel in alimento, iisvè, quæ ex alimento in prima coctione gignuntur, vel in organis primæ coctionis, vel in aliis corporis partibus, aut toto corpore, vnde materia impellitur, quæ citam aluum commouet. *In assumpto alimento.* In alimento assumpto vitium est; aut in quantitate, aut in qualitate, siue sit insita, siue post acquisita, ex corruptione alimentorum, & ordine ciborum, scilicet si sint liquidiores ac molliores, vel lubrici nimis; aut pingues, vel pondere grauent ventriculum & intestina, vel pungant ac stimulent eadem sua acrimonia. *In membris.* In membris ipsis causæ sunt aut congenitæ, aut acquisitæ. De congenitis Hippocr. inquit: *Quibus iuuenibus aluus humentior, iis in senectute siccescit, & econtra.* *Sect. 2. aph. 20.* Mutatur enim temperies partium ætate. Acquisitæ sunt, frigiditas stomachi, robur expultricis, imbecillitas retentricis ex caliditate resoluente, & humiditate lubrificante, copia bilis acrioris, debilitas attractricis in epate;

6. Aliæ partes, quæ tranſmittunt humiditates ad ventriculum, ſunt cerebrum, epar, ſplen, & vtrique inſitæ meſaraicæ, renes & matrix, thorax, à quibus tamen oriuntur fluxus & habitus totius corporis, ſicut ſæpe leucophlegmatia alui profluuio ſoluitur.

Dolor etiam interdum fit cauſa fluxionis, quacunque exiſtat parte, eò, quod commouet & attrahit humiditates, ſicut fit in puerorum dentitione, in qua dolor pituitoſa excrementa cerebri, quæ redundant in infantibus, commouet & agitat. Hæc verò aut ad pectus decumbunt, & aſthmata pariunt, aut, ſi deferantur ad ventriculum, aluum cient; alimentum enim corrumpunt, & ſtomachi tonum relaxant & eneruant. Ad quæ & hoc accedit, quod doloris & caloris ratione auidius lac ſugant, id, cùm maneat crudum & incoctum propter ſtomachi laxitatem, & pituitoſi excrementi redundantiam, fluxiones auget. *Vnde fluxus alui in dentitione puerorum.*

In cita ergo aluo excernuntur fæces vel ſolæ, vel permixtæ cum aliis humiditatibus, ſed forma, colore, ſubſtantia, odore, tempore diſcrepantes ab excrementis alui naturalibus, quæ cum optima ſunt, mollia ſunt, ſed conſtantia, & eo tempore deijciuntur, quo ſecunda valetudine conſueuerunt, & cibis aſſumptis quantitate reſpondent, colore flauent, ſuntque ſine graueolentia. Ergo quæ excernuntur, diſtinguunt alui profluuia à poſteriore, ſicut cauſæ à priore. Quando continent cruda, diluta, fluida, humentia, colore albicantia, vel cinerea, grauiter olentia, cum ventris rugitu, vel murmure *Excrementa alui naturalia.*

absque manifesto sensu dolorum aut torminum deiiciunt. Cœliaca affectio vocatur vel lienteria, hoc discrimine, vt si leuia & æqualia suique similia, & quasi chyli specie edantur, cœliaca sit affectio: Sin inæqualia & dissimilia, in quibus reperiantur manifestè cibi neque confecti neque excocti, Lienteria sit, quæ à Latinis intestinorum & ventriculi læuitas dicitur.

Lienteria quid. Est enim lienteria *velox ciborum exitus, qui comeduntur & bibuntur, qui tales deiiciuntur, quales assumpti sunt*, cum neque secundùm substantiam, neque colorem, nec odorem, nec vllam qualitatem, sit facta vlla mutatio. Atque symptomata sunt læsæ concoctricis & retentricis, sed magis lienteria. Cœliacæ enim causa verè non est imbecilla ventriculi concoctio, sed *chyli imperfecta malaq; distributio*, propter obstructionem aliquam mesenterij, lienis, aut epatis; vel etiam propter alimentum, & maximè propter fructuum fugacium, aut potus nimii immoderatam copiam emollientem & relaxantem ventriculum & intestina. Ab his causis in abdomine multa coaceruatur illuuies, quæ aucta tandem corrumpitur. Cumque grauis esse cœperit à natura, vel copia, vel aliis causis irritata, vt leui medicamento, confertim & cum impetu expellitur.

Affectionis cœliacæ causa.

Signa. Pulsus in hac affectione fit celer & frequens, interdum leuiusculæ animi defectiones accidunt. Ante eruptionem abdomen tenditur, & venter prominet & tumet: Euacuato humore, & venter residet, & profluuium desinit spontè, interdum primo, altero, tertiovè die, interdum diutius vrget.

Lien-

Lienteriæ cauſa non impedimentum diſtributionis eſt, ſed *imbecillitas primæ coctionis*, cùm ventriculus, vel quod languidior eſt, non arctè continet, nec eouſque, donec exactè immutetur. Imbecillitatis cauſa eſt vel ventriculi vitium, per ſe & primariè, vel alterius membri κατὰ συμπάθειαν ventriculum afficientis. In ipſo ventriculo ſunt refrigeratio à potu aquæ frigidæ: Laxitas ſubſtantiæ nimia ex eſu pinguedinis crebro, aut aſſidua ingurgitatione potus: Aliena qualitas à fructibus, vel alimentis corruptis, à veneno hauſto, à cauſa procatarctica, mala cœli conſtitutione, vnde fit ἐπιδήμιος, lienteria. Aliarum partium culpa fit lienteria, cùm aliquid aliunde in ventriculum illabitur, vt pituita è cerebro laxans ventriculum & inteſtina ciboſque diluens; Bilis ex epate irritans ac ſtimulans expultricem: Abſceſſus abdominis, vomicæ pulmonis, aſthma, & aliæ cauſæ ſimiles. Addit Gal. *in comment.* 1. *Aphoriſ. parte* 6. *&* 12. *part.* 4. vnam adhuc cauſam, leuem & ſuperficiem tãtum occupantem exulcerationem, ſimilem illi, quæ in ore fit, quam nominat Aphtam. Hanc quod effici aut ab humoribus acribus ac mordacibus, quibus irritetur ventriculus, vt protinus, quod excepit, abiiciat & excutiat, perinde, vt fit in ſtranguria ab humorum acredine. Huic lienteriæ ſemper coniunctus eſt quidam dolor ex ſenſu cuiuſdam mordicationis, cùm in priore deiectiones fiant abſque vllo doloris ſenſu. Alterum diſcrimen eſt, quod quæ totius ventriculi & inteſtinorum ſuperficie abraſa fit, ceſſante humorum malignitate ſanatur cibis vel potu, quæ vim aſtringendi habent, ſed ſi lõgiore tempore perſeueret, in dyſenteriã tranſit.

Cauſa lienteriæ.

Alia ratio alterius eſt, quæ retentricis & alteratricis ſequitur imbecillitatem, cuius internas duas cauſas rectè Galen. ponit: Intemperaturam habituatam frigidam ventriculi & inteſtinorum. Altera eſt, pituitoſus humor frigidus imbibitus ventriculo & inteſtinis, & illitus, vnde talibus oboriuntur ὀξυρεγμίαι, quas Hipp. teſtatur, bonas eſſe in lienteria, quod aliquo vſque cibum retineri in ventriculo oſtenditur.

Sect. 6. Aphor. 1.

DE DIARRHOEA.

DIARRHOEA etſi in genere ſignificet interdum omne profluuium alui, tamen propriè ſpeciem illam deſignat, in qua deiiciuntur ſinceri humores ſpeciei certæ, ſine vehementi ſenſu doloris. Aliàs enim pituita ſeorſim, aliàs bilis flaua, aliàs melancholicus ſuccus, vel bilis exquiſitè atra excernitur. *Pituita ferè à ventriculo originem habet*, propterea Galen. *in commen. 32. part. 6. Aphoriſm.* inquit: *Diarrhœam diuturnam eſſe propriam affectionem ventriculi.* Et Hippoc. *6. Aphor. 15.* inquit: *Longo alui profluuio laboranti ſpontaneus vomitus ſuccedens morbum ſoluit.* Quod ſcilicet talis vomitus euacuat humores corruptos, qui coctionem in ventriculo impediuerunt, & liquidarum deiectionum cauſa fuerunt. Craſſa & mucoſa pituita ferè ab inteſtinis craſſioribus aut meſenterio prouenit, in quibus natura ſuperfluum omne organorum imi ventris recondere, & ſæpè longo tempore aſſeruare ſolet ad opportunam expulſionem. Sæpe naturâ oppreſsâ talia excrementa ſua ſponte inſiſtunt & coaceruantur.

Pituita vbi generetur.

Pituita craſſa vnde.

Tenuis

Tenuis spumosáque pituita è capite defluxit, teste Hippocrate 7. *Aphorism.* 30. *Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit.* Frequentes sunt hæ diarrhœæ in nostris corporibus propter intemperantiam. Catarrhis sese in ventriculum & intestina infundentibus. Hoc diarrhœæ genere obnoxios esse tradit Hippocrates, *sectio.* 6. *Aphorism.* 32. & *sectio.* 5. *Aphor.* 25. *balbos maximè & infantes, præsertim cum dentire incipiunt, propter humidiorem & molliorem cerebri temperaturam.* Dulcis & diluta pituita deriuatur ex habitu totius corporis, eodem Hipp. teste, qui vt s. dictum est, leucophlegmatiam ait solui profluuio alui, 7. *Aphor.* 29. Nec erit difficile discernere, à ventriculonè, vel intestinis, vel capite, vel habitu totius corporis originem pituita sumpserit, si diligenter hæ partes obseruentur & explorentur, in quibus manifestæ notæ alicuius affectiones apparebunt. *Vnde tenuis & spumosa.* *Vnde dulcis & diluta.*

Diarrhœa biliosa fit bile, aut flaua, aut vitellina, interdum & æruginosa ardente & spumante, è iecinore calidiore, aut vesica fellis, copia largiore in intestina depulsa, & citra dolorem insignem aut torsionem eiecta. *Diarrhœa biliosa.*

Adsunt tunc signa & indicia vel inflammationis, vel intemperatæ caliditatis, vel manifestæ obstructionis in epate, & congruunt causæ procatarcticæ tum præsentes, tum quæ præcesserunt. Hæc diarrhœa, ait Hipp. solui surditatē ex bile, & alios biliosos morbos, 4. *Aph.* 28. *Quibus biliosæ sunt deiectiones, hæ superueniente surditate, cessant: Et quib. surditas adest, superuenientib. biliosis deiectionib. cesșat.* Item 4. *Aph.* 60. *Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis è naribus*

è naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum. Melancholica diarrhœa aut à liene, aut à mesenterio prouenit, natura eò propellente humorem melancholicum, vel bilem exquisitè atram: deiectiones ad nigredinem tendunt, aut nigræ sunt prorsus, interdum adeo, vt aut picis atræ instar niteant, aut cum pulpa cassiæ conferri possint: Quod si factum fuerit, præsertim si ad melancholiam naturalem deiectiones accesserint, patebunt affectiones lienis aliquæ, vel ante gressæ, vel præsentes, ex suis vel peculiaribus indiciis. Rarior & hęc est cæteris, & ferè in dysenteriam vertitur, siue sit à melancholico succo, cùm quidem bonam esse dysenteriam, Hipp. pronuntiat *6. Aph.* 48. *Lienosis difficultas superueniens intestinorum, bonum:* si non ab atra bile oriatur, quæ, eodem Hipp. 4. *Aph.* 25. teste, lethalis est. *In morbis verò acutis vel diuturnis deiectiones nigræ semper lethales sunt,* Hippoc. teste, 4. *Aph.* 23. *Quibuscunque ex morbis acutis vel diuturnis, aut vulneribus, aut quouis alio modo extenuatis, nigræ bilis, aut velut niger sanguis per inferiora subsederit, postridie moriuntur.* Neque vnquam in initiis morborum sunt bonæ, teste Hipp. 4. *Aph.* 22. *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra vel infra extiterit, lethale.* Si ex colliquatione corporis oriatur diarrhœa, quod excernitur quasi pinguedine aut oleo perfusum apparebit, liquescente scilicet ac recens dissolutâ concretâ pinguedine partium, aut carnium humiditate, aut etiam solidarum partium in pestilentibus vel hecticis febribus, in phthisi, in atrophia, in inflammatione viscerum. Et hæ quidem diarrhœæ omnes lethales sunt, teste Hipp. *in lib. Epid. multis in locis.* De pestilentibus & malignis febribus

Melancholica.

Ex colliquatione.

bus, de tabe, noti sunt *Aph. 12. & 14. part. 5. Quibuscunque tabe laborantibus capilli de capite defluxerint, hi alui profluuio accedente moriuntur:* Et, *Tabe laboranti profluuium superueniens, lethale.* Est adhuc vna diarrhœæ species, cùm deiiciuntur humores certæ speciei, non sinceri; sed permixti, quæ diarrhœa nunquam bona est, Hipp. teste *in 2. Prognost. Deiectio exigua, glutinosa, candida, & subcrocea mala, potissimum si leuis sit, peior nigra, liuida, pinguis, fœtida, diuturnior, versicolor, exitialis.* Item 4. *Aph. 21. Deiectiones nigræ, sanguini atro similes, & sponte procedentes, siue cum febre sint, siue sine febre, pessimæ, & quanto colores praui fuerint plures, tanto deterius.*

Cruentarum deiectionum Gal. ponit quatuor differentias *in 3. de causis sympt.* Quarum primam speciem statuit excretionem puri sanguinis ac sinceri, & rutili & copiosi, qui profunditur aliquando ex hæmorrhoidibus apertis, quandoque regurgitatur per epar & mesaraicas in intestina ex vena caua, propter suppressam aliquam consuetam euacuationem, hæmorrhoidum, mensium, narium, aut propter ablatum membrum aliquod, cui debitus sanguis in corpore retinetur, qui nisi euacuaretur, corrumperetur & fieret causa morborum lethalium. hæc propriè est deiectio cruenta, ὑποχώρησις αἱματηρά. Alteram statuit Galenus sanguinis excretionem, qui verus cruor non est, sed dilutus & loturæ recens mactatarum carnium similis; cuius sæpe meminit Gal. vocant fluxum hepaticum vulgò. Fit enim laborante in epate virtute retentrice & alteratrice. Tertiam facit profusionem atri & melancholici aut splendentis sanguinis in affectione lienis & epatis, cum sanguis

Deiectionũ cruentarum differentia. 1. 2. 3.

guis aduritur. De hac loquitur Hippoc. 4. *Aph.* 25. *Sanguinem quidem supra ferri, qualiscunque sit, malum, infra bonum: præsertim si niger deiiciatur.* Excernitur autem talis magna ex parte ex hæmorrhoidalibus venis, & differt à diarrhœa melancholica, in qua ex ipso liene humor melancholicus refunditur in intestina per venas easdem, per quas ex epate in lienem transuehitur. Interdum talis sanguis editur, cùm ex rupta vel aperta vena sanguis in mesenterio vel in intestinis calore deustus concrescit in grumos. In his tribus speciebus & copiosus excernitur sanguis vna vice, & sine torsione intestinorum, sineque cruciatu. Et si in hypochondrio dextro vel sinistro dolor interdum grauans percipiatur, prout epar fuerit affectum, vel lien; neque continua est fluxio, sed aliquandiu insistit & postea recurrit ex interuallis paulò longioribus.

4. Vltimam speciem facit Galenus, in qua & sensim & crebrò, & per interualla minora, aliàs purus, aliàs concretus sanguis, simulque vel pingue aliquid, vel saniosum, aut purulentum, aut quales sunt, ἐσχαρίδες seu crustulæ vlcerum, aut ramenta, vel excisæ tunicæ intestinorum egeruntur cum dolore & torminibus. Etsi autem veteres Medici omnem cruentam alui deiectionem nominarunt dysenteriam, vt liquet apud Hippocratem, *in 4. de morbis acutis*, testatur idem sæpe Galenus; tamen recentiores id nomen accommodarunt ad vnam & solam hanc quartam & vltimam speciem, quæ est morbus in soluta continuitate.

Dysenteria quid. Est ergo dysenteria cruenta alui deiectio cum dolore

dolore & torsione ventris proueniens ab intestinorum exulceratione: Latini, vt est apud Celsum *lib. 4. cap. 5.* vocarunt tormina. Tres eius sunt differentiæ gradibus distinctæ, quarum prima est, cùm mucus, qui intestinis adhæret, & horum pinguedo, acredine humorum abrasa egeritur, sed aut permixta, aut aspersa cruore, & tunc quidem adhuc in fieri est morbus. *Quæ eius differentiæ.* 1.

Altera est, cùm intima pellicula intestinorum, quæ ἐπιδερμίδη seu cuticulæ corporis extimæ similis est, & membranosa existit ac densa, deteritur & abraditur, vt foris fit in leui scabie ac superficietenus excoriante, & tunc pelliculæ illius fibræ ac ramenta excrementis permixta apparent. 2.

Tertia, cùm exulceratio profundius penetrat, serpensque crassiorum etiam tunicarum substantiam putredine vel erosione depascitur, in qua si quando partes intestinorum adeo magnæ excernuntur, vt possint σάρκες seu carunculæ nominari, lethalis est dysenteria, 4. *Aph.* 26. & tunc quidem facta atq; confirmata est dysenteria, cùm quidem & ἐφελκίδες, id est, crustulæ vlceribus derasæ egeruntur. Neque vniri facilè solidarique substantia intestinorum, nec cicatrice obduci potest. 3.

Quæ verò intestina sint affecta, cognoscitur ex situ doloris, ex ratione permixtionis cum excrementis, ex forma ac specie excretorum, tempore excretionis. Si n. quę simul excernuntur *pinguedo, ramenta, sanies, cruor, carunculæ &c.* sint exquisitè permixta excrementis, confusaque tota cum totis, superiora intestina; si verò seorsim illa atque impermixta egrediantur, vel excrementis externis adhæreant, inferiora crassioraque intestina *Signa locum affectum distinguentia.*

vlcere

vlcere depaſcũtur; præterea, circa vmbilicum dolor percipitur & vrget vehementius, adeſtque ferè febricula cum ſiti & nauſea ac cibi faſtidio, cum deiectionibus bilioſis, porri colorem referentibus, aut variis, cùm inteſtina tenuia ſunt vlcerata: Altior eſt humiliorvè dolor pro ſitu inteſtini, vel ad latera, ſi craſſiora infeſtentur, in quibus excrementa egeruntur multa & cum flatib⁹, apparentq; ferè pinguia & cruenta ſimul cum ramentis; teſte Gal. *6. de loc. affect.* Porrò & ramenta & cruſtulæ & caruncula à craſſioribus inteſtinis maiores, à gracilibus minores prodeunt, & poſt ſenſum doloris mox ſequitur egeſtio affectis craſſioribus; poſt interuallum longius tenuioribus affectis.

DE TENASMO.

Teneſmus quid. IN hoc genere habetur Τεινεσμός. Teneſmus Plinio, qui eſt *exulceratio inteſtini recti cum aſsidua deſidendi egerendiq; cupiditate, in qua tamen præter mucoſum quiddam & ſubcruentum nihil excernitur.* *Vnde habeat nomen.* Nomen inuenit à ſymptomate, teſte Galeno *in comm. Aph. 27. part. 7. & in 2. Meth.* quod tenſio quædam fit circa inteſtinum rectum, quæ perpetuum egerendi conatum adfert.

Eius cauſa procatarctica. Cauſæ procatarcticę ſunt nonnunquam medicamenta acria & ardentia, vt colocynthis; aut venenata, vt puluis adamantis, qui ita ſeſe ingerit & inſinuat in ſubſtantiam ventriculi & inteſtinorum, vt eradi & euelli nequeat; Nonnunquam cibi acres aut putredine in ventre corrupti, vt fructus putreſcentes æſtiuo tempore; nonnunquam contagium, aut nimium frigus, aut nimius ardor.

Internæ

Internæ causæ sunt humores acres & mordaces, non rectà, sed per anfractus quosdam delati in intestina impetu infixique, & acrimonia exedentes atque exulcerantes. Horum origo est aut ex mesenterio, in quo longo tempore colligi possunt & congeri, vel è iecore, aut liene, aut vicinis partibus, vel ex venis maioribus, aut ex habitu totius corporis, quæ omnia suis sunt notis discernenda. Talis autem humor omnis est aut bilis flaua, vel similis alia ex genere bilis flauæ, vt æruginosa, aut bilis exquisitè atra, aut pituita salsa, quæ lentore suo adhærens, & acredine rodens sæpe periculosas dysenterias ciet, teste Galeno *commen. Aphor.* 3. *Aphor.* 12. *Interna.*

Hæ causæ discernendę sunt notis apparentibus in excrementis: Item aliis circumstantiis, vt anni tempore, constitutione cœli, ætate, præcedente victus ratione & similibus. *Si ab atra bile dysenteria incipiat, lethalis est*, inquit Hipp. 4. *Aph.* 24. Eò, quod cancro exulcerato similis sit. Ita *si velut carunculæ excernuntur in dysenteria, lethale signum esse*, testatur Hippocr. *ead. parte Aph.* 26. *& 6. parte Aphor.* 3. inter mala signa dysenteriæ recenset, si à longa dysenteria affecto adsit cibi fastidium, quod peius est, si sit dysenteriæ coniuncta febris. Inquit enim, *in longis dysenteriis cibi fastidium malum, & cum febre peius.* Non enim omnem dysenteriam febris comitatur aut cibi fastidium, sed sicut & Aëtius testatur *lib.* 9. *cap.* 43. eam, quæ gracilia intestina occupat, & ab humore acerrimo efficitur, qui è iecore aut maioribus venis, cum magna corporis permutatione prouenit. *Signa causarum.*

Purulenta excretio postrema inter alui fluxio- *Purulenta excretio.*

nes, hæc quandoq; exigua est & cum dolore prodit ab vlcere vel intestinorum, vel ani, quod relinquit aut tenesmus, aut dysenteria, aut inflãmatio. Constat id ex suis signis antecedentibus. Si pus copiosius erumpat, & sine dolore inter excernendum, oritur ex abscessu aliquo mesenterii, vt sæpe fit in colica ex inflammatione, cùm inflammatio desinit in abscessum & suppuratur, rarius ex abscessibus iecoris, lienis & pulmonis.

DE CVRATIONE DOLORIS colici & iliaci.

CAusæ vtriusq; affectionis variant scopos curationis. Quæ n. ab inflamatione existunt, curantur vt inflãmationes, de quibus sæpe hactenus dictũ est: sed periculosiores hæ sunt cæteris & in vniuersum, quo vehementia fuerit & perseuerantior ac pertinacior dolor, & aluus astrictior, pśertim ad iniectioné clysteris, eo plus aderit periculi. Aliter curantur, quę ab acrium & mordacium humorũ acetuatione excitãtur, & si hæ maiores sunt, vt quæ à veneni potu cõmouentur; aliter, q̃ ab ἐντερόκηλη seu ramice intestinorum: aliter deniq;, q̃ à flatu crasso, aut pituita crassa proueniunt, q̃ quidem sunt frequentissimæ. De his ergo pcipuè dicemus. Tales aũt in aliquibus sunt morbi longi, in aliis acuti & sæui, etsi ileos ferè semper acutus sit morbus, nec vnq̃ curatur, si vsq; ad vomitum stercoris excrescit. Cõsistit ergo summa curationis in duobus capitibus, in *præseruatione & curatione vera morbi præsentis.* Vtrumq; perficitur iis, q̃ attenuant, incidunt, abstergunt́q; & expurgãt pituitam crassam,

ſam,flatus diſcutiunt,& dolorẽ ſedant. Conueniunt ergo *ſyr.de calamen.de beton.de mentha,de maſtichẽ, mel roſ.colat. genera oxym.cum aq. fœnic. abſynth. betonicæ,rutæ*,& ſimil Aut *cum decoct.aniſor.ſem.fœnic.carui, dauci,anethi,cumini.* Aut fiat decoctum ex *radicib.galangæ, zedoar. enul. bugloſſ. borag. ſem. aniſi, carui,dauci, cumini in ſ.q aq. ad conſumptionem partis tertiæ. In colatura bulliant vnica ebullitione cinnamomi electi, caryophyllorum,nucis moſchatæ,macis, ana q.ſ. Et cum ſaccharo fiat ſyrupus.* Talibus verno & autumnali tempore in iis, qui crebrò in colicos dolores incurrere conſueuerunt, præparetur materia per dies cõtinuos ſeptem: Poſtea euacuetur cum *benedicta, diacatholico,diaphœnicone,elect.de baccis lauri.*& ſimilibus,&c.Et diſſoluantur *in decocto aniſorũ & fœniculi,* aut *radicum galangæ, zedoariæ,&c.* Tandem ad reliquias extirpandum & ad roborandum conferunt confectiones & alia, quæ diſcutiunt atque conſumunt,& ventriculo robur addunt. Hunc enim in omni dolore colico oportet diligenter cõfirmare, eo quod ſit fons pituitoſi humoris & flatuũ. Conueniunt ergo *electua. vſſinum optimũ cum ſacch.roſ.* vel *vinum alb. porũ,in quo ferbuerint,aut ſint per noct. infuſa, nux moſch. caryophylli, galanga, vel zedoar. cinnam. vel theriaca, aut mithrid.* poſt quorum vſum propinari poteſt ægro *hauſtus vini ma[illegible]* . vel *confectio ex ſpecieb. arom.roſ.diagalang. diacum.* Quibus,ſi ſit periculum epati ab horum calore, addi poteſt aliquid de *ſpec. diarrh. Abb.* aut *de diatragacantho frigido.* In præſenti dolore,& hæc ipſa vſurpari debent. Si dolor concedit inducias, & alia, de quib. iam dicetur. Eritq; optimũ & tutiſſimum ordiri ab enematis, à quib⁹ paulatim accedendum ad ea, quæ per os ſumuntur, Syrupus.

 & fo-

& foris applicantur, præsertim si clysteria parum profecerint. Conueniunt ergo enemata talia:

Enema.

℞ *Florum Chamomillæ,*
Meliloti,
Foliorum Maluæ,
Mercurialis,
Parietariæ veræ, ana M ß.
Anisorum,
Pulegii,
Calamenthi,
Fœniculi ana P j.
Furfuris grossi ligati in petia, ℥ j ß.
Bulliant in s.q. aquæ ad consumptionem medietatis.
De colatura ℞ ℔ j.
Olei communis ℥ iij.
Benedictæ ℥ j.
Hieræ picræ ℥ ß.
Sacchari rubri, vel
Mellis rosati colati ℥ j ß.
Salis communis ʒ ij.
Vitellum oui num. j.

Misce, & applicetur hora quacunque.

Si sit opus fortiore, decoctum præcedens addi possunt:

Electuarii de baccis lauri,
Diaphœnicon ana ℥ iij.
Benedictæ ʒ vj.
Olei lil. alborum ℥ iij.

Et si adhuc fortiore opus sit, dissolui possunt in decocto: *Hieræ logodionis ʒ vj.*
Benedictæ ℥ j.
Olei rutæ ℥ ij.

Nunquam autem inter initia sola & fortia calida

lida vſurpentur, ſed ſemper aliqua miſceantur, quæ paulatim humorem pituitoſum eliquent ac fundent. Si fuerit colica cum ariditate retentarum fæcum coniuncta, admiſceantur decocto *pingued. gallinæ ℥ iiij.* vel vſurpetur ius pingue gallinæ, aut tale aliquod decoctum:

Enema pro dolore ex retentarum fæcum ariditate.

℞ *Vini albi potentis,*
Olei communis, ana ℥ v.
Butyri recentis, ℥ iiij.
Vitell. oui, num. j.
Salis, ʒ iij.
Sacch. rubri ℥ j ß. *Miſc. fiat enema.*

Aliud ad flatus.

Et ſi flatus adfuerint, decoquantur ſimul *ſem. aniſorum, anethi, fœniculi, carui, dauci, ameos, carthami, ana q. ſ. pro decocto, ad clyſterem, in quo diſſoluantur catarctica ſupra dicta*, ſi fuerit opus.

Per os exhiberi debent, quæ *antè* in præſeruatiua ſunt recitata; quibus ſi nihil proficiatur, deueniendum eſt ad localia, quæ applicentur aut fomenti aut emplaſtri forma.

Fomentum.

Fomenta fiunt ex *floribus chamom. meliloti, fœnugræci, anethi, ſem. lini, abſynthio, mentha, pulegio, calamentha, abrotano: Hæc bulliant in vino potenti*, & fomentetur locus manè & veſperi diligenter. Poſtea inungatur cum vnguento aut emplaſtro, vt:

Vnguentum.

℞ *Ol. de caſtorio,*
Liliorum alborum,
Anethini,
Rutacei,
Cheirini ana ℥ iij.
Succi Althea,
Arthemiſiæ ana ℥ iiij.
Aq. ardentis ℥ j.

 Bul-

Bulliant simul ad consumptionem, deinde adde:

Nigellæ,
Macis,
Cardamomi,
Galangæ ana ʒ j ß.
Piperis,
Caryophyllorum,
Nucis moschatæ,
Ligni aloës ana ʒ j.

Iterum bulliant leuiter ad lentum ignem, & addito modico ceræ fiat vnguentum. Aut imponatur cataplasma ex *foliis & radicibus maluæ, altheæ, floribus chamom. meliloti. Farina sem. lini, fœnugræci, mylii, sem. anisi, fœniculi, cumini, cum ol. chamo. anethino, rutacceo,* & similibus. Si dolor his veris anodynis sedari nequeat, decurrendum tandem est ad narcotica, quorum natura cum contraria prorsus sit morbo & morbi causæ (densant enim tunicas intestinorum prohibentq; transpirationem & obstructiones augent, & humores ipsos reddunt crassiores, minusq; idoneos ad expulsionem.) Idcircò his cautè vtendum est, nec nisi vrgente necessitate & simul admixtis aliquibus, quæ humores moueant & educant, vt:

Enema narcoticum.

℞ *Oleorum rutæ ℥ viij.*
Castorii ʒ iij.
Philonii Romani ʒ iij.
Benedictæ ℥ j.

Misce, fiat enema. Vel:

Bolus.

℞ *Elect. Diaphœniconis ℥ ß.*
Philonii Romani ʒ j ß. Misce.

Alius.

Vel ℞ *Spec. Diagalangæ,*
Conser. Buglossi ana ʒ ij.
Philonii Romani ℈ iiij. Misce.

Exhibe-

Exhibeatur qualibet hora, & superbibat æger cyathum maluatici optimi.

Si dolor colicus ab acribus & biliosis humoribus excitatus sit, tutior est vsus narcoticorum. Nã vtroq; modo dolorem sedabunt, tum sensum partium hebetando, tum acumen & tenuitatem humorum corrigendo, sed tamen nec tunc his vtendum est, nisi præcesserit regularis & methodica curatio, quæ consistit in humorum talium conuenienti euacuatione. In quo casu conducent enemata *ex cremore ptisanæ, aut hordei decoctio cum succo seminis lini.* Item *decoctio maluarum, althee, fœnugræci, sem. lini, hordei, violarum, prunorum damascenorũ. In quo dissoluantur pinguedo anserina recens, vel gallinarũ pulpa caß. fist. vitella ouorum.* Per os etiam exhibeantur, quæ infrænent mordacitatem bilis, & densent tenuitatem, vt: *syr. rosatus, viol. de endiu. oxysaccharũ.* Contemperentq; *cum aq. hordei & melle ros. vel in quo ebullierit saccharum rosat.* postea euacuetur *cum pulpa caß. fist. lura simpl.* secundùm Gal. *syrupo infusionis rosarum, violarum, cum diacatholicone cum elect. de succo rosar.* Si euacuatione non sedetur dolor, humores ad temperiem reducendi sunt κατ᾽ ἐπικρατοῦν diætâ contrariâ, sicut tradit Gal. 12. *Methodi.* Si neq; hæc prosit, tum demum deueniendum ad narcotica.

Curatio doloris colici ab humoribus biliosis & acribus.

Enema.

Si à veneni potu sit dolor colicus, vomitus prouocetur statim, & proluatur venter infrà supraq; pinguedinibus, vt sunt iura pinguia aut olea. Et postmodum, vbi aliquantulũ quieuerit, theriaca offeratur, vel aliud simile, quod venenis aduersatur.

Curatio colica à veneno.

Si ad ἐντεροκήλην consequatur, nunq̃ curabitur, nisi intestinis in suum locũ repositis & peritonæo consuto, quod in valde senibus difficilimum est.

Ab enterocele.

Curatio ileos.

Eadem ratione ileos curatur, in quo tamen cùm malum superiora intestina occupet, insistendum est pariter vtrisque, cùm iis, quæ subtùs induntur, tum quæ per os immittuntur, vt quantum infra enemata prouocant atque proliciunt, tantum supra proliciant catarctica. Sed in vtroque malo diligenter obseruandum, an à copia aridi multique & angusti infarcti stercoris, an verò à pituita crassa & flatulenta dolor cieatur, quod etiam curatio ostendit; variant enim intentiones. Nam in arido stercore, eliquentia & emollientia; in pituita, attenuantia, incidentia, dissoluentia & abstergentia cæteris præualere debent, quæ in altera causa plus nocerent, quàm prodessent, sicuti illa in hac.

Quæ à tota substantia prosint.

Commendantur autem in colicis doloribus à tota substantia *stercus lupinum*, teste Gal. 10. *de simplic. med. facultatibus*, quod sit album & egestum à lupo, qui ossa deuorauit, quod terram non attigit, sed dumetis vepribusque adhæsit. Item *alauda cristata*, si crebrò commendatur. Laudatur etiam creber vsus *castorii*, *& menthæ*, *marrubiique*.

DE CVRATIONE VERMIVM.

LVMBRICORVM è pituita putrefacta originem esse, diximus, & differre inter se figura & magnitudine, pro ratione loci, in quo generantur; & materiæ, quæ est aut continua, nec vspiam interrupta porrectaque in longum, aut in multas diuulsa discerptaque minutas particulas, aut cum diuulsione simul diducta expansaque in latum. Quarũ tres differentiæ lumbricorũ cognitæ sunt,

inter quos longi & ascarides facilius, lati difficilius expurgantur, vtpote qui totos sæpe obducunt explentque ductus intestinorum, imò interiorum intestinorum tunicam firmissimo coalitu sibi circumdent. Cùm autem sint tota substantia præter naturam, expulsionem sui indicant; sed vt expellantur facilius, interfici eos oportet. Consistit ergo curatio in vermium interfectione & expulsione, quam natura molitur, sed adiuuanda est. In iis verò, in quibus vermium generatio suspecta est, præstandum primò, ne gignatur pituitosa materia, cuius fons est ventriculus. Deinde, ne coaceruetur, & diu moram trahat in intestinis, quod perficietur conueniente diæta, exercitiis, euacuationibus alui crebris, ventriculi corroboratione, vt rectè coquat, & similibus. ***Præseruatio.***

Interficiunt autem vermes amara, quæ aut frigida sunt, aut calida, varianda enim medicamentorum ratio est. Aliàs enim febris coniungitur cum vermibus putrida, tunc frigidis vtendum est, aliàs infestant absque febre. Calida sunt ex catarcticis, *aloë, turbith, colocynthis, ex radicibus zedoariæ, gentianæ, diptami nostri, centaureæ*, quæ simul habent vim alexiterii contra venenatas qualitates ex putredine; cui etiam occurrendum erit, vt à cerebro & corde auertatur, alioqui enim sæua & periculosa symptomata adfert, vt syncopas, veternum, epilepticos paroxysmos. Ex herbis, *absynthium, tanacetum, abrotanum, folia persicorum, ruta, mentastrum, sabina, corallina, agrimonia*. Ex seminibus *semen santonici, nigellæ, lupini, amygdal. amar. baccæ lauri, genera fellium, præcipuè taurorum, fellium luporum, lumbrici terrestres præparati*. Ex compositis, *theriaca*. Frigida ***Vermes interficientia.*** ***Calida.*** ***Frigida.***

 sunt,

sunt *semina Coriandri portulacæ, endiuiæ, lactucæ, succus plantaginis, terra sigillata, granata amara acetosa cornu cerui vstum, &c.* Ex istis pulueres & alias confectiones: Item Vnguenta, Emplastra, & fomenta parari possunt, quæ vel interficiant seorsim, vt necatos natura extrudat, vel simul enecent ac propellant. Vt:

Tabula.

℞ *Ligni Aloes* ℥ ß.
Zinziberis,
Macis ana ℥ j.
Cornu cerui vsti ℥ ß.
Menthæ,
Marrubij:
Zedoariæ ana ℈ iij ß.
Sacchari alb. q. s.

Saccharo dissoluto in aq. graminis fiat confectio in tabulis paruis. Vel:

℞ *Herbar. Absynthij,*
Sabinæ,
Corallinæ ana ℥ ij ß.
Zedoariæ ℥ j.
Tanaceti ℥ ß.
Gentianæ,
Diptami albi nostratis ana ℥ j.
Lupinorum,
Myrrhæ,
Cornu cerui Vsti,
Aloes ana ℥ iij.
Agarici ℥ ij. *Misce*

Fiat puluis, quæ exhibeatur cũ *aqua mellis aut vino dulci:* In pueris aloe, agaric⁹ & myrrha omitti posſũt & minui reliqua ẽt ꝓ ætatis ratione & viriũ. Valẽt sola semina santonici aut saccharo obducta, vt aui

dius

dius appetătur, aut sine sacchato. Item cornu cerui vstum. Ad eductionem vermium valent *pilulæ de aloe de hiera picra*. Item *pilulæ* Auicennæ, quas describit in *6. fen. 3. tractatu 5. cap. 8.* *Vermes educentia.*

Curatio vermium cum febre. Si febris adsit, misceantur puluere *seminum portulacæ endiuiæ lactucæ* prædictis, & exhibeantur cum *aqua graminis, aut endiuiæ aut aqua hordei*. Pueris propinetur tale decoctum: *Decoctum pro pueris.*

℞ Sebesten numero xx.
Sem. portulacæ ℥ ß:
Radicum graminis ℥ j

Fiat decoctū, quod dulcoretur saccharo & addatur ℥ iiij succi granatorum vel agrestæ, vel arantiorum. Si vermes sint in tenuioribus intestinis, aut repant sursum, reuocentur Clysteribus dulcibus ex *lacte bubulo vel Asinino cum saccharo*, vel ex *decocto Sebesten*. Si iam sese proripuerunt in ventriculum, proliciantur nidore lactis calidi per os & nares attracti. Venter inungatur foris cum oleo petroleo, aut felle tauri circa vmbilicum. Vt *Si vermes repant sursum* *Si in ventriculum se proripuerint.*

℞ Absynthij,
Nigellæ ana partes æquales.

Subige cum aceto, & addito succo Sambuci vel Ebuli fac Emplastrum. Vel. *Emplastrum* *Vnguentum*

℞ Ol. de Absynthio,
Amygd. amararum, Fellis tauri,
Aceti ana ℥ ß, Hieræ picræ,
Aloes ana ℥ j ß,
Farinæ lupinorum ℥ ij, Ceræ parum

Misce, fiat Vnguentum. Vel: *Emplastrum*

℞ Succorum Ebuli, Sambuci,
Aceti fortissimi,
Olei de absynthio ana ℥ iiij,

Foliorum

Foliorum persicorum,
Absynthii ana ℥ j.
Mentastri,
Rutæ, ana ʒ iij.

Coquantur ad succorum consumptionem: Deinde
℞ *Fellis tauri,*

Ceratum. *Aloës,*
Farinæ lupulorum ana ʒ ij.
Pulu. Diptami ʒ j ß.
Pulpæ colocynthidos ℥ j.

Fiat emplastrum. Vel:
℞ *Aloës succotrinæ* ℥ j.
Bdellii,
Absynthii ana ʒ ij.
Olei de absynthio & ceræ, ana q.s. Misce.

Fiat ceratum.

Si descenderint vermes ad anum vsque, & non exeunt; quod percipietur ex sensu titillationis aut mordicationis, excutiantur clystere decocto ex amaris. Vt:

Enema. ℞ *Foliorum persicorum M ij.*
Absynthii,
Centaurii minoris ana M ß.
Sem. Santonici ʒ ij.

Coquantur pro clystere. Istius decocti ℞ ℥ *xij. in quibus dissoluatur hiera picra simpl. vel compos. vel pulpa colocinthidos, vel puluis turbethi*, & similia.

DE CVRATIONE FLVXIONUM ALUI.

OMNIS alui fluxio aut spõtanea est, aut prouocatur medicamentis; quæ est artificialis; vtraque

vtraque duplex. Spontanea autem naturæ robore cietur,& ab eadem regitur, vocaturque critica; aut ob naturæ imbecillitatem materia impetu suo sese incitante prorumpit, quam vocant symptomaticam. Illam & signa iudicatiua præcedunt manifesta in morbis, & natura regit ac moderatur, quod expellit, quod qualitatibus est vitiosum: aut quantitate graue, quare fluxionem talem ægri leuiter ferunt. Neque enim vires debilitat, neque corpus aggrauat, nec pulsum aut anhelitum mutat. De tali fluxione, cùm humores qualitatibus peccant, loquitur Hipp. 1. *Aph.* 2. *In perturbationibus alui & vomitibus spontaneis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt; sin minus, contrà.* Nunquam ergo talis fluxus restringi debet, nisi modum excesserit, quod fit interdum, cùm humores sua malignitate naturæ tantam vim adferunt, vt nequeat eos continere. *Fluxionum alui differentia.* *Critica spontanea.*

In fluxu symptomatico considerandum est diligenter, quomodo æger se habeat. Si enim vires paulatim deficiant, corpus ceu pigrescat & exoluatur, pulsus & anhelitus elanguescant in deterius, malum est. Si extrema vel etiam totum corpus perfrigerentur, nec recuperent calorem natiuum, lethale signum est. Item si nigra deiiciantur inter initia morborum, quæ terram fermentent, ac redoleant acidum, aut virida vel æruginosa, vel varia, lethalia sunt. In declinatione morborum præsertim melancholicorum, nigra interdum liberant ægrum; (cæteris paribus) si virtus constat, nec vnquam sunt boni fluxus post longas ægritudines, si perseuerent sine sensu alleuationis, aut si pulsus sint formicantes, aut vermiculantes, nec *Symptomatica.*

post

post assumptum cibum mutent sese in melius. Sic & mentis alienatio perseuerans in longo fluxu, & deiectio appetitus & sitis & singultus,& pustulæ apparentes ac subito sese rursus condentes, partim mala partim etiam lethalia sunt. Nec bonum vnquam est in diuturno fluxu, ægrum auide comedentem non nutriri; & frequenter chronica fluxio omnis perducit ad hydropem. Sic si simul multa materia inter initia morbi effunditur, logitudinē morbi ob materiæ copiam portēdit; at fluxus colliquata substantia partium ab ardentibus, aut pestilentibus febribus, aut hectico calore in marasmo, lethale est prorsus. Rursus etiā in fluxu symptomatico, si constet ægri virtus, motus materiæ, præsertim vitiosæ, siue vna sit, siue multiplex coherceri temere non debet, nisi parte eius aliqua absumpta. Sæpe enim Leucophlegmatia alui fluxione soluitur; sæpe Catarrhi sese exonerant in ventrem; sæpe vrinæ retentæ per epar regurgitantur in intestina. Ex ægri itaq; virtute, ex iis, quæ excernuntur, ex symptomatis, quæ consequuntur, constituendum est, an tentari debeat repressio fluxus symptomatici vel non. Sed virtuti attendendum est inprimis diligēter, ne prius concidat, quam fluxum sistamus, & ne prius sistamus, quā ex aliqua parte natura sit liberata. Propterea Hipp. *Sect. 3 in aph. 3* in *seq. Aph.* de quantitate euacuationis cuiusque in genere inquit; *Euacuationes perducentes ad extremum, periculosæ.* Vterque fluxus, tam Criticus, quam symptomaticus, si modum excesserit, periculosus est, sed magis symptomaticus, in quo, cum à natura non gubernetur quæ bonum à malo secernit, vtrus(q)-

vtrumque promiscue ex cernitur & tum spiritus vitales cum calore natiuo absumuntur tum pabulum iisdem & toti corpori subtrahitur.

Artificialis fluxio est, quę medicamento prouocatur. In hac quoq; aut quod noxium est, educitur & melius habent ægri, aut non, & difficulter purgationem ferunt, quam nomine generali Hipp. *in præallegato* vocat Κεναγγίαν. Et de ea loquitur 25. *Aph eiusdem partis. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt, si contra, difficulter.* ***Fluxio artificialis.***

In omni ergo fluxione alui spontanea considerandum est, an fluxus sit Criticus, quem mouet & moderatur natura; an symptomaticus: Si symptomaticus sit, an lethalis sit, vel nō; an statim restringendus sit ac sistendus, an vero sit tolerandus aliquo vsq;, vt pars materiæ vitiosæ euacuetur. Indicabit id accurata cōsideratio ac pensitatio virium ægri, scilicet omnium trium facultatum principalium, quarum ἐνέργειαν indicabunt functiones & alia argumenta apparentia in exeuntibus. ***Quid in fluxione spontanea considerandum.***

Sunt autem in cuiusq; fluxionis curatione obseruāda sex capita. I. Locus, vnde fluit humor, qui est alias totum corpus, alias certa pars corporis. Nunquam tamē in loci consideratione negligenda est virtus membrorum principalium, eo quod semper simul fit euacuatio magna spirituum & caloris natiui. II. Locus, ad quem fertur, qui in hoc fluxionū genere est aluus, q̄ impulsos tumores ad ipsam nō retinet, sicut fit in tumorib. & abscessib. sed ꝓtinus rursus effundit ex corpore. III. Materia fluēs, q̄ est (vt dixi) vel stercus, vel cib⁹, vel chylus, vel humor certę speciei sincerus, aut cum alio permixtus vt pituitabilis flaua, humor melāncholicus, sanguis, & horū species variæ, vt purulētū q̄ddam. ***Capita in fluxionis omnis curatione obseruanda.*** 1. 2. 3.

IV. Meatus

IV. Meatus, per quos fertur materia. V. Tempus fluxionis, quando cœperit, & quousque perdurarit. VI. Symptomata, quæ fluxionem hanc in toto corpore, vel parte aliqua vna aut pluribus comitantur. Ex his enim instituenda est curatio.

In membro mandante consideranda.

In membro mandante considerandum est, an prohiberi debeat, ne transeat, & quando, an statim hoc fieri debeat, vel per aliquod tempus, & quomodo prohiberi debeat, ne transeat. In recipiente videndum est, an præmuniri debeat, ne recipiat, & quando materia alteranda sit, sicut de cæteris.

In recipiente.

Curatio lienteriæ.

In lienteria ergo cùm pars mandans sit ventriculus, siue imbecillitate ille laboret ex intemperie frigida & humida, cum vel sine pituita, siue ex apostemate, siue ex vlcere; (etsi ab intemperie oriatur frequentissime) præcipua curatio dirigenda est ad ventriculum ipsum. Intemperies sola alteretur calefacientibus & desiccantibus, si adsit phlegma viscidum, id post præparationem conuenientem educatur: Imbecillitas reliqua, quæ semper coniuncta est cum lubricitate & laxitate, quibus ceu eneruatur tonus ventriculi & intestinorum. Illa ergo corrigatur astringentibus, ac ceu asperantibus calidis & siccis, de quibus cum *supra* sit tractatum copiose *in ventriculi morbis*, cùm dictum est de imbecillitate concoctricis & retentricis, quæ duæ facultates ventriculi præcipuè laborant, cùm lienteria sequitur, methodus curationis & sylua medicamentorum inde repetatur. Eodem modo, si apostema vel exulceratio ventriculi causam præbeat fluxui lienteriæ.

Cœliaca, quæ est fluxus chylosus, cùm frequẽtissimè

tissimè fiat propter impeditam ex obstructione mesaraicarum, & simæ regionis epatis vel vtriusque distributionem chyli, raró propter lubricitatem intestinorum, eadem ratione & iisdem medicamentis prorsus abscinditur, quibus epatis obstructio, de qua *supra* dictum est: Hoc obseruato, vt materia, quæ obstruit regionem cauam & mesaraicas, ducatur ad aluum, quæ gibbam, ad vrinam. Nec propter fluxum vereamini vti solutiuis, quibus inest vis constipandi, sicut est *rhabarbarum, agaricus*; quànto enim plures meatus expediueritis, tanto citius fluxus desinit. Si vitio intestinorum, id est, propter imbecillitatem retentricis ex laxitate & lubricitate intestinorum cœliaca proueniat, quod rarissimum est: (Non enim tantâ celeritate præterlabi chylus potest, vt nihil abripiatur à mesaraicis) calefacientibus & desiccantibus, id est, astringentibus cum calore curabitur, sicut lienteria.

Diarrhœa pituitosa varia est: Interdum leucophlegmatiam soluit (vt dictum est) cùm à toto corpore oritur, quæ sistenda non est, sed si nimia sit, moderanda, ne naturam prosternat. Interdum à cerebro incipit, catarrhis defluentibus ad ventriculum & intestina, quibus coctio, euacuatio, reuulsio & diuersio debetur, vt de catarrhis dictum est. Interdum à matrice & renibus oritur, cùm scilicet meatibus, qui ducunt ad illas partes, obstructis, fit regurgitatio ad aluum. In his omnibus curatio dirigatur ad membra mandantia. De leucophlegmatia & catarrhis tractatum est *suprà*. De renum obstructione & vitiis matricis dicetur *infrà*. Si pituita sit crassa & mucosa, à ventriculo *Pituitosa.*

& intestinis profluit. Huic ergo fluxui curatio debetur, quæ lienteriæ & quæ ventriculo infrigidato & languefacto.

Melancholica. Eodem modo si diarrhœa sit melancholica, dirigatur curatio tota ad splenem, in quo materia præparetur & euacuetur, roboretur imbecillitas splenis, vt segregatum à sanguine melancholicum humorem promptè excipiat ac remittat. *Adusta.* Si verò signa adustionis appareant, adæquetur & euacuetur atra bilis, & calor alienus in viscere contrariis reducatur ad temperatum ac naturalem, ne procedat adustio & adaugeatur. Sicut in *tractatu de splenis affectionibus* dictum est. Et quidem diarrhœa melancholica frequenter fit à vitio splenis, interdum etiam ab epatis malo existit, aut vtriusque visceris: Quod inter se hæc viscera affectiones suas facilè communicent, quare ab vtrius vitio proueniat, attentè considerandum est.

Ex colliquatione. *Diarrhœa ex colliquatione corporis, siue ad acutos morbos, siue ad longas ægritudines consequatur, semper mala & lethalis est,* secundùm *prædictos Aph.*

Cruenta. In diarrhœa cruenta, si purus sanguis copiosè effundatur, attendendum, vtrum profluat ex apertis hæmorrhoidibus, vel sit à retentis mensibus, aut alia consueta euacuatione suppressa, vel propter defectum alicuius membri: tunc enim huic malo consuletur optimè venæ incisione, aut largi sanguinis eductione, & epatis roboratione, per ea, quæ astringunt, de quibus iam dicetur.

De fluxu hepatico. Si, quod excernitur, simile sit loturę recens mactatarum carnium, propriè vocatur *fluxus epaticus.* *Oritur n. ab imbecillitate retentricis, cuius causa quandoq; est calida, quandoq; (vt frequentius) frigida intemperies.*

In ca-

In calida proderit venæ sectio, si educatur sanguis mensura ℥ iiij. Postea adhibeantur, quæ fluxus restringunt, epar cōfortant astrictione, & humorem biliosum in sanguine aliquantulum euacuant. Conducent autem *syrupus myrtinus, de cichorio, de succo acetosæ, de acetositate citri, rosatus ex rosis siccis, robi de ribes, oxysacchara*. Vt: *Calido.*

℞. *Syrup. Myrtini,*
de Cichorio;
Rosati de rosis siccis ana ℥ ß. *Syrupus.*
Aq. Plantaginis, Cichorii,
Hepaticæ, ana ℥ j.
Rhabarb. ℈ ij. *tritum in puluerem misceatur in syrupo per horas xxiiij.* Postea dentur hæc vna vice, & cōtinuentur per aliquot dies, deinde vsurpentur ea, quæ de fluxu cholerico dicentur.

Potest etiam rhabarbarum exhiberi in substantia cum corticibus myrobalanorum citrinorum, attenuatis in puluerem, vel boli forma cum saccharo rosato, vel cum aqua plantaginis potionis formâ. Parentur pulueres *ex sem. plantag. acetosæ, rosar. rubr. portulacâ, corallis rubris, santalis rubris, balaustiis, cornu cerui vsto, margaritis.* Quibus si necessitas exegerit, misceri aliquid poterit *de puluis hæmatitis præparati, de terra sigillata, de bolo armeno.* Epithemata etiam applicentur ad epar *ex aq. rosar. endiu. santalis, spodio, camphora*, duab. horis ante cibum. Item vnguentum ex cerato santalino. Ab intra conuenient confectiones *ex speciеb. diatrion santalorum, diarrhodon Abbatis.* Vt:

℞ *Spec. Diatrion santalon,*
Diarrhodon Abbatis ana ℥ ij. *Electuarium.*
Rhabarbari electi ℨ j ß.

Epatis lupi præparati ℨ j. *Cum syrupo de cichorio fiat electuarium*, aut exhibeatur *conserua rosata antiqua cum speciebus diatrion santalon.*

Frigido. Si causa sit frigida, præcedat aliqua euacuatio, si fuerit opus, cum rhabarbaro & similibus benignis; postea exhibeantur confortantia *ex spica, mastiche, squinantho, calamo aromatico, croco, aniso, fœniculo, marathro, epate lupi præparato*. Item *ex speciebus diagalangæ, diacinnamomi*, & conficiantur vel electuaria *cum syr. de absynthio*, vel *tabulæ cum sacch. dissoluto in aqua absynthii.* Fiant & inunctiones epatis cum *ol. mastichino, de spica, de absynthio*, & similibus. Quibus etiam pulueres admisceri possunt *spicæ, squinanthi, calami aromatici, mastiche, &c.*

Diarrhœa biliosa. Diarrhœa biliosa à ventriculo rarius, ab epate aut venis distributis in ambitum totius corporis frequentius oritur. In hac quantum ad membrum mandans, & impetum fluxionis, vtendum est reuulsionibus & deriuationibus, semper tamen obseruatis canonibus, qui *supra* traditi sunt. Item alterationibus membri mandantis & roborationibus.

Quantum ad humorem ipsum, præparantibus, id est, quæ feruorem restinguunt, & reprimunt acumen bilis, & partem eius euacuant; sed euacuatio præcedat reuulsiones ac deriuationes per cucurbitas, frictiones, ligaturas extremorum, & quæ per sudorem, per vomitum consumunt reliquias. De vomitu Hipp. *6. Aph. 15.* inquit: *Longa diarrhœa laboranti spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit.* Sed phlebotomiam basilicæ, siue à toto proueniat corpore, siue ab epate solo, in principio multum conducere certum est. Nam & reuellit & euacuat

euacuat materiam, & epatis intemperiem corrigit. Quare cõstante virtute, in iuuene robusto & musculoso atque carnoso nunquam omittatur. Deinde si ab epate fluxionis causa extiterit, tanquam à membro gignente & transmittente bilem, illius etiam ratio habeatur post alteratam, & aliquaque parte euacuatam materiam. Quantum autem ad ipsam materiam attinet, antè omnia leui clystere aluus proluatur, quo & retundatur & abstergatur bilis. Vt:

Enema.

℞ *Decocti hordei leuiter torrefacti* ℔ j.
Sacchari rubri ℥ j ß.
Vitell. oui num. j. *Misc. Fiat enema sine sale.*

Et postea exhibeantur, quæ præparant & adæquāt materiam, vt sunt *oxysacchara simplex, syrupus acetosus simplex, syrupus rosatus, ex infusione rosarum siccarum, syrupus de endiuia, myrtinus, cum aquis endiuiæ, cichorii, acetosæ, rosarum, plantaginis &c.* Quibus aliquid *rhabarbari in puluere* iniiciatur. Potest post enematis vsum, ante præparationem dari etiā solutiuum cum stypticis hoc modo, vel alio:

Potio solutiua.

℞ *Sem. Plantaginis,*
Portulacæ,
Rosarum rubrarum,
Endiuiæ,
Florum omnium cordialium, exceptis floribus violarum, ana P ß.

Bulliant in s. q. aq. plantaginis ad consumptionem medietatis. In colatura dissolue rhabarb. electi ℥ ij. *elect. diacatholicon* ℥ vj. Detur mane. Vel:

Bolus.

℞ *Corticum myrobalan. citrinorum* ℥ ij.
Rhabarbari ℥ j.

Torrefiant parum & terantur: postea adde boli armeni ℈ ß.

ni ℈ ß. *tragacantha, gummi arabici torrefactorũ parum, ana* ℥ j. *Et cum saccharo rosato antiquo, & modico mina cidoniorum, fiat bolus:* vel exhibeantur pulueris forma cum *aqua plantaginis, aut aqua chalybeata.* Posthæc fiat præparatio per dies septem iis syrupis, de quibus diximus, & præparati humoris euacuatio cum iisdem catarcticis. Post euacuationem clysteribus & medicamentis per os assumptis & foris illitis reliquiæ fluxionis abscindantur. Clysteribus etiam licebit vti tunc, cùm fit præparatio, vt:

Enema.

℞ *Aq. decoct. hordei torrefacti* ℥ *viij.*
Succi plantaginis ℥ *iiij.*
Ol. rosati ℥ *ij.*
Sacchari rubri ℥ j ß.
Vitell. oui, num. j. *Misce. Fiat enema.*

Si ad fortiora transeundum sit, assumantur *ol. cidoniorum, myrtinum.* Intrò conducent electuaria, pulueres, & alia, vt:

Conditum.

℞ *Diacitoniton sine speciebus,*
Sacchari antiqui ana ℥ j.
Coriandri præparati ℥ ß.
Corallorum rubrorum ℥ ij.

Misce, & cum succo cidoniorum, vel succo de ribes, vel succo de berberibus, fiat conditum. Ex compositis valent *trocisci de spodio cum semine acetosæ, de terra sigillata, de berber.* Vel pulueres *ex sumach, gallis, bolo armeno, spodio, balaustiis, rosis, tragacantho, gummi arabico, torrefactis &c.* Vnguentum fiat ex eisdem & emplastrum, vt:

Vnguentum.

℞ *Ol. rosati omphacini,*
Cidoniorum,
Myrtini, ana ℥ j.
Rosa. rubrarum,

Corall.

Corallorum rubrorum, Sumach,
Balaustiorum, Mastiches, Nucis mosch. ana ʒ ß.

Cum modico ceræ fiat vnguentum molle. Si fortioribus sit opus, misceri possunt *acacia, hypocystis, lycium, gallæ, nux cupressi, sanguis draconis, terra sigillata,* & similia. Post hæc vtuntur alii diuertentibus & sudorem prouocantibus, vt balneis & suffumigationibus: Alii etiam ad narcotica deueniunt, si cætera non profuerint, & exhibent philonium Persicum, aut michletam, sed in his omnibus sitis circumspecti & cauti. Epati verò, si laboret intemperie calida, conueniet ceratum santalinum, & inunctiones aliæ infrigidantes, aut epithemata, de quibus *supra* dictum est.

In vera dysenteria primò consideretur materia faciens exulcerationem, quæ aut biliosa est, aut phlegmatica salsa, aut exquisitè atra; Hæc si appareat, parum spei relinquit, teste Hipp. *Aphor. supra recitato.* Secundò, obseruetur locus exulceratus, qui est aut in superioribus intestinis, aut in inferioribus. Tertiò gradus exulcerationis, cuius notæ cernuntur manifestè in excrementis. Primò enim pinguedo abraditur, secundò interior intestinorum tunica, vltimò ipsa earundem substãtia. *In dysenteria obseruanda.* 1. 2. 3.

Cùm autem dysenteria sit exulceratio, quæ vel fit, vel facta est, à causa præsente: Intentio curatiua tota consistit in abscissione causæ exulcerantis in vlceris extersione, & eiusdem solidatione. Si ergo acuta fuerit bilis & redundet in toto corpore humores calidi & acuti, fiat phlebotomia venæ basilicæ dextræ, & educatur sanguis pro ratione ætatis & virium: Deinde fiat euacuatio humorum acutorum cum *rhabarb. torrefacto & myrob. citr. vstis.* Vt:

post assumptum cibum mutent sese in melius. Sic & mentis alienatio perseuerans in longo fluxu, & deiectio appetitus & sitis & singultus, & pustulæ apparentes ac subito sese rursus condentes, partim mala partim etiam lethalia sunt. Nec bonum vnquam est in diuturno fluxu, ægrum auide comedentem non nutriri; & frequenter chronica fluxio omnis perducit ad hydropem. Sic si simul multa materia inter initia morbi effunditur, logitudinẽ morbi ob materiæ copiam portẽdit; at fluxus colliquata substantia partium ab ardentibus, aut pestilentibus febribus, aut hectico calore in marasmo, lethale est prorsus. Rursus etiã in fluxu symptomatico, si constet ægri virtus, motus materiæ, præsertim vitiosæ, siue vna sit, siue multiplex coherceri temere non debet, nisi parte eius aliqua absumpta. Sæpe enim Leucophlegmatia alui fluxione soluitur; sæpe Catarrhi sese exonerant in ventrem; sæpe vrinæ retentæ per epar regurgitantur in intestina. Ex ægri itaq; virtute, ex iis, quæ excernuntur, ex symptomatis, quæ consequuntur, constituendum est, an tentari debent repressio fluxus symptomatici vel non. Sed virtuti attendendum est inprimis diligẽter, ne prius concidat, quam fluxum sistamus, & ne prius sistamus, quã ex aliqua parte natura sit liberata. Propterea Hipp.

Sect. in aph. 3 in *seq. Aph.* de quantitate euacuationis cuiusque in genere inquit; *Euacuationes perducentes ad extremum, periculosæ.* Vterque fluxus, tam Criticus, quam symptomaticus, si modum excesserit, periculosus est, sed magis symptomaticus, in quo, cum à natura non gubernetur quæ bonum à malo secernit,

vtrusq;-

vtrumque promiſcue ex cernitur & tum ſpiritus vitales cum calore natiuo abſumuntur tum pabulum iiſdem & toti corpori ſubtrahitur.

Artificialis fluxio eſt, quę medicamento prouocatur. In hac quoq; aut quod noxium eſt, educitur & melius habent ægri, aut non, & difficulter purgationem ferunt, quam nomine generali Hipp. *in præallegato* vocat Κενεαγγίαν. Et de ea loquitur 25. *Aph eiuſdem partis. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt, ſi contra, difficulter.* *Fluxio artificialis.*

In omni ergo fluxione alui ſpontanea conſiderandum eſt, an fluxus ſit Criticus, quem mouet & moderatur natura; an ſymptomaticus: Si ſymptomaticus ſit, an lethalis ſit, vel nõ; an ſtatim reſtringendus ſit ac ſiſtendus, an vero ſit tolerandus aliquo vſq;, vt pars materiæ vitioſæ euacuetur. Indicabit id accurata cõſideratio ac penſitatio virium ægri, ſcilicet omnium trium facultatum principalium, quarum ἐξ̓ἀθέων indicabunt functiones & alia argumenta apparentia in exeuntibus. *Quid in fluxione ſpontanea conſiderandum.*

Sunt autem in cuiuſq; fluxionis curatione obſeruãda ſex capita. I. Locus, vnde fluit humor, qui eſt alias totum corpus, alias certa pars corporis. Nunquam tamẽ in loci conſideratione negligenda eſt virtus membrorum principalium, eo quod ſemper ſimul ſit euacuatio magna ſpirituum & caloris natiui. II. Locus, ad quem fertur, qui in hoc fluxionũ genere eſt aluus, q̃ impulſos tumores ad ipſam nõ retinet, ſicut fit in tumorib. & abſceſſib. ſed ꝓtinus rurſus effundit ex corpore. III. Materia fluẽs, q̃ eſt (vt dixi) vel ſtercus, vel cibꝰ, vel chylus, vel humor certę ſpeciei ſincerus, aut cum alio permixtus vt pituita bilis flaua, humor melãcholicus, ſanguis, & horũ ſpecies variæ, vt purulẽtũ q̃ddam. *Capita in fluxionis omnis curatione obſeruanda.* 1. 2. 3.

IV. Meatus

IV. Meatus, per quos fertur materia. V. Tempus fluxionis, quando cœperit, & quousque perdurarit. VI. Symptomata, quæ fluxionem hanc in toto corpore, vel parte aliqua vna aut pluribus comitantur. Ex his enim instituenda est curatio.

In membro mandante consideranda. In membro mandante considerandum est, an prohiberi debeat, ne transeat, & quando, an statim hoc fieri debeat, vel per aliquod tempus, & quomodo prohiberi debeat, ne transeat. *In recipiente.* In recipiente videndum est, an præmuniri debeat, ne recipiat, & quando materia alteranda sit, sicut de cæteris.

Curatio lienteriæ. In lienteria ergo cùm pars mandans sit ventriculus, siue imbecillitate ille laboret ex intemperie frigida & humida, cum vel sine pituita, siue ex apostemate, siue ex vlcere; (etsi ab intemperie oriatur frequentissime) præcipua curatio dirigenda est ad ventriculum ipsum. Intemperies sola alteretur calefacientibus & desiccantibus, si adsit phlegma viscidum, id post præparationem conuenientem educatur: Imbecillitas reliqua, quæ semper coniuncta est cum lubricitate & laxitate, quibus ceu eneruatur tonus ventriculi & intestinorum. Illa ergo corrigatur astringentibus, ac ceu asperantibus calidis & siccis, de quibus cum *supra* sit tractatum copiose *in ventriculi morbis*, cùm dictum est de imbecillitate concoctricis & retentricis, quæ duæ facultates ventriculi præcipuè laborant, cùm lienteria sequitur, methodus curationis & sylua medicamentorum inde repetatur. Eodem modo, si apostema vel exulceratio ventriculi causam præbeat fluxui lienteriæ.

Cœliaca, quæ est fluxus chylosus, cùm frequẽtissimè

tissimè fiat propter impeditam ex obstructione mesaraicarum, & simæ regionis epatis vel vtriusque distributionem chyli, raro propter lubricitatem intestinorum, eadem ratione & iisdem medicamentis prorsus abscinditur, quibus epatis obstructio, de qua *supra* dictum est: Hoc obseruato, vt materia, quæ obstruit regionem cauam & mesaraicas, ducatur ad aluum, quæ gibbam, ad vrinam. Nec propter fluxum vereamini vti solutiuis, quibus inest vis constipandi, sicut est *rhabarbarum, agaricus*: quanto enim plures meatus expedieritis, tanto citius fluxus desinit. Si vitio intestinorum, id est, propter imbecillitatem retentricis ex laxitate & lubricitate intestinorum cœliaca proueniat, quod rarissimum est: (Non enim tantâ celeritate præterlabi chylus potest, vt nihil abripiatur à mesaraicis) calefacientibus & desiccantibus, id est, astringentibus cum calore curabitur, sicut lienteria.

Diarrhœa pituitosa varia est: Interdum leucophlegmatiam soluit (vt dictum est) cùm à toto corpore oritur, quæ sistenda non est, sed si nimia sit, moderanda, ne naturam prosternat. Interdum à cerebro incipit, catarrhis defluentibus ad ventriculum & intestina, quibus coctio, euacuatio, reuulsio & diuersio debetur, vt de catarrhis dictum est. Interdum à matrice & renibus oritur, cùm scilicet meatibus, qui ducunt ad illas partes, obstructis, fit regurgitatio ad aluum. In his omnibus curatio dirigatur ad membra mandantia. De leucophlegmatia & catarrhis tractatum est *suprà*. De renum obstructione & vitiis matricis dicetur *infrà*. Si pituita sit crassa & mucosa, à ventriculo *Pituitosa.*

& intestinis profluit. Huic ergo fluxui curatio debetur, quæ lienteriæ & quæ ventriculo infrigidato & languefacto.

Melancholica. Eodem modo si diarrhœa sit melancholica, dirigatur curatio tota ad splenem, in quo materia præparetur & euacuetur, roboretur imbecillitas splenis, vt segregatum à sanguine melancholicum humorem promptè excipiat ac remittat. *Adusta.* Si verò signa adustionis appareant, adæquetur & euacuetur atra bilis, & calor alienus in viscere contrariis reducatur ad temperatum ac naturalem, ne procedat adustio & adaugeatur. Sicut in *tractatu de splenis affectionibus* dictum est. Et quidem diarrhœa melancholica frequenter fit à vitio splenis, interdum etiam ab epatis malo existit, aut vtriusque visceris: Quod inter se hæc viscera affectiones suas facilè communicent, quare ab vtrius vitio proueniat, attentè considerandum est.

Ex colliquatione. *Diarrhœa ex colliquatione corporis, siue ad acutos morbos, siue ad longas ægritudines consequatur, semper mala & lethalis est,* secundùm *prædictos Aph.*

Cruenta. In diarrhœa cruenta, si purus sanguis copiose effundatur, attendendum, vtrum profluat ex apertis hæmorrhoidibus, vel sit à retentis mensibus, aut alia consueta euacuatione suppressa, vel propter defectum alicuius membri: tunc enim huic malo consuletur optimè venæ incisione, aut largi sanguinis eductione, & epatis roboratione, per ea, quæ astringunt, de quibus iam dicetur.

De fluxu hepatico. Si, quod excernitur, simile sit loturę recens mactatarum carnium, propriè vocatur *fluxus epaticus.* Oritur *n. ab imbecillitate retentricis, cuius causa quãdoq; est calida, quandoq; (vt frequentius) frigida intemperies.*

In ca-

In calida proderit venæ sectio, si educatur sanguis mensura ℥ iiij. Postea adhibeantur, quæ fluxus restringunt, epar cõfortant astrictione, & humorem biliosum in sanguine aliquantulum euacuant. Conducent autem *syrupus myrtinus, de cichorio, de succo acetosæ, de acetositate citri, rosatus ex rosis siccis, robi de ribes, oxysacchara.* Vt: Calida.

℞. *Syrup. Myrtini,*
de Cichorio;
Rosati de rosis siccis ana ℥ ß. Syrupus.
Aq. Plantaginis, Cichorii,
Hepaticæ, ana ℥ j.
Rhabarb. ℈ ij. *tritum in puluerem misceatur in syrupo per horas xxiiij.* Postea dentur hæc vna vice, & cõtinuentur per aliquot dies, deinde vsurpentur ea, quæ de fluxu cholerico dicentur.

Potest etiam rhabarbarum exhiberi in substantia cum corticibus myrobalanorum citrinorum, attenuatis in puluerem, vel boli forma cum saccharo rosato, vel cum aqua plantaginis potionis formâ. Parentur pulueres *ex sem. plantag. acetosæ, rosar. rubr. portulacæ, corallis rubris, santalis rubris, balaustiis, cornu cerui vsto, margaritis.* Quibus si necessitas exegerit, misceri aliquid poterit *de puluis hæmatitis præparati, de terra sigillata, de bolo armeno.* Epithemata etiam applicentur ad epar *ex aq. rosar. endiu. santalis, spodio, camphora,* duab. horis ante cibum. Item vnguentum ex cerato santalino. Ab intra conuenient confectiones *ex specieb. diatrion santalorum, diarrhodon Abbatis.* Vt:

℞ *Spec. Diatrion santalon,*
Diarrhodon Abbatis ana ℥ ij. Electuarium.
Rhabarbari electi ℥ j ß.

Epatis lupi præparati ℥j. *Cum syrupo de cichorio fiat electuarium*, aut exhibeatur *conserua rosata antiqua cum speciebus diatrion santalon.*

Frigido. Si causa sit frigida, præcedat aliqua euacuatio, si fuerit opus, cum rhabarbaro & similibus benignis; postea exhibeantur confortantia *ex spica, mastiche, squinantho, calamo aromatico, croco, aniso, fœniculo, marathro, epate lupi præparato.* Item *ex speciebus diagalangæ, diacinnamomi*, & conficiantur vel electuaria *cum syr. de absynthio*, vel *tabulæ cum sacch. dissoluto in aqua absynthii.* Fiant & inunctiones epatis cum *ol. mastichino, de spica, de absynthio*, & similibus. Quibus etiam pulueres admisceri possunt *spicæ, squinanthi, calami aromatici, mastiche, &c.*

Diarrhœa biliosa. Diarrhœa biliosa à ventriculo rarius, ab epate aut venis distributis in ambitum totius corporis frequentius oritur. In hac quantum ad membrum mandans, & impetum fluxionis, vtendum est reuulsionibus & deriuationibus, semper tamen obseruatis canonibus, qui *supra* traditi sunt. Item alterationibus membri mandantis & roborationibus.

Quantum ad humorem ipsum, præparantibus, id est, quæ feruorem restinguunt, & reprimunt acumen bilis, & partem eius euacuant; sed euacuatio præcedat reuulsiones ac deriuationes per cucurbitas, frictiones, ligaturas extremorum, & quæ per sudorem, per vomitum consumunt reliquias. De vomitu Hipp. *6. Aph.* 15. inquit: *Longa diarrhœa laboranti spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit.* Sed phlebotomiam basilicæ, siue à toto proueniat corpore, siue ab epate solo, in principio multum conducere certum est. Nam & reuellit & euacuat

euacuat materiam, & epatis intemperiem corrigit. Quare cõstante virtute, in iuuene robusto & musculoso atque carnoso nunquam omittatur. Deinde si ab epate fluxionis causa extiterit, tanquam à membro gignente & transmittente bilem, illius etiam ratio habeatur post alteratam, & aliquaque parte euacuatam materiam. Quantum autem ad ipsam materiam attinet, antè omnia leui clystere aluus proluatur, quo & retundatur & abstergatur bilis. Vt:

Enema.

℞ *Decocti hordei leuiter torresacti* ℔ j.
Sacchari rubri ℥ j ß.
Vitell. oui num. j. *Misc. Fiat enema sine sale.*

Et postea exhibeantur, quæ præparant & adæquãt materiam, vt sunt *oxysacchara simplex, syrupus acetosus simplex, syrupus rosatus, ex infusione rosarum siccarum, syrupus de endiuia, myrtinus, cum aquis endiuiæ, cichorii, acetosæ, rosarum, plantaginis &c.* Quibus aliquid *rhabarbari in puluere* iniiciatur. Potest post enematis vsum, ante præparationem dari etiã solutiuum cum stypticis hoc modo, vel alio:

Potio solutiua.

℞ *Sem. Plantaginis,*
Portulacæ,
Rosarum rubrarum,
Endiuiæ,
Florum omnium cordialium, exceptis floribus violarum, ana P ß.

Bulliant in s. q. aq. plantaginis ad consumptionem medietatis. In colatura dissolue rhabarb. electi ℥ *ij. elect. diacatholicon* ℥ vj. Detur mane. Vel:

Bolus.

℞ *Corticum myrobalan. citrinorum* ℥ *ij.*
Rhabarbari ℥ j.

Torrefiant parum & terantur: postea adde boli armeni ℈ ß.

ni ℈ ß. tragacanthæ, gummi arabici torrefactorũ parum, ana ℥ j. Et cum saccharo rosato antiquo, & modico mina cidoniorum, fiat bolus: vel exhibeantur pulueris forma cum *aqua plantaginis, aut aqua chalybeata.* Posthæc fiat præparatio per dies septem iis syrupis, de quibus diximus, & præparati humoris euacuatio cum iisdem catarcticis. Post euacuationem clysteribus & medicamentis per os assumptis & foris illitis reliquiæ fluxionis abscindantur. Clysteribus etiam licebit vti tunc, cùm fit præparatio, vt:

Enema. ℞ *Aq. decoct. hordei torrefacti* ℥ *viij.*
Succi plantaginis ℥ *iiij.*
Ol. rosati ℥ *ij.*
Sacchari rubri ℥ *j ß.*
Vitell. oui, num. j. Misce. Fiat enema.

Si ad fortiora transeundum sit, assumantur *ol. cidoniorum, myrtinum.* Intrò conducent electuaria, pulueres, & alia, vt:

Conditum. ℞ *Diacitoniton sine speciebus,*
Sacchari antiqui ana ℥ *j.*
Coriandri præparati ℥ *ß.*
Corallorum rubrorum ℥ *ij.*

Misce, & cum succo cidoniorum, vel succo de ribes, vel succo de berberibus, fiat conditum. Ex compositis valent *trocisci de spodio cum semine acetosæ, de terra sigillata, de berber.* Vel pulueres *ex sumach, gallis, bolo armeno, spodio, balaustiis, rosis, tragacantho, gummi arabico, torrefactis &c.* Vnguentum fiat ex eisdem & emplastrum, vt:

Vnguentum. ℞ *Ol. rosati omphacini,*
Cidoniorum,
Myrtini, ana ℥ *j.*
Rosf. rubrarum,

Corall.

Corallorum rubrorum, Sumach,
Balaustiorum, Mastiches, Nucis mosch. ana ℥ ß.

Cum modico cera fiat vnguentum molle. Si fortioribus sit opus, misceri possunt *acacia, hypocystis, lycium, galla, nux cupressi, sanguis draconis, terra sigillata,* & similia. Post hæc vtuntur alii diuertentibus & sudorem prouocantibus, vt balneis & suffumigationibus: Alii etiam ad narcotica deueniunt, si cætera non profuerint, & exhibent philonium Persicum, aut michletam, sed in his omnibus sitis circumspecti & cauti. Epati verò, si laboret intemperie calida, conueniet ceratum santalinum, & inunctiones aliæ infrigidantes, aut epithemata, de quibus *supra* dictum est.

In vera dysenteria primò consideretur materia faciens exulcerationem, quæ aut biliosa est, aut phlegmatica salsa, aut exquisitè atra; Hæc si appareat, parum spei relinquit, teste Hipp. *Aphor. supra recitato.* Secundò, obseruetur locus exulceratus, qui est aut in superioribus intestinis, aut in inferioribus. Tertiò gradus exulcerationis, cuius notæ cernuntur manifestè in excrementis. Primò enim pinguedo abraditur, secundò interior intestinorum tunica, vltimò ipsa earundem substãtia. *In dysenteria obseruanda.* 1. 2. 3.

Cùm autem dysenteria sit exulceratio, quæ vel fit, vel facta est, à causa presente: Intentio curatiua tota consistit in abscissione causæ exulcerantis in vlceris extersione, & eiusdem solidatione. Si ergo acuta fuerit bilis & redundét in toto corpore humores calidi & acuti, fiat phlebotomia venæ basilicæ dextræ, & educatur sanguis pro ratione ætatis & virium: Deinde fiat euacuatio humorum acutorum cum *rhabarb. torrefacto & myrob. citr. vstis.* Vt:

Puluis.

℞ *Rhabarbari electi* ℥ j ß.
Myrobalan. citrinorum ℥ ij.

Torrefiant parum, deinde terantur in puluerem, & exhibeantur cum *aq. plantag. vel saccharo rosato, & mucci cidoniorum.* Vel:

Potio.

℞ *Myrobalanor. citrinorum torrefactorum* ℥ vj.
Seminum Acetosæ,
Plantaginis,
Endiuiæ torrefactorum ana ℥ iij.
Flor. cordialium præter violas ana P j.

Bulliant in s. q. aq. chalybeatæ. Colaturæ adde rhabarbari electi ℥ ij ß. Aliqui addunt *philonium persicum,* quo tamen inter initia cautè & circumspectè est vtendum. Vitentur autem salsa & acria omnia, quia irritant expultricem, & excoriationem mordicando adaugent. Si itaque sit exulceratio in superioribus, potiones; si in inferioribus, clysteria magis conuenient, qualia sunt:

Enema.

℞ *Aquæ decoctionis hordei torrefacti* ℔ j.
Olei rosati omphacini ℥ iij.
Vitell. oui num. j.
Sacchari rubri ℥ j. *Misce. Fiat enema.* Vel:

Aliud.

℞ *Aq. hordei chalybeatæ* ℥ viij.
Succ. Plantaginis cum aq. ferrata dissoluti ℥ j ß.
Olei rosati omphacini ℥ ij.
Saui hircini ℥ iij.
Sacchari rubri, vel
Mellis rosf. colati ℥ j.
Vitell. oui num. j.

Misce pro clystere. Vel:

℞ *Capitis castrati bene mundi & loti cum aqua plantaginis, num.* j.
Fol. Plantaginis M iij.

Hord.

Hord. torrefacti M j.

Bulliant ad completam coctionem capitis in aqua chalybeata: colaturæ ℞ ℔ j.

Succi Plantaginis ℥ iij. *Aliud.*

Ol. rof. omphacini ℥ ij.

Vitell. oui num. j.

Sacch. rubri ℥ j ß.

Misce, fiat clyster. Cui, si sit fortiore astrictione opus, aliquid de oleis astringentibus & *bolo armeno* addi potest. Sæpe autem iterentur clysteria ablutiua subtus, & potiones ablutiuæ, qualis est sequens: ℞ *Decocti hordei torrefacti* ℔ ij.

Sacchari rosati veteris ℥ iiij. *Potio.*

Bulliant leuiter & colentur; colaturæ adde iulepi de rosis siccis mellis rosati colati ana ℥ iij. Misce, fiat potio.

℞ *Lactis caprini aut ouini chalybeati* ℔ j.

Succi plantaginis præparati & depurati ℥ vj. *Alia.*

Spec. aromatici rosati ʒ vj. *Misce, fiat potio.*

Post factam primis diebus absolutionẽ astringentia adhibeantur, alternis vicibus, intus forisq; cum ablutiuis. Conuenient autem in clysteribus, *arnoglossa, plantago, sanguinaria, balaustia, acatia, gallæ, radices symphiti maioris, cortices granatorum, bolus armenus, terra sigillata,* & similia.

Supra per os conducent *syrupus myrtinus, rosatus ex rosis siccis, cidoniorum cum aq. plantaginis, prunellæ, sanguinariæ,* & similibus. Item *trocisci de carabe, spodio, cum sem. acetosæ, de terra sigillata.* Vel:

℞ *Ol. Mastichini,*

Ros. Omphacini, *Oleum.*

Cidoniorum ana ʒ ß.

Misce & inunge. Post inunctionem ventri aspergatur. Puluis, qui

Puluis ventri inspergendus.

℞ *Gallarum,*
Corticum granatorum,
Balaustiorum,
Myrrhæ torrefactorum ana ℥ ij.
Mastiches,
Thuris,
Nucis moschatæ,
Corallorum rubrorum ana ℥ ß.
Hypocystidos,
Acatiæ ana ℈ ij. Misce.

Terantur in puluerem. Vel:

Das Netz.

℞ *Zirbi castrati, frixetur cum sua pinguedine in patella & conspergatur*
Puluere tapsi barbati exiccati: item trociscorum de carabe, ana q. s. Vel fiat emplastrum tale, quod

Emplastrum.

℞ *Ol. Absynthini* ℥ j ß.
Myrtini,
Cidoniorum, ana ℥ ß.
Corallorum rubrorum,
Sem. rof. rubrarum,
Mastiches,
Thuris ana ℥ j.
Pulueris absynthii, Menthæ,
Nucis moschatæ,
Acatiæ, ana ℈ ij.

Ceræ & resinæ q. s. fiat emplastrum: vel paretur aliud ex *pane assato, extinctoq; in aceto & subacto in pulu. rof. myrtillorum & sumach.* Possunt autem hæc variari multipliciter pro ægrotorum conditione. Auicennas plurimum commendat rhabarbarum torrefactum, idque exhibet cum aqua arnoglossæ. Si necessitas exigat, non reformidetur vsus philonii persici, cui⁹ mirifica vis est in dysenteria curanda.

DE CV-

DE CVRATIONE TENESMI.

TENESMVS propriè *exulceratio* est *intestini recti*, sicut dixi. Curatur ergo, si non appareat exulceratio, iisdem, quibus dysenteria; si appareat, abluatur vlcus primum, vt: *Tenesmus quid.*

℞ *Aquæ lactis, scil. caprini*, ℥ vj.
Mellis rosati colati ℥ ij. *Misce.* Vel:

℞ *Aquæ hordei* ℥ iiij.
Mellis rosati ℥ ij. *Misce.* Vel loco aquæ vsurpetur vinum, aut si sit opus abstersione maiore, lixiuium cineris sarmentorum. Postea inungatur vnguento tali:

℞ *Olei rosati* ℥ j ß. *Vnguentum.*
Mucilaginis gummi arabici ℥ ß.
Cerussæ plumbini ℥ ij.
Ceræ parum, fiat vnguentum. Vel:

℞ *Olei rosati Omphacini* ℥ ij. *Aliud.*
Mucilaginis tragacanthi,
Gummi arabici, ana ℥ ß.
Aloës, ʒ iij.
Thuris,
Mastiches, ana ʒ ij.
Ceræ parum, fiat vnguentum.

Si sit ardor ingens, addatur parum *opii*. Interdum ab aliis causis fit, vt à frigiditate externa, à pituitoso phlegmate, ab humore bilioso acri: In talibus fiat præparatio & euacuatio humorum conueniens per prædicta, & dolor sedetur topicis. In causa frigida cum phlegmate pituitoso, insessu, suffumigiis, inunctionibus, sacculis, emplastris, vt: ℞ *Maluæ*, *Insessus.*
Althææ, *Chamomillæ*,
Meliloti,

Meliloti,
Absynthii,
Rutæ,
Stœchados,
Lauendulæ,
Pulegii,
Origani,
Fol. Lauri,
Roris marini,
Sem. Lini,
Fœnugræci ana q.s. Fiat decoctum, de quo recipiat fumum, vel insideat, vel inungatur intestinum butyro sine sale, & ol. amygd. dulcium. Vel:

Vnguentum. ℞ *Ol. amygdal. dulcium,*
Chamomælini,
Butyri sine sale ana ℥ ß.
Mucilaginis fœnugræci,
Sem. lini, ana ℥ ij.
Croci ℈ j.
Pingued. Gallinæ ℥ j.
Ceræ albæ parum. Misce.

Fiat vnguentum. In causa calida sumatur oleum *violarum, nymphea, rosarum, omphacinum,* & similia, additis reliquis: Si dolor non cessat, applicentur opiata.

DE RENVM MORBIS.

CAPVT XVIII.

RENVM communissimi morbi sunt imbecillitas ex intemperie aliqua, inflammatio, obstructio, apostema, vlcus, durities, sauciatio.

Ad imbecillitatem sequitur symptoma, quod à celeri

à celeri tranſitu διαβήτην & ab ingenti ſiti δίψακον, & à continuo vrinæ profluuio ὑδερῶπα εἰς ἀμίδα & διάῤῥοιαν εἰς οὖρα nominant. Affectæ ſunt in hoc malo tres renum virtutes: attractrix, alteratrix & retentrix. Attractrix immoderato renum calore, ſiue is ſit in renum ſubſtantia, ſiue in humore aliquo ardente meatibus impacto, continuo ſerum attrahit, ſed propter imbecillitatem retentricis nõ continet eouſque, donec immutetur: Idcirco cõtinuò in veſicam prolabitur. Quare diabetes eſt *immoderatum vrinæ profluuium, quo aſſumpta præ inexplebili ſiti potio nihil mutata profunditur.* Certiſſimum huius mali argumentum eſt, aſſidua & inexplebilis ſitis, quæ antecedit vrgetque adeo, vt ſine ceſſatione cogantur bibere, non ſatiantur tamen, ꝙ ingurgitata aſſiduè & cõtinenter per vrinam profunduntur, nulla alteratione immutata, neque in ventriculo, neque in epate, corpus vniuerſum & ſiti & ardore immodico contabeſcit, & ſi pluſculum retineatur vrina, lumbi, teſtes, coxæque intumeſcunt. Ratum hoc ſymptoma eſt, & differunt ab eo illa vrinæ profluuia, ſi in hydrope aut alioquin ventre, aut totius corporis habitu aquoſo humore tumente, hoc ad renes depulſo copioſa vrina emittatur, & hac euacuata tumor ſubſideat, aut ſi poſt multam potationem vel vſum thermarum diureticarum, vel aquarum medicatarum ſequatur largior profuſio vrinæ. *Diabetes.* *Quid.* *Eius ſigna.*

Inflammatio renum eſt, quam propriè νεφρῖτιν vocant, & ſi rarò accenditur in renibus, quod ſolida duraque & compacta eorum caro eſt, neque intra ſeſe facile fluxionem admittunt: fit tamen ictu caſuque contuſis renibus, & fluxione per venas *Nephritis.* *Renum inflammatio.*

Signa. nas emulgentes illata. Dignoſcitur ex dolore cum poſitu: adeſt enim ardor ingens, dolorq; in dorſo grauis ac pulſans circa primam lumborum vertebram, qui ad ſpurias coſtas, adeoq; ad epar ipſum ſuprà; ad veſicã, pudenda, lumboſq; & coxendices, pectinem ac femora infrà extẽditur, vicinaſq; his partes oẽs infra ſupraq; continua diſtenſione conuellit; ſequitur ſtupor cruris, è directo ſitu, dextri ſcil. rene dextro: ſiniſtri, rene ſiniſtro inflammato, extrema frigent, & magis ſuræ ac pedes: In vrinæ emiſſione pcipitur ingens difficultas, mingunt enim aſſiduè, ſed cum dolore & initio tenue quiddã, deinceps craſſa atq; mucoſa: febris adeſt aſſidua & vehemens, quæ augetur, ſi inflammatio ingraueſcit. Omnib. accidunt nauſea, morſus ſtomachi, ructationes, vomitus bilis, adeo, vt ægri ad animi deliquiũ vſq; angantur, & exudant, venter ſiſtitur adeo, vt infletur, & ructus emittat aſſiduè.

Renum obſtructiones. Obſtructiones renibus frequenter accidunt, & aliàs ab aliis cauſis, ab arenulis, à calculo, ab humore craſſo & viſcido.

Arenulæ. Ψαμμώδεις νέφρυς vocant, cùm arenulæ obſtructionem faciunt, aut citra obſtructionem geniti cum vrina eduntur. *Λιθίασις.* Λιθίασιν verò, quando in renibus calculus generatur. Rarius autem craſſus & viſcidus humor ita totam renum cauitatem oppleт atque obdurat, vt detineat ac prohibeat vrinæ fluxionem in vretere; arenulæ & calculus creberrimè. Arenulæ non tam in renum cauo, quàm in eorundem ſubſtantia gignuntur, quæ fibroſa eſt, & rectis quibuſdam ductibus pertuſa, qui à gibbo ambitu orbiculatim & ordine feruntur ad ſinum medium, vbi extremis oſculis carunculæ quædam

quædam ex renum ſubſtantia affixæ ſunt, per quas vrina in ſimum cauum colatur, duræ hæ & rubræ, renum ſubſtantiã colore referentes. Ita & calculi ibi geniti duricie & rubore renibus reſpondent, indeq; impetu vrinæ in cauitatem prouoluuntur eliſis carunculis; ſi negligantur acceſſione aſſidua aggeſtione nouæ materiæ, vel inter ſe cohæſu mutuo coaleſcunt in calculos prægrandes. Qui cum egeruntur è ſubſtãtia in cauum lacerãt carnẽ renũ cõtunduntq́, attritu, ſine tñ inſigni doloris ſenſu, ſaniemq́, aut ſanguinem proliciunt, quibus vrina craſſa, turbida & ſubnigra, aut cruenta redditur. Si ſint ergo arenulæ exiguæ, vnà cum vrina in vreteres abripiuntur, quos, ſi ſint anguſti, magna vi ſummoque dolore permeant: ſi craſſiores paulò ſint, aut ſabuloſi, aut aſperi, diutius hærent in viis & ſæuo cum cruciatu vreteres lacerant, interdum maiores ſunt, quàm vt admitti aut excipi ab vreteribus poſſint, tunc exagitati etiã in vreteribus ipſis dolorem cient, qui, ſi prouoluãtur ad vreteris caput, acuitur & intenditur, repulſis illis rurſus miteſcit. Tandem hi niſi expellãtur, aſſiduo arenularum occurſu adhæſioneq́, in veros renum lapides excreſcũt, qui inter ſe magnitudine, forma, colore diſcrepant. Augentur aũt in tantam ſæpe molem, vt totam renum cauitatem occupent & expleant, nec arenularum tantũ, ſed & vrinę effluxum cohibeant: grauitas tũc q̃dam in parte affecta pcipitur, & cõpreſſione partis externâ, dorſivè ad eandem inflexu dolor exacerbatur. Interdũ foris nullo tumore conſpicuo dolor exaſperat à cauſis internis, rene ſc. flatib. & fecib. inteſtinorũ cõpreſſo, recrudeſcit dolor ex interuallis citra calculi excretionẽ

& agita-

& agitatus calculus motu corporis vehementiore atterit atque exulcerat renes, vnde sanguis emanat; in crure è directo renis affecti torpor quidam sentitur. *Calculi materia.* Materia calculi est *humor crassus & viscidus*, qui vnà cum sanguine eiusque serò defertur in renes, qualis esse solet aut ὠμὸς χυμὸς in venis ex cruditate genitus, qui ab infantibus aut crapulosis interdum cum vrina egeritur, aut qui terreno perustoque sanguine nascitur, propterea rubent atq; obscura rubedine, alii pallent aut liuent, aut tendunt etiam ad aliquam flauedinem. Expellitur hęc materia ex venis cum sero ad renes, vt cum vrina eiiciatur, si valeat & firma sit renum natura, & si præcesserit iusta coctio & separatio in venis epateq;, facit separationem boni sanguinis à sero & crudo & viscido humore, & exprimit vtrumq; in sinum cauum renum; si langueat natura, aut si propter copiam, crassitiem, vel lentorem materia non sit sequax, insistit ea in meatibus substantiæ insculptis atque adhæréscit. *Causa efficiens.* Causa ergo efficiens proxima est *immoderatus renum calor* desiccans, perurens & indurans materiam in lapideam soliditatem, & præter immoderatum calorē, ceu causa *Causa sine qua non.* sine qua non, est *renum imbecillitas* in separando & expellendo. In multis præter has ꝓpinquas causas est in renibus διάθεσις quædam ad λιθίασιν contracta à parentibus, quapropter totæ familiæ reperiuntur calculo obnoxiæ, vt arthritide, colicis doloribus, epilepsiæ, phthisi, & similibus morbis *Adiuuantes.* hæreditariis. Adjuuantes causæ multæ sunt, victus ratio, otium, crapulæ, somnus diuturnus, præsertim decubitu supino.

Est autem dolori nephritico, in quo nec arenulæ, nec

Est autem dolori nephritico, in quo nec arenulæ, nec calculi eduntur, adeo cognatus colicus dolor, vt sæpe peritos decipiat. Discernitur autem his notis: Coli dolor magna ex parte cum rugitu quodam ac murmure ventrem variè oberrat in omnes partes, qua colon circumuoluitur: Renum dolor magna ex parte vnam tantum partem vrget, & fixus est in latere alterutro, nimirum aut ad renes ipsos in regione lumborum, aut in vreteribus ea parte, quâ calculus insistit & hæret impactus, nisi quod interdum, vel ad coxendicem, vel ad testem, qui è directo iacet vreteris ductu extenditur. Si verò doloris locus altior sit renum sede, manifestè coli affectum demonstrat. Præterea coli dolor facilè cedit iustis remediis materia expurgata, aut flatibus discussis; quod verò vi clysterum prouocatur, id flatuosum ac tenue est, consistentia simile stercori bubulo. Cætera symptomata, quæ vtramq; affectionem comitantur, vt nauseæ, vomitus, subuersiones stomachi, seuiora sunt in coli, quàm renum doloribus. Euomunt ægri primum pituitosa, deinde biliosa, ad extremum varia, quibus præassumpti cibi aliqnid admixtum reperitur; Aluus iisdem adeo astringitur, vt nec flatus, nec ructus emittat. Vrina, cum incipit calculus, pauca redditur, tenuis & aquosa, interdum prorsus supprimitur, postea copiosa, crassa & arenosa exit, & quodam ardoris sensu expultricis in vesica irritat ac pungit; decubitus in partem ægram dolorem lenit, in aduersam exasperat. Fit autem calculus causa illorum dolorum, quos vocant nephriticos, suntque acerbissimi, & tunc oriuntur, cùm calculus duriusculus & maiusculus,

Dolor nephriticus quomodo à colico discernendus.

aſper & ſcaber in anguſtum vreterem, vel vrinæ impetu detrahitur, vel motu naturæ excutitur; ſenſus enim vreterum exquiſitus eſt. Quapropter magna vi hos diſtendendo ac tundendo duritie, & lancinando lacerandoque ſcabritie atque aſperitate ingentes cruciatus ciet. Nonnullis crebro calculorum tranſitu adeo vreteres dilatantur, vt magnis calculis ſine aliquo dolore fiant peruii. Non aſſuefactos minimi etiam calculi lædunt. Dolore ceſſante videndum, an exciderit calculus in veſicam, an verò in cauum reciderit. Si in veſicam exciderit, cauendum, ne ibi moretur & aſſiduo appulſu plurium in veſicæ calculum concreſcat. Eiecto calculo obſeruandum eſt, ſolidusnè ſit, an ex arenularum aut minutorum calculorum cohæſu coalituque concreuit. Inde enim ratio medendi ſumetur; Neque renes tantum rubros, veſica albos gignit calculos, nam & purulenti renes albos proferunt, & cruda craſſaq; pituita in ſimiles coaleſcit. De diſcrimine ergo inter renum & veſicæ calculum dicemus *infra*.

Renum apoſtemata vnde fiant.

Apoſtemata renum vel ex inflammatione degenerante in abſceſſum, vel ex vlcere ſordido non expurgato oriuntur. Cum enim coquitur inflammatio & maturatur, fit abſceſſus, & gignitur pus. In tantam autem molem interdum abſceſſus attollitur, vt tumefaciat ilea & lumbos, ſed rarius ex inflammatione apoſtemata fiunt, ſicut & inflammationes ipſæ rarius accidunt renibus, ſed tum fiunt, cùm febres infeſtant inæquales & inordinatæ, maximè circa veſperam cum horrore vario, & interpolato ponderis cuiuſdam in regione lumborum & doloris ſenſu ingraueſcit, denique

denique omnia symptomata fiunt grauiora. Abscessu maturato & rupto pus effunditur, quod cum vrina excernitur, cum qua interdum saniosæ sordes, interdum ipsa renum corrupta substantia editur. Vacuato autem pure, remanet vlcus, quod ferè diuturnum est, & immedicabile, eo, quod quæcunque pars substantiæ renum vel putredine, vel attritu erosa est, restitui aut solidari nequeat, siquidem spermaticum membrum sunt renes, & acredo vrinæ assiduè perlabentis agglutinari ac coalescere non sinit. Ideo manet sordidum perpetuò, vt in fistula, cuius signum est, quod pus modò, modò mucosum quiddam cum vrina effluit. Vnde vrina alba, turbida, & sero lactis fit persimilis, donec facta separatione materia crassior subsidat. Aëtius testis est, repertos esse, qui integrè ab hoc malo sint liberati, recentia tamen citius, quàm vetera curationem admittunt. Rarius oritur vlcus ex abscessu; interdum ab vrinæ acredine substantiam erodente, vel ab ictu aut casu venas disrumpente, crebertimè à calculo, qui vel pondere contundit, vel attritu lacerat renum substantiam: Item à validè diureticis & λιθοντειπτικοῖς medicamentis. Cuius argumentum est, quod vrina priusquam fieret purulenta, crebrò fuit cruenta, præsertim post agitationem corporis vel exercitium, aut laborem, teste Hipp. 4. *Aph.* 75. *Si quis sanguinem aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.* Mictiones enim cruentæ aut purulentæ magna ex parte à renibus, aut vesica, aut meatu penis oriuntur, à vesicæ verò corpore vel musculo σφιγκτῆρ@. Distinguuntur hæ suis notis: Si ex aperta, rupta, vel *Signa partium læsarum.*

vel exesa vena in interiore meatu penis sanguis erumpit, sine vrina profluit spontè, citra conatum mingendi. Si à renibus proficiscitur copiosus sanguis effunditur, & toti vrinæ permiscetur, vt eo quasi diluta videatur, præsertim si ruptâ venulâ effundatur, teste Hipp. 4. *Aph.* 78. *Quicunque sponte, id est, sine externa causa, vel repentè sanguinem mingunt, his in renibus venula rupta significatur.* Anastomosis venularum in renibus, non confertim sanguinem effundit, sed paulatim, præsertim si apertio sit parua & ferè tenuior sanguis percolatur.

Renum hæmorrhagia.

Hæmorrhagia renum ab erosione fit cum signis vlceris, id est, dolore loci, pure & carunculis apparentibus in vrina, de quibus Hipp. 4. *Aph.* 76. *Quibus cum vrina crassa caruncula parua, aut veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernuntur.* Si à musculo σφιγκτῆρος sanguis oriatur, etiam copiosus est, sed rubicundus, liquidus, & minimè concretus, quique non miscetur vrinæ substantiæ, sed separatur & subsidit. Adsunt verò & alia indicia, de quibus Hipp. 4. *Aph.* 80. *Si quis sanguinem mingat & grumos, & vrinæ stillicidium habeat, dolorq; ad imum pectinem & femen incidat, ad vesicam dolor est.* A vesicæ corpore aut vreteribus cum sint membra exanguia, nunquam copiosus sanguis emanat. Itaq; copia profusi sanguinis affectionem corporis vesicæ à musculi affectione discernit. Causa hæmorrhagiæ renum raro est renum imbecillitas, aut simplex anastomosis, aut iecoris infirmitas, plethora, suppressio mensium, aut hæmorrhoidum, sed si externa & procatarctica non sit, vt casus, vel ictus, vel violentia medicamẽtorum calculos frangentium, creberrimè est calculus ipse, præsertim post labo-

Signa sanguinis à musculo sphynctere.

A vesica aut vreteribus.

Hæmorrhagia renum causa.

laborioſam corporis commotionem, ita vt ſola ſæpe cruenta vrina initio calculum prodiderit. Si ſanguis à muſculo σφιγκτῆρος in veſicam ipſam incidat, vrinam non æqualiter tingit, vt fit in renibus, ſed ſubſidens in fundo concreſcit in grumos, qui interdum ſine vrina eduntur, teſte *Aphor. ſupra allegato*. Dolor inter mingendum tunc percipitur, vt radix penis videatur aduri: Et adſunt aliæ notæ rupturæ, vel vlceris. Interdum grumi cõcreti ſanguinis obſtruunt meatum penis, vt vrinæ effluxus cohibeatur, nec tolli obſtructio poteſt, niſi repulſo grumo per catheterem. Deniq; hæmorrhagia renum omnis eſt aut critica aut ſymptomatica: *Differentia.* Criticã præcedit plethora, ſuppreſſio longa menſium aut hæmorrhoidum, vel ſimile quiddam, & ſequitur manifeſta alleuatio. Symptomatica à renibus vt plurimum vel vreteribus vel veſica prouenit. Sic in purulenta mictione, ſi à renibus ſit pus, accuratè permixtum vrinæ deprehenditur, aut ſi quid craſſius ſeparatum eſt, id effluit ſeorſum; ſi à penè ſit, vel vaſis ſpermaticis, primò pus ſincerum expellitur, deinde ſubſequitur vrina pura. Mucoſa vrina fit vel ab vlcere ſordido renum, aut veſicæ aut vreterum, vel à calculo, vel à materia calculi priuſquam in calculum concreſcat. Τριχίασις, id eſt, fila & capillamenta, quæ cum vrina eduntur, vel ex lenta & ſuperflua pituita in renibus, vel vreteribus combuſta, vel à ſeminis excremento in vaſis ſpermaticis gignitur. Si quando obſtructo vreteris capite à pituita craſſa, à pure craſſo, à calculo & renum caruncula, cohibeatur materia purulenta, aut pituitoſa, aut ſeroſa, illa ſeorſim per renes in venas emulgentes remeat, in-

deque in alias; & vel ad renes congesta, ilia lumbosque distendit adeò, vt quandoque computrescat tota, & rupta cute aut incisa effundatur, vel regurgitatur, aut in habitum totius corporis, & leucophlegmatiam gignit, aut ad matricem in mulieribus, vel ad aluum; vnde alui profluuia existunt.

DE CVRATIONE INFLAMmationis renum.

RENVM inflammatio eadem methodo curatur, qua iecinoris, scilicet vt inter initia prohibeatur, ne generetur & fiat, quod perficitur reuulsione materiæ fluentis; deriuatione eius, quæ fluxit; euacuatione eius, quæ nondum fluit; repercussione illius, quæ in renes sese infert cum impetu; & discussione illius, quæ ex fluxu constitit. Reuulsio in hoc casu præmissa lenitione ventris cum leni clystere fiat phlebotómia basilicæ dextri lateris, præsertim in corpore plethorico. Deriuatio cum euacuatione fiat phlebotomia venæ in poplite, vel in malleolo pedis è directo situ. Commodè etiam deriuat hæmorrhoidum apertio, teste Hippocr. 6. *Aphor.* 11. Si verò sanguis sit biliosus & acutus, euacuetur bilis per ea, quæ ducunt ad aluum leniter sine mordicatione, præmissa tamen præparatione humoris biliosi. Ad renes frigida applicentur, quæ fluxionem repellant, dum fit sanguinis retractio. Deinde reliquiæ discutiantur intus clysteribus leniter resoluentibus, ex *maluis, althea, parietaria, chamemelo, meliloto, feminibus lini, fænugræci, &c.* Item, *decoctis ex radicibus mal-*

Reuulsio.

Deriuatio.

Atrabiliariis & phreniticis hæmorrhoides accedentes, benum

ris maluæ, glyzyrrhizæ, fœniculo, passulis addendo semina diuretica frigida & calida: item *hordeum*, & similia. Foris inunctionibus & emplastris, fomentis, quorum exempla sæpe hactenus recitata sunt in inflammationibus epatis, ventriculi, & aliarum partium. Si inflammatio tendat ad suppurationem, adhibeantur, quæ pus maturent, & hoc maturato abscessum rumpant, pus expurgant, vlcus abstergant ac solident. Quo in casu sæpe acredo humoris biliosi retundatur alterantibus, & fiat euacuatio cum *cassia, diasebesten, diaprunis cum tamarindis, pulpa prunorum*. Quibus addatur aliquid *pulueris glyzyrrhizæ rasæ, semine maluæ, squinanthi* aut similibus. Venter sæpe leniatur clysteribus leuibus. Decoctio optima in hoc casu erit:

Potio euacuans.

℞ Hordei mundi,
Endiuiæ,
Lactucæ, Hepaticæ,
Capillorum Veneris,
Ceterach,
Fumi terræ,
Maluæ, ana M j.
Sem. frigidor. communium mundatorum,
Passularum enucleatarum,
Iuiubarum,
Sebesten,
Seminis papaueris albi, ana ʒ iiij.
Rad. Glyzyrrhizæ rasæ, succi eius,
Sem. Altheæ, ana ʒ vj.
Tamarindorum, ℥ ij.
Prunorum, num. x. Decoquantur in aqua ad consumptionem partis dimidiæ. Residuum colatum dulcoretur melle vel saccharo. Huius decocti ℞ ℥ v. pro

vna vice. In quibus dissoluatur aliquid de manna, de cassia, fistula, vel electuario diasebesten, & continuetur vsus per dies aliquot. Post euacuationem fiat abstersio vlceris cum aqua mellis, vel sacchari, vel hordei, vel maluæ, cui diuretica aliqua incoqui possunt, vel cum *decocto seminum maluæ, altheæ, glyzyrrhizæ rasæ, cicerum, capillorum Veneris*, vel cum *decocto marrubii, seminis altheæ, sem. Alkekengi, capillorum Veneris, rad. glyzyrrhyzæ in aqua mellis, quibus addi possunt diuretica*, vt *radices vel semina apii, petroselini, asparagi, &c.* Si fortioribus abstergentibus sit opus, valebunt *radix ireos, aristolochiæ, farina orobi, &c.* Pro solidatione tale conueniet decoctum:

Abstergentia.

Electuarium consolidans.

℞ *Seminum communium frigidor. mundatorum,*
Seminum Papaueris albi,
Maluæ,
Portulacæ,
Plantaginis,
Granorum myrti,
Tragacanthi,
Gummi arabici,
Pinearum mundatarum,
Iuiubarum,
Fisticorum,
Amygdalarum dulcium,
Glyzyrrhizæ mundæ ana ℥ ß.
Boli armeni,
Sanguinis draconis ana ʒ iij.
Rosarum,
Spodii ana ℥ ß.
Mellis vel sacchari quantum sufficit. Misce, fiat electuarium. Vel:

℞ *Cicerum rubrorum* ℥ jx.

Bulliant

Bulliant in ℔ v. aquæ fontis claræ ad consumptionem partis tertiæ. Colaturæ adde:

Glyzzyrrhizæ rasæ subtiliterq́; incisæ ℥ ß.
Folior. maluæ cum radicibus,
Radic. altheæ mundæ,
Radicum graminis,
Agrimoniæ,
Cuscutæ ana M ß.
Iuiubarum,
Sebesten ana num. v.
Seminum melonum mundatorum ℥ ij.
Granorum Alkekengi M ß.
Granorum solatri ℥ ß.
Oßium mespilorum contusorum ℨ iij.
Milij solis ℥ ß.

Decoctum.

Bulliant in prædicto decocto ad casum tertiæ partis. Colaturâ vtere cum saccharo. Valent & *trochisci de Alkekengi sine opio*, & *trocisci de spodio cum semine acetosæ*, & *terebinth. lota cum aqua altheæ aliquoties*, & exhibita cum puluere *glyzyrrhizæ rasæ, semine maluæ, semine portulacæ, spodii, boli armeni, &c.* Foris etiam applicari possunt, quæ astringunt & solidant, quorum exempla in dysenteria sunt tradita.

DE CVRATIONE CALCVLI.

A calculo crebrius, quàm ab aliis causis, quas cõmemorauimus, ostendimus & renum obstructiones effici, & excitari dolores nephriticos, & exulcerari carneam eorundem substantiam. Quare in calculi curatione oportet Medicum diligentem esse & cautum. Consistit verò ea in præseruatione & vera curatione. Præseruatio tollit

& mitigat cauſas materiales & efficientes. Diximus autem, materiam calculi eſſe principaliter phlegma pituitoſum, etſi ſæpe etiam de aliis humoribus aliquid miſcetur ſingulis aut vniuerſis, vt de ſanguine, bile flaua, ſucco melancholico, præſertim aduſto, prout de horum aliquo plus minusvè in maſſa ſanguinis redundat: Propterea & coloribus differunt arenulæ & calculi, qui cinereus eſt, vbi calculus ex ſolo phlegmate viſcido & craſſo concreuit; aut ex albedine rubet, cùm craſſi ſanguinis aliquid admixtum eſt; aut tendit ad tenuem flauedinem, vbi bilis pallida phlegmati albo commiſcetur; aut vergit ad flauedinem maiorem, vel etiam rubicantem, qualis eſt in vitellis ouorum, cùm bilis flaua aut vitellina ad pituitam acceſſit; aut liuet & nigricat, cùm ex craſſo & aduſto melancholico ſanguine coaluit; bilis flaua enim ferè pituitam defert atque diducit ad renes, vt promptius penetret. Melancholicus ſuccus admixtus, ſiccitate ſua facit, vt citius materia areſiat, & induretur, ſed baſis ſemper eſt pituitoſum & craſſum phlegma, quod generatur primariè in ventriculo, & augetur atque coaceruatur aliis cauſis.

Efficientem proximam diximus eſſe epatis & renum caliditatem. Calore enim epatis phlegma attractum, cùm ob craſſitiem in bonum & vtilem ſanguinem percoqui & conuerti nequeat, paulatim aduritur, indeque lenteſcit & ſicceſcit, hinc ad renes cum ſero expulſum, & non ſtatim ſegregatur & exturbatur, calore cogitur in ſolidam duritiem, quæ eſt lapis, perinde vt in articulis, & fiunt calculi tanto duriores, quanto materia pituitoſo

tofo in epate magis vstulata fuerit. Prohibetur ergo generatio calculi omnium harum causarum emendatione aut remotione. Totus rerum sex non naturalium vsus ita temperetur, vt quam minimam causam aut occasionem crudo phlegmati gignendo præbeat. Ventriculus roboretur, vt benè & rectè coquat alimentum conueniens, quod temperatum esse debet & εὔχυμον, nec relinquat cruda in chylo maturato; si verò sit genitum phlegma, & redundet in ventriculo in venis vtrisque mesaraicis & propaginibus venæ cauæ, & in habitu corporis educatur, postquam præparatum fuerit, medicamentis phlegma ducentibus, de quibus & dictum est, & dicetur, ac ventriculus confortetur. Plurimum autem ad præseruationem conduxerit crebrò aluum. Vel leni solutiuo, vt ante prandium *floribus cassiæ, aut mannæ: pilulis alephanginis*, ante cœnam, aut cibis etiam aluum emollientibus, vel clystere leui aluum ciere & subducere, quod per aluum lubricam ac patentem materiæ crudiores citius feruntur, quàm ad epar, quæque ad epar abriperentur, natura duce paulatim ad aluum fluere consuescunt: Denique si feces crudæ diu in intestinis commorentur, aut phlegma viscidum, quod ferè intestinorum tunicis adhæret, attrahuntur illa à mesaraicis, & transferuntur in epar. Docet enim experientia ratione suffragante, hoc modo magnam calculo materiam præcidi. Intemperies calida renum & epatis alteretur, tum victus ratione declinante ad frigiditatem diureticam, tum medicamentis, quæ foris intusque adhibentur, de quibus dicemus & in curatione.

Præseruatio à calculo.

Vera

Vera curatio arenularum & calculi præſentis ſumitur ab ipſa morbi ratione, quæ eſt obſtructio, & à loco affecto. Facit autem obſtructionem calculus renum, antequam in veſicam erumpit, aut in ipſa carnea renum ſubſtantia, aut in ſinu amplo ad caput vreteris, vel etiam in ipſo ſinu, ſi ſit grandis, aut in vreteribus, & interdum quidem in vno ſolo, interdum in vtroque ſimul. Cum autem calculus durus ſit & ſolidus, non ita ſeſe propelli & excuti patitur, aut incidentibus aut abſtergentibus, ſicut humor viſcidus, aut ſolis diureticis attractâ vrinæ copiâ, quæ calculum & comminuant, ſed pluribus intentionibus opus eſt. Nam & infrà meatus, per quos ferri debet, oportet laxari, aperiri, emolliri & diſtendi, vt duritiei calculi magnitudini promptè cedant, nec comprimantur aut coarctentur excrementis vel flatibus inteſtinorum: & ſuprà demum impelli calculum, vt ex renibus in ſinum ampliorem, inde in vreteres, ex his in veſicam, ex veſica in οὐρήθραν adigantur. Id perficietur diureticis cientibus & impellentibus vrinam: Fiet & lithontripticis, ſi magna ſit calculi moles, motu item & agitatione corporis. Sed in diureticis ſemper ordiendum eſt à leniſſimis & mitiſſimis, paulatimque progrediendum ad fortiora. Lithontripticis non eſt vtendum temerè, niſi vrgente neceſſitate. Vtriſque verò aut miſceantur aut præmittantur, quæ leniant dolorem, inungant ac ceu lubricos reddant meatus & prohibeant, vt quam minimum diuretica noceant, quæ cum ſint tenuium partium ſubtilitate ſubſtantiæ, & vi caloris facile renum carnem lacerant & vlcerant. Nunquam autem diuretica aut lithontri-

ptica

ptica exhibeantur, nisi accuratè expurgatis non tantum communibus viis ventriculi, intestinorum, mesaraicarum & epatis, sed reliquis etiam venis corporis, ne diuretica inde secum copiam crudorum & crassorum humorum ad renes ducant & obstructionem augeant, faciantque ex malo simplici geminum. Hæc omnia complexus est cum signis ipsis exactissimus Hippocrates *in 1. parte 6. Epid. In rene dolor grauis, quando implentur cibo, vomunt pituitam: cum verò inualuerunt dolores, æruginosa, & sentiunt alleuationes. Soluuntur etiam dolores cibis euacuatis, arenulæ subruffæ subsidunt in vrina, cruenta mingunt, stupet femur è directo positum: Quiescere non oportet, sed exerceri, non impleri; iuuenes elleboro purgare, venam poplitis incidere, diureticis euacuare ac mollire.* Ad præseruationem ergo ab arenulis & calculo & ad eductionem calculi, ad mitigationē dolorum nephriticorum, hæc conueniunt: Primùm expurgatis communibus venis; deinde præparetur materia, si sit crassa & viscida, cum *oxymelle simpl. & cōposs. melle rosato, syrupo de byzantiis, de duabus radicibus.* Et si adsit magna caliditas epatis & renum, addatur aliquid *syrupi de endiuia, violacei, de iuiubis. Diluantur hæc cum aqua decoctionis seminum frigidorum, endiuiæ, cichorii:* in magna caliditate, *cum aqua saxifragæ, asparagi, fœniculi, lupulorum, betonicæ,* si non sit magna. Postea euacuetur materia cum *electuario diasebesten, cassia fistula, diacatholicone.* Quibus pro ratione corporis misceatur aliquid de *electuario Indo, vel benedicta,* vel *confectione hamech.* Post euacuationem exhibeantur bis in septimana *electuarii Iustini optimi cum ℥ j. sacchari violati:* vel exhibeatur *terebinthina lota cum aqua violarum ℥ v. Benedicta*

Materiam præparantia.

Euacuantia.

dictæ ℥ ij. *lapidis Iudaici præparati* ℥ j. *boli forma, aut cum aqua Nasturtii, vel sisymbrii aquatici.* Commendatur etiam plurimum *emulsio seminũ, melonum:* præsertim in magna intemperie calida, cum *syr. violat. & succo glyzyrrh.* Item frequens vsus *cassiæ.* In præsenti calculo simul administrentur clysteria & pharmaca euacuantia, & inter initia clysteria non tantum feces educant, sed & leniant & emolliant ac lubrificent, aperiant aut laxent meatus.

Enema. ℞ *Foliorum caulium,*
Maluæ,
Altheæ,
Sisymbrii aquatici,
Parietariæ,
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Seminum Apii,
Petroselini & radicum eorundem, ana M j ß.

Decoquantur in s.q. aquæ ad casum partis dimidiæ: Colaturæ ℞ ℥ x. *addantur:*
Benedictæ ℥ j.
Cassiæ extractæ pro clystere ℥ ß.
Ol. Anethini,
Rutacei, ana ℥ j ß.
Vitellum oui, num. j.
Sacch. rubri ℥ j. *Fiat enema.*

Vel aliud fiat, quod magis dolorem lenit:

Aliud dolorem magis leniens. ℞ *Folior. Parietariæ,*
Maluæ, ana M j ß.
Semin. Lini,
Fœnugræci,
Radicum Altheæ, ana M ß.
Rad. Acori,

Asari

Asari, ana ℥ ij.
Granorum sebesten, num xv.
Glyzyrrhizæ rasæ, *Sem. Milii Solis ana* ℥ ß.
Florum Chamomillæ M ß.

Contusis contundendis, & incisis incidendis fiat decoctio in s.q. aquæ. Colaturæ ℞ *q. s. pro clystere, cui adde benedictæ* ℥ j. *vel benedictæ & cassiæ ana* ℥ ß. *ol. amygdalar. amar.* ℥ iij. *facch. rubri* ℥ j ß. *vitell. oui num.* j. *Misce, fiat enema.* Factis euacuationibus talibus, si nec dolor cesset, nec calculus procedat, adhibeantur supra diuretica, vel etiam, si lapis sit grandis, lithontriptica, & intra, quæ leniunt dolorem, aperiunt, emolliunt, vt vtroque modo calculus promoueatur. Diuretica frigida sunt semina communia frigida maiora, *melonum, cucumerum, cucurbitarum, citrullorum*: Minora, *lactucæ, portulacæ, cichorii, intybi, & horum plantæ ac radices.* Semina calida diuretica maiora sunt; semina *cumini, carui, anisi, fœniculi*: Minora, *dauci, apii, ameos, amomi.* Et præter hæc *asparagi, vrticæ Romanæ, leuistici, nasturtii aquatici,* & plura alia, sicut *cicera rubra, grana Alkekengi.* Radices diureticæ sunt, *apii, petroselini, asparagi, graminis, brusci,* & præter hæc, *asari, cyperi, galangæ, leuistici, &c.* Ex herbis conueniunt, *saxifraga, pimpinella, nasturtium aquaticum, betonica, parietaria, vrtica, calamenthum, abrotanum, linaria &c.* A proprietate valent contra calculum *lapis Iudaicus, cinis scorpionum, lapis spongiæ, lapis lyncis, sanguis draconis, hirci, aqua raphani, vel succus raphani, lapilli cancrorum, succinum album:* & præter hæc *nuclei persicorum torrefactorum, ossa mespilorum, semen naporum.* Ex his pulueres, electuaria, trageæ: Decocta parentur cum ad vrinæ prouocationem, tum ad calculi diminutionem. Vt:

Diuretica frigida.

Calida. Semina.

Radices.

Herbæ.

A proprietate iuuantia.

℞ *Sem.*

℞ *Seminum Apii,*
Petroselini,
Tragea. *Genistæ,*
Saxifragæ, *ana* ℥ j.
Fœniculi,
Anisi,
Carui,
Vrticarum,
Naporum, ana ℥ ß.
Oßium mespilorum contusorum ℈ ij.
Electuarium. *Sem. commun. frigid. omnium,* ℥ ß.
Milii solis ℥ j.
Spicæ,
Cinnamomi ana ℥ ß.
Glyzyrrhizæ rasæ ℥ iij.

Sacchari ad pondus, fiat tragea: Vel, addito melle despumato, fiat electuarium. Puluis sumatur cum *aqua saxifragæ*, vel *pimpinellæ*, vel *nasturtii aquatici*, vel cum decocto quinque radicum aut cicerum. Aut post electuarii vsum bibatur haustus aquæ saxifragiæ, vel pimpinellæ, vel nasturtii aquatici. Conducunt ex compositis *diacuminum, electuarium Iustinum, electuarium ducis, theriaca antiqua, mithridatium.* Et si calculus sit grandis lithontriptica exhibeantur, vt: ℞ *Electuarii Lithontriptici Nicolai* ℥ iij.

Electuarium lithontripticum. *Elect. Iustini* ℥ j. *Misce.*
Exhibeantur. Vel:
℞ *Sanguinis hirci præparati* ℥ j ß.
Potio. *Lapidis Iudaici præparati* ℈ j.
Theriacæ electæ ℈ ß.
Decoctionis raphani, vel alkekengi, vel saxifragæ, factæ in vino albo, subtili, potenti, ℥ iij. propinetur. Vel:
℞ *Sanguinis hirci præparati,*

Oxymell. squillitici, ℥ ß.
Succi Parietariæ,
Limonum,
Raphani decocti in vino albo ℥ iij. Miſce.

Vel ℞ *Sem. Geniſtæ*, ℈ ij, *Puluis.*
Dauci,
Aniſi,
Fœniculi, *ana* ℈ ß.
Lapidis ſpongiæ præparati,
Semin. Vrticæ Romanæ,
Radicum Cyperi, *ana* ʒ ß.
Sanguinis hirci præparati ʒ j.
Milii Solis,
Glyzyrrhizæ raſæ, *ana* ʒ j ß.
Gummi ceraſorum ʒ iiij.

Terantur omnia in puluerem ſubtiliſſimum, vel redigantur in formam rotularum aut electuarij.

Ad balneum vſurpentur *malua*, *althea*, *parietaria*, *chamomilla*, *melilotum*, *ſaxifraga*, *abrotanum*, *betonica*, *radices maluæ*, *altheæ*. Et ex diureticis aliquæ, vt *Apii*, *petroſelini*, *aſparagi*. Item *ſemen lini*, *fœnugræci*. *Topica.* Fomentum fiat *ex decocto maluæ*, *altheæ*, *floribus chamomillæ*, *meliloti*, *ſaxifragæ*, *betonicæ*, *calamenthi*, *pulegii*, *ſemine lini*, *fœnugræci*, *radice altheæ*, *facta* ſcil. *decoctione in vino*, *& ſpongia intincta*, poſt expreſſionem applicata ad lumbos & ilia. Sacculi etiam parentur ex eiſdem herbis additis, ſi fuerit opus, *ſeminib. carui*, *cumini*, *ameos*, *dauci*, *milii ſolis*, *granorum alkekengi*, *granorum iuniperi*, & ſimilibus. Poſt fomentum fiat inunctio earundem partium cum vnguentis talibus, aut ſimilibus:

℞ *Ol. Scorpionum*, *Vnguentum.*
Amygdalarum dulcium,

Batyri recentis ana ℥ ß.
Mucilag. Fœnugraci,
Seminis lini ana ℥ v.
Pulu. rad. Saxifraga;
Lapid. Iudaici,
Lapid. spongia, ana ℥ ß.
Cera parum. Misce, fiat vnguentum.

Potest addi *terebinthina, oleum liliorum alborum, oleum amygd. amar. costinũ, anethinum, pinguedo anseris, emplastrum de meliloto.* Aut paretur emplastrum *ex malua, althea, sem. lini, fœnugraci. florib. chamomilla, meliloti, caricis pinguibus, ficubus, facta horum sufficienti coctione, & addito ol. amygd. dulc.* & hæc applicentur ex parte vtraq; posteriore ad lumbos & renes: anteriore ad ilia & pubem. Si his omnib. tentatis perseueret dolor, & cogat vti narcoticis, exhibeantur illa vel per os, vel clysteris forma, vt:

Empla-strum.

Potio.

℞ *Glyzyrrhiza rasa, passularum, ana* ℥ iij.
Milii Solis, Capillorum Veneris, ana ℥ ß.

Bulliant in aqua aut chamomeli, aut agrimonia, aut parietaria: huius decoctionis

℞ ℥ ij ß. *Specierum lithontriptici* ℨ j.
Philonii Romani ℈ ij.
Vini albi odoriferi ℥ ij.
Sacchari optimi ℥ ij.

Misceantur & ebulliant vnica ebullitione, & exhibeantur ante prandium. Vel, ℞ *decoctionis s descripta* ℔ ß. *pro clystere. In hac dissolue philonii Romani* ℨ j. *ol. amygd. dulc.* ℥ vj. *vini albi odoriferi clari* ℥ iij. *fiat enema.* Mala complexio renum calida corrigatur cum vnguento de amylo Montagnanæ facta vnctione bis vel ter in die, quod:

Enema.

Vnguentum.

℞ *Ol. Sambucini,*

Viola

Violati, Rosati, ana ℥ j ß.
Cerussæ , ʒ x.
Thuris, *Mastiches, ana* ʒ j.
Camphoræ ℈ j.
Amyli ʒ x.
Aquæ rosa. ℥ j.
Albumina ouorum , *num.* ij,
Ceræ ℥ v.

Coquantur simul oleum & cera, deinde addantur species aliæ, & subigantur. Postremò misceatur ʒ j. *boli armeni, & fiat vnguentum.* Proderit & *vnguentum santalinum,* quod dissolui potest *in oleo violato & nymphea.* Aut applicentur emplastra ex *portulaca & oleo rosato decoctis in lacte vaccino vel ouino, addito oleo rosato omphacino.* Ventriculus roboretur inunctionibus & fomentis, de quibus suo loco dictum est.

DE MICTIONE SANGVINIS.

MICTIO sanguinis si critica fuerit, non est restinguenda: si à ruptura vel apertione venæ in renibus propter copiã aut subtilitatem sanguinis. Primum fiat, vt in inflammatione, ἀντίσπασις phlebotomia basilicæ vel mediæ, vel si hæ non reperiantur, cephalicæ, aut prouocatione fluxus narium. Deriuatio fiat incisione venæ poplitis aut malleolorum; Post restringentia adhibeantur, quæ simul acumen humorum in sanguine reprimant & alterent, vt sunt syrupus *de rosis siccis, myrtinus, de succo acetosæ. cum aquis plantaginis, acetosæ, rosarũ, portulacæ,* & similibus. Fiat euacuatio cum rhabarbaro, & similibus. postea adhibeantur cõstringentia & solidantia vtiq; intus & foris.

Intus conueniunt *trocisci de carabe, de terra sigillata, bolus armenus, lapis hæmatitis præparatus, sanguis draconis, gummi arabicum, trocisci de alkekengi sine opio.* Vt:

Potio.

℞ *Millefolii triti in puluerem,* ℥ j.
Lactis ouini vel caprini, vel aquæ melonum aut plantaginis, ℥ v.
Boli armeni præparati & in puluerem triti ʒ j.

Misce, & exhibeatur. Vel:

Conducit etiam puluis de pedibus perdicum.

℞ *Diacitoniton sine speciebus cum saccharo* ℥ j.
Trociscorum de carabe ʒ j.
Emulsionis papaueris albi ℥ ß. *Misce, fiat conditum:* Vel detur ʒ j. *lapidis hæmatitis torrefacti, & pulueri zetur cum aqua plantaginis q. s.* Foris renibus & epati epithemata, emplastra, cerata applicentur ex similibus.

Epithema optimum erit pro epate:

Epithema epatis.

℞ *Aquarum Plantaginis,*
Acetosæ,
Endiuiæ,
Solatri,
Absynthii, ana ℥ iij.
Santali albi & rubri,
Been albi & rubri,
Rosarum rubrarum, ana ʒ j ß.
Spodii, ʒ ij.
Spicæ, Gr. x.
Aceti optimi ℥ iij. *Misce. Fiat epithema.*

Vel fiat vnguentum tale:

Vnguentum.

℞ *Olei rosacei omphacini* ℥ ij.
Myrtini,
Succi Plantaginis,
Millefolii, ana ℥ ß.
Trociscorum de terra sigillata,

De Ca-

De carabe ana ʒ j.
Aceti ʒ ij. *Misce.*

Terenda terantur in puluerem cum modico cera, fiat vnguentum. Vel:

℞ *Santali albi & rubri,* **Ceratum pro renibus.**
Spodii,
Sumach,
Myrtillorum, ana ʒ ij.
Seminum Plantaginis,
Acetosæ,
Portulacæ,
Acaciæ,
Hypocystidis,
Boli armeni,
Serici combusti ana ʒ j ß.
Pilorum leporis combustorum ana ʒ j.

Terendis tritis cum s. q. succi plantaginis & olei rosati omphacini vel myrtini, addita pice & cera, fiat ceratum, applicandum renibus.

Si mictio sanguinis sit ab vlcere, curabitur sicut vlcus, mundificantibus & solidantibus, vt:

℞ *Capillorum Veneris,* **Syrupus.**
Foliorum arnoglossæ ana M j ß.
Seminum melonum mundatorum ℥ j:
Mellis,
Sacchari ana ℥ j.

Facta decoctione fiat syrupus, vel addantur, si maiore alteratione sit opus, *semina cucumeris, cucurbit. citrullorum mundatorum, semen papaueris albi, cidoniorum, althea.* Electuarium mundificans optimum, quod hoc modo fit:

℞ *Seminum melonum mundatorum,* **Electuarium mundificans.**
Granorum alkekengi,

Seminis altheæ, ana ℥ iij.
Amygdalarum amararum,
Seminis citrullorum,
Capillorum Veneris,
Radicis Ireos,
Farinæ Orobi,
Glyzyrrhizæ mundæ, ana ℥ j ß.
Seminum Lactucæ,
Apii,
Dauci, ana ℈ ij.

Pro abstersione, sicut omnia amara.

Tritis terendis cum saccharo fiat electuarium. Mundificant & solidant simul decoctiones *folior. pentaphylli, aut agrimoniæ & plātaginis cum saccharo.* Item *lac caprinum, & trocisci de Alkakengi.* Consolidans optimum est:

Emplastrum.

℞ *Consolidæ maioris & minoris, ana ℥ iij.*
Sanguinis Draconis,
Boli armeni, Thuris,
Mastiches, ana ℥ ij.
Acatiæ, Myrrhæ, ana ℥ ß.
Spicæ nardi, ℈ j.
Gummi arabici,
Tragacanthi, ana ℈ ij.

Cum saccharo fiat electuarium. Cui addi potest aliquid de trociscis prædictis.

DE DIABETE.

DIABETES etsi rarius est, tamen curationem tradėmus. Cùm autem sit ab imbecillitate retentricis, & calida intemperie renum, quæ dilatat vias vrinarias, & corporis humiditates eliquat, curatur alterantibus calidam intemperiem, & roboran-

porantibus retentricem, quod fit frigidis astringentibus. Et quando intemperies renum epati etiam communicatur, propterea huius etiam habeatur ratio. Fiat ergo initio præparatio materiæ & euacuatio, vt in mictione sanguinis cum *syrup. de rosis siccis, myrtino, de succo acetoso, additis aquis conuenientibus.* Proderit & *syrupus de agresta, & de succo limonum & arantiorum*, vel fiat decoctio ex astringentibus, quibus inest aliquid diureticum, quæ aromatizentur *corallis rubris & myrobalanis citrinis.* Euacuatio fiat cum *rhabarbara, myrobalanis cytrinis* propter fluxum, cum *florib. cassiæ*, propter intemperiem calidam. *Dissoluantur hæc in decocto florum cordialium, buglossæ, boraginis, violarum, & seminis acetosæ, plantaginis, portulacæ:* Additis *corticibus myrobalanorum, cytrinorum.* Post euacuationem morbus ipse curetur iis, quæ intus forisque applicantur. Conueniunt in hoc casu *trocisci de spodio cum semine acetosæ, forma pilularum*, vel *pulueris in aqua plantaginis* exhibita, vel fiat electuarium tale:

Electuarium.

℞ *Diacitoniton sine specieb. siue mitua cidoniorum,*
Sacchari rosati ana ℥ ij.
Spodii, ʒ ij.
Corallorum rubrorum ʒ j ß.
Myrobalanorum citrinorum ʒ j.
Tritis terendis cum succo cidoniorum fiat electuarium.

Spodium arabicum est, & significat ebur vstum.

Possunt addi *myrob. citrini & ossa dactylor.* Vel fiat decoctum *ex granis myrti, acinis granator. corticib. granatorum, balaustiis, sem. cidonior. semine rosar. rubrar. coriandri præparati, been albo & nigro, hypocystide, acacia, ex omnibus vel plurimis horum in vino nigro stiptico ad consumptionem partis tertiæ, & de colatura pro vna vice propinentur ℥ iij. cum ʒ j ß. myrobalanor. cytrinorum, tritorum*

in puluerem. Foris epithema & inunctiones addantur epati & renibus, quale est:

Epithema.

℞ *Aquarum Plantaginis,*
Rosarum,
Acetosæ,
Solatri, ana ℔ ß.
Aq. Absynthii ℥ iiij.
Specier. Cerati san al ni ℥ j.
Spodii,
Corallorum rubrorum,
Seminis rosarum rubrarum,
Sem. Acetosæ,
Plantaginis, ana ʒ ij.
Spicæ, Gr. x.
Aceti optimi ℥ iij. *Misce, & cum petia rara madefacta applica.* Vnguentum vsurpari tale potest:

Vnguentum.

℞ *Olei rosati completi,*
Myrtini,
Cidoniorum, ana ℥ j.
Santali albi & rubri,
Rosarum rubrarum,
Spodij,
Corallorum rubrorum ana ʒ j.
Succi Plantaginis,
Semperuiui, ana ʒ ß.
Cum cera fiat vnguentum.

Pro mingentibus in lecto.

Conducunt hæc etiam ad retinendum inuoluntarium fluxũ, in iis, qui se noctu permingunt. In quo casu etiam laudatur *puluis lupularum glandium manè exhibitus pondere* ʒ *ij. cum vino nigro stiptico.* Plurimum etiam in hoc casu valet hic puluis:

Puluis.

℞ *Stomachorum gallinarum cum vino ablutorum,*

Pulue-

Pulueris capitis leporis vsti,
Mastiches ana ℥ ß.
Agrimoniæ ʒ v.
Cineris erici combusti ʒ iiij.
Misce, fiat puluis, de quo detur ʒ j ß. manè cum vino styptico.

DE MORBIS VESICÆ.

CAPVT XIX.

VESICA, etsi vt reliqua organica membra, omni morborum generi obnoxia, frequentius tamen intemperie & calculo affligitur rarius exulceratione; rarò admodum inflammatione, aut abscessu, aut soluta vnione. *Vesica calculus.*

Calculus vesicæ substantia, magnitudine, colore, figura & situ à renum calculo discernitur. Materia eius sunt vel crassi crudiq; humores, quales in infantibus & pueris colliguntur ex voracitate & intemperantia, aut corrupto lacte, cumque vrina in vesicæ capacitatem feruntur, in qua sua grauitate subsidentes & lentore adhærescentes loci calore arefacti sensim lapidescunt, & accedente indies noua materia atque adhærescente velut incrustantur, prorsus vt in thermis tophi generantur ex lenta viscidaque materia lapidibus lignisve agglutinata, vel calculi renum. Si moram in vesica trahant, & adhæsu deuectarum cum vrinis sordium, atque accretione augeantur: Hoc modo in adultioribus: illo in infantibus & pueris frequentius gignuntur, illis præsertim, qui à natura habent διάθεσιν quandam & affectionem ad vesicæ calculum. Signa calculi in vesica sunt inter *Calculi Vesi. a sig. na.*

ter initia, dum adhuc exiguus est, & leuis, pruritus quidem vagus & oberrans, titillatio quædã circa pubem. Vbi vero increuerit, ponderis cuiusdam sensum infert pubem aggrauantis, quo tempore incessus per asperiora loca, aut ad editiora ascensus, item commotio corporis paulo vehementior, vt saltatio, vectatio, equitatio, nõ fit sine difficultate & dolore, vrinâ incitatâ irritatur conatus excernendi, & vrgetur, cumq; emittenda est, fluor vrinæ repentè insistit, inuoluto ad ceruicis osculũ calculo, aut in ipsam ceruicem irrumpente, propterea ægri pudendum scalpere, aut violenter distendere volunt, & tunc quidẽ dolor cum pudendo intenditur, cum mingendi conatus irritatur. Adest verò & egerendi conatus, eò, quod vicinum intestinum rectum calculi magnitudine comprimitur & extimulatur. Vrinæ sunt crudæ ac subalbidæ, crassæ, turbidæ, sedimentum habentes arenosum & scabiei simile aut purulentum vel mucosum. Deniq; si perseuerantibus his notis omnibus, aut digito in anum inserto, aut immisso in penem cathetere, calculus repellatur, & dolor cesset, certissimum calculi indicium est. Frequentius aũt in pueris, quàm senibus nascuntur. Etsi n. vtrique crudos humores colligunt, plures tñ & crassiores pueri propter voracitatem, intemperãtiam, inordinatos motus, rationem & ordinem diætæ quam senes colligunt. Habent & calorem fortiorem pueri quam senes, & in senibus ferè à renum calculo tantum incipit.

Vesicæ inflammatio. Inflammatio raro aut nunquam corpori vesicę (ꝙ tenuis est & exigua) sed ferè musculo sphyncteri accidit, cùm acuta & ardente febre, dolore lace-

lacerante, seseque cum tumore, rubore & ardore pubis ostendente, cùm mentis alienatione, vomitione sinceræ bilis, insomniis, vrina tota supprimitur, manente tñ cupiditate & conatu emittendi: Aluus etiã astringitur, intestino recto vel tumore inflãmationum vel impletæ ab vrina vesicæ mola cõpresso: Totum n. ferè epigastrium ab vmbilico ad pubem vsq;, totaq; circa pubem regio distenditur & intumescit. Catherem præ magnitudine & sæuitia doloris non admittit. Talis inflammatio interdum in gangrænã vertitur, & desinit in mortem; interdum transit in abscessum, quo rupto emittunt, vbi pus effusum est, simulq; vrinam, quæ fuit detenta. Ex abscessu si seruetur æger, manet vlcus cauum & sordidũ, ex quo cum vrina crassa modo sanies, modo pus graueolens copiosum excernitur, teste Hipp. 4. *Aph.* 81. *Si quis sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor sit, vesicæ exulcerationem significat.* Exulceratur interdum vesica etiam à calculo vel vrina acri, quæcunq; sit acredinis causa. Quapropter Hipp. 4. *Aph.* 77. inqt: *Quib. cum vrina crassa furfuracea quadã simul exeunt, his vesica scabie laborat.* Fit enim exulceratio talis ferè superficietenus, abrasa tantum interiore pellicula, & tunc quidem vel pelliculæ, vel squamulæ, vel furfurea simul eduntur. Sed si vlcus serpat, & profundiora etiã depascat, editur vrina crassa, modò sanguine, modo pure pmixta; sicut sordidi vlceris & feculenti argumenta sunt sedimenta in vrina mucosa & farinæ similia. Discernenda aũt *est exulceratio vreterũ ab exulceratiõe vesicæ:* si n. vreteres exulceratio occuparit, dolor inter pubẽ & renes sentit, & pus ferè capillorũ specie oblongũ editur sc̃dm vrete-

Signa.

Vesicæ exulceratio.

Signa Vlceræ vesicæ ab Vlceribus Vreterum distinguentia.

vreterum rectitudinem: Si collum aut corpus vesicæ, dolor sentitur acerbus & assiduus circa pubem, vrina contineri nequit, adest assidua mingendi cupiditas, neque assurgere ægri sine ingenti cruciatu, neque rectè stare possunt, neq; resupini cubare, & quidē si collum vesicæ occuparit, tempore mictionis magis exacerbatur, quàm si sit in corpore. Vocant autem symptoma, quod ad talem exulcerationem sequitur, vulgo ardorem vrinæ.

Symptomata vesicæ & meatui vrinario communia.

Symptomata vesicæ & vrinario meatui in pene communia sunt, ἰσχουρία, στραγγουρία, δυσουρία, & id, à quo nominantur, οἱ ἐνουροῦντες, quod est ἄκαιρος καὶ ἀπροαίρετος οὐρία, id est, mictio intempestiua & inuoluntaria, qua qui laborant, continere vrinam nequeunt, seque ipsos permingunt sine tamen acrimonia & doloris sensu. Fit malum hoc musculo sphinctere, qui collum vesicæ orbiculatim circumdat, aut neruis, qui è lumborum vertebris in hunc inseruntur, paralysi affectis, à casu, ictu, frigore, aut defluxu catarrhorum, cæteris, qui sese noctu permingunt, vt pueris, accidit idem non resoluto, sed laxato ac ceu emollito eodem musculo, cùm alioquin in somno virtus animalis obscurior sit & hebetior in corpore.

Mictio inuoluntaria.

Ischuria quid.

Ἰσχουρία *suppressio vrinæ* est, cuius causa est vel hebetior sensus vesicæ, & nimia laxatio ex longa retentione vrinæ, quo fit, vt non sentiat irritationem, nec sese ad expulsionem constringat; vel στέγνωσις, seu astrictio seu obstructio vel vreterum amborum, vel ceruicis vesicæ.

Eius causa.

Obstructionem efficiunt calculi grandiusculi, humores crassi, grumus concreti sanguinis, inflam-

flammatio, pus crassum. In collo vesicæ præter hæc tuberculũ carnosum & callosum, cuiusmodi nasci consueuit ex vlcere sordido aut virulenta gonorrhœa. Si sit ἰσχουρία ab obstructione vreterum amborum (nam altero tantum obstructo vrina non retinetur) præcesserunt notæ calculi, percipitur grauitas lumborum, dolor adest interdum vehemens, præsertim cum est à calculo, cupiditas mingendi nulla adest, nec tumor vllus, aut dolor ad pubem, vesica vacua est & depressa, nec ad insertionem catheteris vrina sequitur; si obstructio in pene sit, titillatio adest; aut dolor cum conatu mingendi, quo tamen nihil exprimitur, tota circa pubem regio, vesica impleta ac distenta tumescit, cathetere immisso vrina prolicitur, eâ euacuatâ remittit dolor, & tumor subsidit.

Δυσουρία in collo vesicæ est, quod dysenteria in intestinis, Latinis *vrinæ difficultas* dicitur, cùm scilicet vrina aliàs affatim & confertim, aliàs guttatim redditur, vel cum dolore & cruciatu, vel cum difficultate. Causa est vel in vrina, si acrior hæc euaserit ex victu calidiore aut adustæ bilis permixtione, aut acrimonia puris, profluentis à rupto abscessu. In vesicæ collo siquidem fuerit cum dolore, est ab inflammatione, vel abscessu, vel vlcere, vel inæquali temperie, vel flatulento spiritu. Si cum motus difficultate & sine dolore, est à potentiæ imbecillitate, vel tumore præter naturam, sed doloris experte, teste Gal. *comm.* 48. *part.* 7. *Aph.* Inflammatio, abscessus & exulceratio facile suis notis deprehenduntur. Intemperies, quæ δυσουρίαν efficit, ferè frigida est, aut sicca, aut composita. De qua notus est *Aph.* 5. *part.* 3. *Si Aquilonia fuerit, tusses,* *Dysuria.*

fauces,

fauces, alui duræ, difficultas vrinæ, &c. Si à flatu sit, percipitur dolor in vesica absque grauitate, cum sola distensione. Denique teste Hipp. 4. *Aph.* 80. & 7. *Aph.* 39. *Si qui sanguinem mingant aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem & semen, ad vesicam morbus est.*

Strangu-ria. Στραγγουρίαν, *vrinæ stillicidium* vocant, cùm vrina redditur guttatim, aliàs cum dolore, aliàs sine dolore. Si sit sine dolore & cum vehementi conatu, easdem causas habet, quas ἰσχουρία; si cum dolore, easdem, quas δυσουρία, quæ sunt vel in vrina, vel in vesica. In vesica laborante retentiua ex imbecillitate, vel propter intemperiem aliquam, sicut de stranguria ex siccitatibus, teste Hipp. 3. *Aph.* 16. vel propter inflammationem, teste Galen. *in comm.* 58. *Aphor. part.* 5. In vrina propter easdem causas, quæ sunt expositæ in δυσουρία vesica affecta per consensum à partibus vicinis, teste Hipp. 5. *Aph.* 58. *Recto intestino aut vtero inflammationem patiente, aut renibus purulentis, aduenit vrinæ stillicidium.*

DE CVRATIONE.

INflammatio vesicæ vel colli eius prohibebitur eadem methodo, quæ in renibus ostensa est, & earundem sc. venarũ incisione reuulsionis & deriuationis causa, & reliquis. Sic & vlcera vesicæ, ad quæ sequi solet ardor vrinæ, exigunt eandem methodum, & eadẽ medicamenta, quæ s̃ tradita sunt *in renũ vlceribus*, sed vlcera profunda & sordida ferè incurabilia, etsi & longũ tempus & exquisitam diligentiã reliqua etiã superficiaria requirunt, p̃sertim in corpore vesicæ, quæ exanguis est & neruo-

fa: mi-

ſa: minus n. periculi eſt in muſculo ceruicis, & diſſectionem veſicæ lethalẽ eſſe teſtatur Hipp. *6. Aph. 18. Veſica diſciſſa non coaleſcit.* In ſenibus aũt multominus curã admittunt, quàm in iuuenibus. Nam *vniuerſaliter renum & veſicæ vitia in ſenioribus difficulter ſanantur*, teſte Hipp. *6. Aph. 6.* Nec calculo veſicæ, ſi modicus eſt & friabilis, diuerſa à renum calculo curatio competit: Niſi quod ad veſicam topica transferantur, quæ renibus applicamus *ſupra*. Etſi autem, Hipp. teſte *3, Aph. 26.* & *2. de nat. hum.* reperiantur calculi in omni ætate, tamen in pueris ad annum XIV. quàm facilius curam recipiunt perfectionem propter corporis mollitiem & robur caloris natiui: ſenes vix vnquam reſtituuntur; medię ætatis viri medio modo ſe habent: pauciſſimi tñ ex vtriſq; euadunt. Ad prohibendam ergo calculi veſicæ generationem, plurimum proderit corpus pręſtare mundum ab oĩ crudo & ſuperfluo phlegmate. Id efficietur crebra euacuatione humoris phlegmatici, conueniente ſex rerum non naturalium vſu & ſtomachi roboratione. Præparationi humoris conducent genera *oxymellis omnia*, quæ in hoc caſu plurimum valent, *mel roſatum, ſyrupi diuretici, de duabus, de quinq; radicibus, de bizantiis*, & ſimiles. Pro euacuatione conueniet *benedicta, electuarium Indum, confectio hamech, diacatholicon, diaſebeſten.* Item *pilulæ Indæ, cochiæ, de lapide Lazuli.* Ad cõminuendum calculum valebit *mithridatium optimum*, aut *theriaca*, aut *electuarium lithontripticon*, vel *Iuſtinum.* Et addi poſſunt pulueres *nucleorum, perſiſorũ, oſsium meſpilor. milii Solis, glyzyrr. cum aq. petroſel. ſaxifragæ, pimpin. vino albo pot. &c. Terebint. lota* & exhibita vel ſola vel cum ſaccharo *& puluere oſ. meſpil.* Item

Humores calculi præparantia.

Euacuantia.

Comminuentia.

Item *sanguis hirci præparatus*, qui exhiberi potest vel pulueris forma cum *aqua saxifragæ*, aut *vino albo potenti*, vel cum *oleo amygdalar. amararum*, vel *saccharo*, formâ electuarii.

Si propter duritiem & magnitudinem calculus comminui nequeat, committendus est chirurgiæ, vt exscindatur, aliter enim educi non potérit. Si in pene hæreat calculus, nec progrediatur aut retrocedat, syringe cathetere repellatur. Interdum ne repelli quidem potest, tunc extrahi eum forcipula oportet. Interdum nec sic quidem extrahi potest, tunc penem incidi necesse est, sed in sectionibus omnibus magna cautione opus. *Rarò autem vesicæ calculi, vbi increuerunt & induruerunt, medicamentis confringuntur, eò quod fortia vsurpare tutum non est*, propter ea membra, per quæ ad vesicam vsque feruntur, mitia nihil proficiunt.

Si sit in collo vesicæ obstructio ab humore crasso aut à purulenta ac crassa sanie, incidentibus, abstergentibus & diureticis *supra* dictis aperietur, quæ & assumantur intrò & foris applicentur vnguentorum, emplastrorum, sacculorum & simili forma.

Si ab enata caruncula obstructio sit, vix illa aperietur, nisi ope chirurgiæ caruncula excisa.

DE MORBIS MEMBRORVM genitalium in masculis.

CAPVT XX.

Testes quandoque inflammationem patiuntur, sicut & scrotum, quod testes continet. Curatio eius eadem est, quæ cæterarum inflammatio-

mationum, in renibus, vesica, & matrice, nisi quod topicis cauendum est diligenter, ne applicentur aut frigida nimis, aut nimis astringentia, aut calida nimis, quæ fiant causa scyrrhi. Malè curata enim inflammatio testium, tumorem relinquit prædurum ex præproperè extincto calore, quod quando fit, durities persistit: Cætera, quæ inflammationis propria sunt, vt rubor, dolor, calor, discedunt, sed talis durities ferè nunquam curatur.

Vasis spermaticis, & coli seu peni accidunt γονόρροια, seu ὀνηρωγμὸς, satyriasis, priapismus, & ἀδυναμία πρὸς τὰ ἀφροδίσια. Vnde fiunt membra generationi destinata ἄτεγκτα. In meatu verò colis exulcerationes aut leues & superficiariæ, aut profundæ. *Morbi penis.*

Γονόρροια profluuium est seminis inuoluntarium, & nimium, citra colis tensionem, citra imaginationem Veneream, aut somnia, leuem aut nullum voluptatis sensum adferens, quo, si aliquo tempore perduret, æger consumptus extabescit. Cùm enim ex cogitatione rei Venereæ, aut per somnia libidinis semen effluit, fit id cum oblectationis sensu cole assurgente & arrigente. Quare hæc vera gonorrhœa non est, & ab aliis causis excitatur, vt vel à redundantia seminis, vel eiusdem calore & acrimonia, vel à vasorum spermaticorum robore, & editur semen coctum. Quod in vera gonorrhœa exit, crúdum est, aquosum, liquidum, tenue, nec prorsus album. Causa eius est spermaticarum partium vel imbecillitas, vel conuulsioni similis affectio, qualis accidere solet epilepticis, aut spasmo correptis. Imbecillitate partes spermaticæ vel concoquere vel retinere eousque semen, donec per- *Gonorrhœa quid.* *Eius causa.*

coquatur, nequeunt. Eſtque gonorrhœa, quæ fœdam & virulentàm pro ſemine materiam profundit, contracta ex infectionibus gallicis, à quibus non tantum imbecilla redduntur vaſa ſpermatica, ſed ita corripiuntur, vt materiam ſeminis in tetrum & fœdum virus conuertant, quo lectis aſperſo multi inficiuntur in illis decumbentes. Putreſcit hoc virus tandem & acrimoniam acquirit penemque exulcerat.

Gonorrhœa Gallica.

Priapiſmus quid.

Priapiſmus *colis arrectio eſt & incrementum præter naturam, ſed citra tamen Veneris appetentiam, interdum cum inflammatione, nonnunquã etiam citra hanc.* Cauſa eius eſt immediata flatulentus ſpiritus arterias pudendi & fiſtuloſum neruum implens ac diſtendens. Hic ſpiritus vel ex craſſo viſcidoq; humore caloris inopia, vel ex ſeminis vbertate atque redundantia prouenit.

Eius cauſa.

Satyriaſis.

Ad hanc tentiginem colis, ſi accedat palpitatio, affectum non amplius priapiſmum, ſed ſatyriaſin nominant, quæ ferè ad inflammationem ſequitur vaſorum ſpermaticorũ, & niſi deſinat palpitatio, terminatur tandem in paralyſin ſeu reſolutionem eorundem vaſorum, aut ſpaſmum, & celeriter interficit. Rarum eſt hoc malum, ſed tam mulieribus, quàm viris commune.

Impotentia coeundi.

Impotentiæ cauſæ ſunt, vel quia ſemen non gignitur, vel quia non emittitur. Non gignitur, ſi aut careant teſtibus natura, aut ſint emaſculati κατὰ εὐνουχισμὸν, quod antiquitus factum eſt duobus modis: κατὰ ἐκτομὴν, id eſt, exectionem, vt in caſtratis, & κατὰ θλάσιν, id eſt, attritu & confricatione teſtium in pueris recens editis, quod factum eſt teſtibus in calida aqua reſolutis attritu, donec euanue-

Εὐνουχισμὸς quot modis ſit olim factus.

euanuerunt. Vocati hi sunt Thlibiæ & Thlasiæ, aut quibus vis generandi seminis extincta est senio, morbo, causis, quæ dissoluunt spiritum innatum, incantationibus, medicamentis aut proprietate aut qualitate manifesta vim genitalem & prolificam perimente. Non emittitur semen in magna vasorum genitalium obstructione, aut in partium earundem vel naturali conuulsione, qualis est in eunuchis, spadonibus, quibus tortuositas meatuum effluxum sanguinis impedit, vel paralysi, si ex morbo. Hi stimulantur Venere, sed membrorum ignauia eam non exercent, spadonibus exceptis, quibus membra arrigunt.

Exulceratio penis alia leuis est ac ceu superficiaria, fitque abrasa tantum interiore tunicula; alia profunda, sordida & diuturna. Sanies effluit aut sub initium mictionis, aut sponte citra vrinæ emissionem, exigua, non graueolens, nec sordida in leui exulceratione; copiosa, fœtida, virosa in profunda. Inter mingendum dolor percipitur acris, præsertim cùm vrina fluere aut incipit aut desinit. Ex vlcere diuturno si negligatur, tuberculum nascitur callosum, vel ipsæ sordes collectæ indurantur in tuberculum, interdum non vno, sed duobus aut pluribus in locis, quod vrinam vel supprimit, vel tenuiter transmittit, & compresso pene sensu deprehenditur, etiam cathetere immisso inde cognoscitur, quod impedit, quod catheter protrudi non possit. *Penis exulceratio.*

DE CVRATIONE.

IN gonorrhœa ex imbecillitate retentricis & concoctricis consideretur spermatis in exitu qualitas. Si enim calidum, acre, mordicans & pruriens fuerit cum ardore, ex materia erit subtili, biliosa, calida vel adusta. Si eruperit citra ardoris pruritus, & mordicationis sensum, frigidum erit & aquosum. In priore causa conuenient, quæ bilem vacuant, de quibus in renum morbis copiose diximus, & simul etiam, quæ materiam seminis alterant, acredinem retundunt, & tenuitatem corrigunt, vt sunt *syrupus myrtinus, de succo cidoniorum, de rosis siccis, de succo acetosæ, &c.* Renibus etiam applicentur emplastra infrigidantia, de quibus ibidem dictum est, vt sunt santalinum, comitissæ, populeonis, vel:

Vnguentum.

℞ Succi solatri,
Lactucæ,
Portulacæ, ana ℥ j ß.
Aquæ rosatæ ℥ j.
Aceti ℥ ß.
Farinæ seminis papaueris albi, ℥ j.
Ceræ q. s. Fiat vnguentum.

Dentur & confortantia, quæ fluxum restringunt, vt:

Electuarium.

℞ Seminum melonum mundatorum ℥ ij.
Cucurbit. mundatorum ℥ j.
Agni casti, ℥ ß.
Acatiæ,
Corallorum rubrorum, ana ʒ j.
Been albi & rubri ℈ ij.
Terantur in puluerem & sacchof fiat electuarium.

Vel

Vel detur *bolus armenus, cum succo plantaginis, & lacte ouino.*

Si fuerit semen frigidum, exhibeantur *syrupi calidi, vt syrupus de stœchade, de mentha, mel rosatum.* Et potest aliquid addi *syrupi de rosis siccis.* Phlegma euacuetur cum *agarico, turbetho*, & aliis *supra* dictis, pro roboratione detur electuarium, vt:

Electuarium.

℞ *Pinearum mundarum lotarum, cum aqua rosarum,*
Fisticorum,
Seminis cucurbitæ mundati, ana ℥ ß.
Passularum mundatarum ℥ j.
Zingiberis,
Cinnamomi,
Macis,
Seminis agni casti,
Anisorum, ana ʒ j.
Croci ℈ j.

Pineæ, fistica, & passulæ incidantur minutim, semina & aromata terantur in puluerem, cum s. q. sacchari fiat electuarium.

Foris emplastra & vnguenta renibus applicentur, vt:

Emplastrum.

℞ *Succi Menthæ ℔ ß.*
Mastiches,
Olibani, ana ℥ ß.
Nucis cupressi,
Ligni aloës,
Galangæ, ana ʒ j.
Cumini assati ʒ j ß.

Cum cera fiat emplastrum, addito oleo rosato completo, & de mastiche. Vel:

Vnguentum.

℞ *Olibani ℥ ij.*
Acatiæ,
Hypocystidis, ana ʒ ij.

Gallarum, ℥ j.
Ladani, ℥ ß.
Olei mastichini,
De Spica,
Myrtini, *ana* ℥ ß.
Cum cera fiat vnguentũ molle, addendo camphoræ ℈ ß.

Gonorrhæa virulenta ex infectione Gallica, curatur vt morbus Gallicus.

Curatio priapismi & satyriasis. Priapismus & Satyriasis ab inflammatione curam inflammationis requirunt: Si à flatulento spiritu oriatur, ea requirunt, quæ præmissis euacuationibus crassi ac viscidi phlegmatis leniter desiccant, & flatus discutiunt, sed absque forti calore.

Impotentia. Impotentia, quæ medicabilis est, exigit diætam benè nutrientem, & simul inflammantem leniter. Medicamenta verò calefacientia, inflantia, & semen generantia, quibus practicantium libri referti sunt.

Vlcerum. Vlcera mundificationem exigunt per abstergentia supra assumpta vel immissa cum cathetere, & solidantia.

Pro mundificatione iniici possunt in penem, *decoctum absynthii*, *hyssopi*, *furfurum*, *cicerum*, *fabarum*, & similium, *cum melle rosato*, *vel ireos*, *decocto cum melle*, & similia, quorum exempla *supra* recitata sunt. Pro solidatione vsurpetur vnguentum tale:

Vnguentum consolidans. ℞ *Tragacanthi*,
Gummi arabici infusorum in aqua rosarum,
Cerussæ lotæ,
Olibani,
Sanguinis draconis, *ana* ℥ j.
Lithargirii, ℥ ß.
Olei rosati ℥ j. *Ceræ q. s. Misce.*

Fiat

Fiat vnguentum : quo post diligentem ablutionem vlcera inungantur, vt :

℞ Cerussæ, Aloës succotrinæ, Olibani,
Sanguinis draconis, Boli armeni, ana ℥ ij. *Iniectio.*

Conquassentur & bulliant in ℔ iiij. lactis caprini ad consumptionem medietatis. Colatura iniiciatur per syringem in meatum penis, præmissa tamen semper mundificatione vlceris. Profunda vlcera & sordida, qualia sunt gallica, chirurgiam requirunt, sicut magna ex parte species ramicis seu herniæ.

DE AFFECTIONIBVS MAtricis.

CAPVT XXI.

VTERVS variis & difficilibus ac fœdis afficitur morbis, ad quos symptomata sequi solent grauissima, quorum tamen causa aliàs primariè ac per sese in vtero est, aliàs per accidens, vtero scil. per cõsensum affecto à toto corpore, vel parte aliqua principe. Morbi sunt intemperies omnis generis simplices & compositæ, cum vel sine materia, calida vel frigida, tenui vel crassa : obstructiones vasorum & orificiorum desinentium in capacitatem matricis : item tumores præter naturam, vt inflammatio, erysipelas, vlcus, scyrrhus, cancer nondum exulceratus, emphysema seu inflatio, hydrops, mola, & solutiones continui, vt rupturæ venarum aut ligamentorum, quibus ad latera affigitur, & suspenditur vterus, cancer vlceratus, & reliquæ exulcerationes leues aut profundæ ac depascentes, quæ vocantur *Nomæ*, vt in ceruice, rhagades, condylomata, hæmorrhoides.

Vteri inflammatio. Inflammatio vteri fit tenui feruidoque sanguine à caua vena per vteri venas non in cauitatem, sed in substantiam eius effuso accensoque atque feruefacto. Hæc ceruicem crebrius, quam corpus occupat, cum dolore pulsante & vehemente, qui exasperatur, si vel foris vel immisso in ceruicem digito vterus prematur, & cum febre acuta, præsertim si inflammatio sit magna, & sentitur in tota matrice dolor, si totam inflammatio obsederit: *Signa.* In parte vna, si in vnam illa incubuerit partem, vt si in anteriorem & imam partem desederit, dolor ad pubem intensior erit, cum vrinæ stillicidio aut difficultate: Si in posteriorem, dolor lumbos magis affliget ac spinam, & aluus intestino recto cõpresso astringetur, & accedet tenesmus, si inflammatio humilior fuerit in postica parte. Lateribus inflammatis inguina tenduntur & grauabuntur crura, ægreque se mouebunt; crus etiam stupebit aut claudicabit, quod è directo positu est parte inflammata, si scil. alterum latus tantum inflammatio occuparit. Denique in eam vterus retrahet & inclinabit partem, quæ inflammata fuerit. Si in fundo inflammatio extiterit, tunc ad vmbilicum cum dolore sese ostendet, nec contactum feret. Si in ceruice dolor erit, ad pubem digitoq; in pudenda immisso os durum percipietur & rigidum.

Inflammationis vteri symptomata. Sequuntur autem ad omnem inflammationem vteri hæc symptomata: Capitis dolor, tendinum basis oculorum, brachiorum, digitorum & colli conuulsio, stomachi & consortio dolor & vomitus biliosus, pulsus exiguus & creber. An verò exquisita sit inflammatio ex bono puroque sanguine,

guine, vel eryſipelatode, vel ſcyrrhode, vel œdematode, ex habitu & conſtitutione corporis & ætate ægræ, & ſuis propriis notis cognoſcetur. Augeſcente inflammatione ingraueſcunt ſymptomata, & accidunt animi deliquium, virium exolutio, ſingultus, extremorum perfrigeratio, & ſudor frigidus, vrinæ & ſtercoris ſuppreſſio, deliriũ, ſtridor dentium. Inflãmatione in abſceſſus tranſeunte, dolor & calor adaugentur, & inuadunt febrium horrores nullo ordine, maximè tamen ſub veſperam. Pure confecto hæc remittunt & miteſcunt. Pus rurſus ſi acre ſit & exedens, dolores renouabit & exaſperabit, donec fuerit accuratè expurgatum. Si in σκλήρωμα vel ſcyrrhum commutatur inflammatio, neque diſſoluta, neque in abſceſſum conuerſa; ſymptomata fient mitiora, ſed tumor & renixus permanebunt cum grauitatis & duritiei ſenſu, dolor aut nullus, aut obſcurus aderit, ſtantibus graue pondus pubi incumbere, ſedentibus rectum inteſtinum aggrauari videbitur, aderit & difficilis motus, non crurum tantum, ſed totius corporis & quædam quaſi ſegnities. Fit etiam ſcyrrhus non tantum ex mala tractatione inflammationis, ſed etiam ex craſſo humore frigido in vteri ſubſtantiam diffuſo, & illic concreſcente. Cauſæ inflammationis vteri variæ ſunt, externæ ſeu procatarcticæ, vt ictus, lapſus, immoderatus coitus, abortus, difficilior partus, grandior fœtus, aut ſiniſtrè editus, aut ſi aduerſus vel corruptus etiam vi extrahatur: item inſeſſus ſuper duriorem ſellam, longa intentaque ambulatio, flatus atque frigiditas vterum aſtringens. Internæ cauſæ ſunt menſium ſuppreſſio, plethora, exul-

Signa inflãmationis in abſceſſu tranſeuntis.

In ſcyrrhum mutata.

Inflammationis vteri cauſa externa.

Interna.

Vteri Vlcera Rhagades.

ceratio. Vlcera vtero, vt ceruici rhagades, accidunt; aliàs enim leuiter & ſuperficietenus exulceratur vterus, interiore tantum pellicula abraſa & modicè excauato corpore. Idque fieri poteſt aut propter difficilem partum fœtu violenter aut excuſſo aut extracto, aut propter cõcubitum violentum, aut propter diuturnum fluxum acrem & erodentem, aut propter medicamentum acre. Cùm autem neruoſa ſit vteri ſubſtantia, ſequetur ad vlcera eius dolor acris, pungens & exedens, & extillabit ſanies & colluuies, copia, colore & ſubſtantia varia, nõnunquam fœtida, nonnunq̃ inodora. Certius aũt cognoſcuntur vlcera, cùm ex cauſis antecedentibus, tum ex ſenſu doloris, ſi vel digit⁹ inſeratur, vel per metrenchyta iniiciatur clyſter ex acrioribus. Adſunt & alia ſigna s̃ *de inflãmatione* tradita. Aliàs vterus obſidetur vlceribus profundioribus, quorum quædam abſq; malitia ſunt, ſed ſordida, & ex diſrũpto vacuatoq; abſceſſu ortum habent. Pus enim ex abſceſſu vteri vel intrò in capacitatem vteri effunditur ac ꝓfluit ſincerum, vel foris in abdominis caua ſpatia in inteſtina erumpit, copia diſtendens ac premens pondere imum ventrem. Ruptus in ceruice abſceſſus tactu deprehenditur, is vel in ceruicis meatum pus expuit, vnde foràs emanat, vel in veſicam, cùm per vteri ceruicem vrina extillat, vel in inteſtinum rectum, quod quando accidit, ſtercoris aliquid ex vtero manare deprehenditur. Quædam vlcera maligna ſimul ſunt, & ſerpendo depaſcunt matricem. Ex hoc genere ſunt *Noma* & *Cancri* vteri.

Abſceſſus rupti ſigna.

Noma vteri.

Nomæ conſpiciuntur inæquales, quæ indies magis magiſq; progrediuntur & exedunt, ſuntque

cæteris

cæteris vlceribus fœtidiores, sordidiores & acerbiores, suntque magna ex parte ex adusta & putrescente bile aut phlegmate salso.

Cancrum efficit bilis exquisitè atra, si collecta in corpore vteri vi caloris exæstuat & efferuescat. Hic si nondum sit exulceratus, pondere & tumoris duritie cum colore subliuido grauis est, dolor non est magnus, nec lancinans, nec febris adhuc valde ardens. Si exulceratus sit multò malignior, euadit nomis, labra habet prætumida & dura, & ex concreta illuuie sordida & liuida, sanies fœtida, tenuis & nigra, interdum & flaua effluit. *Cancer.*

Mola, teste Gal. vel tumor est carnosus, vel caro informis, non in substantia, sed in vteri capacitate ad vasa vteri adnata, sæpè in fundo, quandoq; etiã ad os; atque obuoluta cute, vel membranis & venulis perspersa, quibus affigitur matrici sine ossibus, sine intestinis, sine visceribus, ligamenta interdum habens inchoatæ formæ, sed vt plurimum informis. Alimentum per insertas venas attrahit, & plantarum more nutritur, quandoq; tam pertinaciter adhæret, vt annis aliquot gestetur, aut etiã toto vitę tempore sępe etiã tertio quartove mense excidit, præsertim si non peruenerit ad insignem magnitudinem, q̃ interdum tanta esse solet, vt videatur octimestrem fœtũ adæquare. Causa molæ efficiens & materialis est nõ solus *menstruus sanguis*, nec solum *muliebre semen*, sed *viri semẽ, vel imbecillius, quam vt formari poßit*, quod est *attractum* vel *corruptum*. Menses retinentur in mola, vt in conceptu venter tumescit, mammillæ turgescunt, vertigo adest & scotoma oculorum, pulsus & tremor *Mola.* *Eius causa.* *Signa.*

cordis

cordis, cibi fastidium & nausea, vomitus corruptæ materiæ, interdum & appetitus corruptus, & his nòtis distinguitur à scirrho. Sed à vero & legitimo conceptu discernitur 1. motu: Mola enim mense tertio mouetur, embryo nequaquam; embryo spònte & blande leniterque citra conatum & motum gestantis transfert se de latere in latus. Mola contra aut grauitate figitur, aut cum gestante agitatur, & impetu quodam procumbit in id latus, in quod mulier decubuit, nec vnquam ferè sponte, sed vel ad compressionem, vel ad motum mulieris sese incitat. Compressa enim mola cedit, & manu reducta redit ad locum. Fœtus interdum cedit compressioni, quandoque non. II. Tempore incrementi: Mola enim citò augescit, conceptus verò multò tardius. III. In mola segnius grauiusq; mulier incedit, & cùm mouetur, pondus quoddã in ventrem imum subsidere percipitur, interdum cum dolore pungente, extrema extenuantur & gracilescunt: Horum nihil in cõceptu vero accidit, si fœtus vigeat & mulier integra fruatur valetudine. Fit etiam, vt simul plures molæ concipiantur imperfectę & corruptæ ratione superfœtationis, cùm Aristoteles de quadam scribat, quę octo superfœtata puerperia simul ediderit, & sæpe vna, sæpe plures molæ cum fœtu exeunt.

Quomodo à vero conceptu distinguatur. 1. 2. 3.

Mola ventosa.

Ἐμφύσημα vel ἐμπνευμάτωσις τῆς ὑστέρας μύλης est, quam vocant Molam ventosam, cùm vterus distenditur copiâ flatuum collectis his atque coarctatis, vel in capacitate vteri, vel in ipsis tunicis. Id verò fit interdum infante edito, cùm ex reliquo corpore flatus in capacitatem vteri feruntur & decum-

cumbunt, qui coaceruati fuerunt ac detenti toto tempore imprægnationis. Interdum in vtero generantur ex alia causa, matrice afflicta ex refrigeratione, partu difficili, immodico profluuio mensium, obstructione, ex impacto grumoso sanguine, inflatur tunc imus venter ad pubem & pectinem vsque, concutiturque dolore, qui tam magnus est quandoque, vt ad septum transuersum & inguina vsque excurrat, agitato tumore sonitus auditur, & ventre digitis pulsato, quiddam simile resonat, vt in hydrope, tympania, sed minor est tumor in vteri inflatione, quàm in tympania, & remittit aliquando & redit, flatus etiam, quod certissimum argumentum est, manifesto è ceruice foras erumpunt.

Mola aquosa. Ad molæ species etiam practicantes referunt ὕδερον ὑςέρικον, & vocant *Molam aquosam*, cùm vterus aquæ copia tumet: Adsunt signa inflationis, sed grauitas maior & sonus, quasi fluctuantis aquę sentitur. Causa est eius, sicut ascites, iecoris & lienis imbecillitas, aqua ex cauitate abdominis per occultos & cœcos meatus in vterum irrumpente, vel etiam sero sanguinis ex caua vena infuso.

Rhagades, condylomata, & hæmorrhoides in vteri ceruice sunt & eius pudendo cum dolore aut sanguinis profusione, dolor exacerbatur attrectatione, percipiuntur etiam instrumento vterino, quod dioptrismum vocant.

Vteri symptomata. Hæ sunt tumorum præternaturalium & vlcerum differentiæ, & aliorum morborum, quibus infestari vterus solet. Sequuntur ad hos interdũ, sed crebrius ad dyscrasias vteri indeque natas imbecil-

becillitates & ad obstructiones, quæ variæ sunt, symptomata plura diversaq; & gravia sæpe ac periculosa, quæ sunt mensium suppressio, profluvium nimium mensium alborum, strangulatus vel suffocatio matricis, ascensus matricis, descensus seu præcipitatio, procidentia vteri, declinatio vteri, vel convulsio ad latus, sterilitas, difficilis partus, abortus, relicta secundina.

Menstrua purgatio quando plerunque incipiat.

Menstrua purgatio lege & naturæ ordine plurimis fluere incipit circa annum decimumquartum, paucis ante decimumtertium aut duodecimum. Non tamen omnibus eodem tempore vel eadem mensura, vel per dies numero pares profluunt. Nonnullis enim ad diem alterum tertiumve, multis ad quintũ vsq; fluunt, ad septimum rarius, & multò rarius ad duodecimum vsq;. Nec æquali copia omnib. effunduntur, plerisq; tñ minus mẽsura duarum hæminarum spatio dierum quatuor, à quibus post dies xx. vel ad summum xxx. recurrunt. Porrò desinunt etiam menses fluere plerisq; anno quinquagesimo, aut citius, perpaucis ad sexagesimum vsq; durant. Nonnullis & præsertim obœsis à trigesimo quinto cessant. Profluentis aũt sanguinis copia à primo fluxu sensim augetur sequentibus ad vigorẽ vsq;, vt secũda periodo plus, quàm præcedente effundatur, sub statũ aliquandiu æquabili mensura profunditur, inde rursus paulatim decrescit ac minuitur vsq; ad defectum.

Mensium suppressio secundum naturam.

Menstruorum itaque suppressio seu retentio, aut secundùm naturam est, aut præter naturam. Secundùm naturam est ante annũ decimumquartum, & post quinquagesimum & item in grauidis. Nam secundùm Hipp. 5, *Aph.* 60. *Si mulieri vterum gestan-*

gestanti purgationes menstruæ procedant, scil. sæpius & largè, *impossibile est, fœtum sanum esse.* Item in saltatriculis, aut aliis, quæ assiduis & fortibus exercitiis corpora fatigant ac desiccant. Præter naturam est omnis in ętate matura citra imprægnationem suppressio, quemadmodum & rarior earundem purgatio, quam menstrua & partium, quam corporis constitutio, & victus ratio exigat. *Si mulier, quæ neq; grauida est, neq; peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt*, inquit Hipp. 5. *Aph.* 39. Nullo tali signo in mammis apparente, alia aderunt inditia, quæ Galenus commemorat in 6. *de locis affectis.* Nausea, cibi fastidium, lumborum, scapularum, ac totius corporis grauitas, & dolor, qualis est in lassitudine tensiua, vrinæ crassæ, turbidæ, rubicundæ, ac plerunque nigricantes, ac si quis aquæ ex recentium carnium ablutione rubente aliquid fuliginis aspersisset. Interdum dolor cum grauitate in vteri regione modò in vna, modò in altera parte, quin etiam in coxam dolor transit, vt crus ipsum, quod è regione est, claudicet & vehementer doleat, & venæ eius intumescant & turgescant. Ex his, si suppressio longo tempore perseueret, graues ac diuturni morbi oriri solent, vel in ipsa matrice, vel in alia parte, teste Hippocr. 5. *Aphor.* 57. *Menstruis largius fluentibus morbi eueniunt, non fluentibus morbi etiam cõtingunt.* Causæ suppressionis mensium sunt aliæ procatarcticæ & externæ, aliæ internæ. Externæ sunt, parcior vsus cibi & potus, vel nimius etiam, vt si ex crassorum, crudorum & viscidorum alimentorum vsu, aut multa potione frigida, aut otio diuturno sanguis euaserit crassus, lentus, frigidus, & corpus fuerit redditum

Præter naturam.

Menstruorum deficientium symptomata.

Causa suppressionis mensium.

Externa.

redditum ignauum, labor vehemens, multus ſudor, & quæcunque corpus deſiccant atque arefaciunt, vt aſſiduæ curæ, ingens mœror, timor horrendus, & ſubita conſternatio, ſanguinis immoderatum profluuium ex naribus, ex hæmorrhoidibus, ex ſecta ven , vomitus, aut alui deiectio immoderata, corporis extenuatio contracta ex morbo acuto vel longo quocunque.

Interna. Internæ cauſæ ſunt vel in toto corpore, vel in membris principalibus, vel in vtero. In toto corpore, ſi temperatura ſit aut calidior iuſto, aut frigidior: Calida enim non gignit aut conſumit ſuperflua. Frigida gignit & coaceruat craſſa & tenacia non idonea ad expulſionem & facile obſtruentia, & alioquin in habitu frigido cum vaſa ſunt anguſtiora, tum virtus expultrix languidior eſt. Calor enim dilatat, fundit, extimulat ac promouet expulſionem humorum. Item ſi habitus corporis ſit aut gracilior iuſto, adeoque aridior, aut obeſior, in quo & venæ ſunt graciles, & quod ſuperfluum eſt, vertitur in adipem. Ita ſi qua in membris principalibus ſit contracta intemperies frigida, aut obſtructio magna ac pertinax, aut ſcirrhoſa durities, præſertim in epate, vt cernimus in ictero, cachexia, hydrope, aſthmate, & ſimilibus, ratione intemperiei corrumpitur ſanguis. Si nihil in toto corpore, nihil in membris principalibus vitii exiſtit, inhiberi tamen detinerique menſes poſſunt, culpa vel vteri ipſius, vel venarum in vterum deſinentium, vt ſi vterus ſit refrigeratus nimium, vel ſint obſtructa orificia vaſorum vteri, quæ vocantur condylomata, ab aliquo tumore præter naturam, vt ab inflammatione, abſceſſu

aut

aut ſcirrho, vel ſi quid interius occupet & præcludat oſcula, vt ſanguis concretus, adnata ex abſceſſu caruncula, adipis copia, adnata pellicula, cicatrix obducta vlceri: Denique ſi in ipſis vaſis ſit obſtructio ſimplex ab humoribus craſſis, lentis, frigidis, infarctis in anguſtos riuulos venarum. Eadem ratio eſt menſium rarius, quam conueniunt, & parcius, nec eo colore & ea ſpecie fluentium, qua conuenit. De quibus Hipp. 5. *Aphor.* 36. *Mulieri menſes decolores, nec per idem tempus ſemper venientes, indicant, neceſſariam eſſe purgationem.* Nec raro menſtrua fiunt pauciora, vel quia venæ vehentes menſtruam purgationem ad vterum cōprimuntur, vel quod obſtruuntur craſſitie ſanguinis aut lentore, vel quod robur eſt magnum vaſorum, ita vt non admittant, quod influit.

Ὑπερκάθαρσιν & ὑστέραν αἱμοῤῥοῦσαν vocant immodicam purgationem menſium, cùm aut copioſior ſanguis confertim & affatim vna vice, quā pro multitudine ſanguinis in corpore, aut diuturniore effluxu, aut crebriore recurſu, quam pro naturæ modo ac menſura, aut non ſtato circuitu ſanguis profunditur. Sequuntur hanc virium imbecillitas, & omnia illa ſymptomata, quæ ex nimia ſanguinis euacuatione oboriri conſueuerunt, vt color fœdus corporis & faciei, appetitus deiectio, cruditas, pedum ac deinceps totius corporis tumor οἰδηματώδης. Fit autem vel apertis vaſis καὶ ἀναστόμωσιν, vel diuulſis κατὰ διαίρεσιν, vel ſanguine κατὰ διαπήδησιν vaſorum reſudatione ſeu transcolatione effuſo. Diuulſio fit vaſis ruptis aut contuſis, aut ſauciatis, aut eroſis. Cauſæ ſunt externæ & internæ. Internæ, vt in plethora, quę interdum

Immodica menſium purgatio.

Cauſa interna.

tanta copia exuberat, vt non tantum aperiat ora vasorum, sed tenues venulas interdum disrumpat; vel in qualitate sanguinis & aliorum humorum, vt si ita sit calefactus sanguis, extenuatus & exagitatus, vt & tenuitate & impetu orificia vasorum recludat ac perrumpat: item si humores admixti sint sanguini, calidi, tenues, acres & erodentes, vt bilis frequentior vel phlegma salsum.

Externa. Externæ causæ sunt abortus ex quacunque causa, vehemens frigus constictione exprimens sanguinem, motus violentus, laboriosus ac difficilis partus, cùm fœtus aut grandior, aut transuersim & obliquè locatus in vtero tanto conatu excluditur, vt vel rumpantur venæ, vel nimium dehiscant, vel ratione excitati doloris & caloris fiat magna attractio: frigus rumpit vasa, aut sanguinem exprimit constrictione, calor aperit ora vasorum, & humores fundit atque agitat. Ex eisdem causis interdum bis terue in eodem mense menstrua redeunt natura non valente inhibere aut reprimere impetum, & hæ quidem omnes eruptiones fiunt repentè & confertim. Si verò longiore tempore & parcius ac paulatim nulloque ordine menses currant, & adsit dolor, edaturque interdum sanguis serosus & saniei similis, aliàs assiduè, aliàs ex interuallo, causa est ἀνάβρωσις, id est, erosio vasorum, modò simplex, modò vlceri coniuncta. In simplici dolor obscurior est: in vlcere manifestus & vehemens.

Fluxus vteri albus. Prorsus differt à menstrua purgatione fluor, quem Græci vocant, ῥοῦν γυναικεῖον, id est, muliebrem vel vterinum, vulgò fluxum mensium alborum, vel superfluitatum albarum à matrice.

In hoc

In hoc enim *non purus sanguis*, sed *corruptum quiddam* effluit, interdum *assiduè*, & *sine intermissione*, quandoq; *per circuitus*, sed *vagos atq; incertos, nulloq; ordine*. Variat id aũt *colore, substantia, odore*, & pluribus aliis qualitatibus. Quandoq; & liquidum est *colore albicante & substantia tenui ac dilutiore lactis sero*, aut *paulò crassius, cremori ptisanæ non absimile, acredinis expers & caloris, quod imbecillæ coctionis progenies est in visceribus coctionum*, vel *in vtero & crudæ incoctæq; pituitæ excrementum superfluum, quod natura nequit subigere & excoquere*. Quandoq; *citrinum est aut pallidum, tam acre ac mordicans, vt vrat, erodat, & exulceret, à bile acri, feruidaq; hoc existit, quæ acrimoniam contraxit*, vel *ex putredine in ipso vtero affecto, erosione aut exulceratione, cùm quidem tetro fœtore abominabile est*, vel *ex adustione in epate propter intemperiem calidam epatis*, aut *ciborum acrimoniam*, cùm quidem fœtor nullus adest. Aliàs *saniem refert*, aut *colore nigricat*; sanies *vlceris recentis argumentũ est*, niger color *indicat redũdare sanguinem melancholicum in corpore*, sed hæc posteriora duo rariora sunt. Deniq; *exeuntium color, odor & substantia materiã fluoris demonstrant*. Causa gignens *humorem corruptũ*, aliàs *est in vtero*, aliàs *in mẽbris principalibus, capite, ventriculo, liene, epate*, & in hoc quidẽ frequentius. Quibus & visceribus refrigeratis, vel pertinaciter obstructis, vel in scirrhũ duratis, ex coctione languida, cachexia aut leucophlegmatia inuadit corpus, talibus sæpe materiæ superfluæ ad vterum decumbunt. In vtero causa est intemperies præcipuè frigida, contracta ex aliqua causa externa, partu, contusione, immodico mensium profluuio, & similibus; vel erosione aliqua aut exulceratione. **Eius causa.**

Gonorrhœa. Cognata huic fluori est gonorrhœa, quæ mulieribus communis est cum viris; de hac, quæ *supra* dicta sunt, repetantur.

Suffocatio vteri. Sed inter muliebria mala frequentissimum est & grauissimum strangulatus seu suffocatio ab vtero, Græcis πνὶξ ὑστερικὴ, & ἄπνοια ὑστερικὴ, à symptomate, cuius causa semper est *ab vtero non moto ex loco suo, manet enim fixus, etsi quandoque accedit ad hoc malum recursus vteri ad superiora, sed ex materia corrupta, vel in ipso vtero, vel in venis expirante vaporem tetrū, malignum ac venenatum*, qui inde prodiens, & reliquum corpus perreptans, alia atque alia symptomata infert, prout ad alias atque alias partes effertur. Si enim leuis sit & exigua causa, vapor ad viscera atque ventriculum sublatus, neq; vltra progrediens, appetitum prosternit aut languefacit, parit nauseam & cibi fastidium, nonnunquam & vomitum ciet. Effertur autem quandoque cum murmure & rugitu, quandoque citra ventum fiunt. Si ad diaphragma penetret, & in thoracem irrepat, breuem crebramque velut coarctato pectore respirationem efficit: Inde si in cor irrumpat, commouet animi deliquia, perturbato spiritu vitali: Quapropter metus atque desperatio consequitur cum quadam cordis palpitatione, quibus ita concutiuntur ægræ, vt de se, deque vita desperent. Si vapor altius assurgat, & fauces occupet, velut præcludere eas atque obturare videtur, respiratione intercluſa, cum metu suffocationis. Denique si in cerebrum consederit pro qualitate & copia sua, & prout vel affecerit corpus ipsum cerebri, vel ventriculos, vel spiritus animales, ita diuersa atque dissimilia symptomata excitat; aliàs

enim

enim aliquid apoplexiæ, aut caro ſeu veterno ſimile efficit, muliere ſubitò proſtrata, vt iaceat attonitæ ſimilis, ſine motu, ſine ſenſu, etiam interdum ſine reſpiratione manifeſta, vt credatur eſſe extincta, pulſus verò conſtat, interdum & validus eſt, interdum tam obſcurus, & exilis eſt, vt vix percipi poſſit. Hoc quando fit, cerebrum obruitur magna copia vaporis frigidi, quo paulatim reſoluto atque diſcuſſo mulier redit ad ſeſe. Aliàs in mentem irruens amentiæ quiddam ſimile commouet, affecta temperie cerebri & ſpirituum, ſed diſſimiliter: Interdum cum iracundia & inquietudine & garrulitate, interdum metu, horrore ac deſperatione: aliàs ſimul & mentem tentat & infeſtat ventriculum, ad quam affectionem ſequuntur epilepſiæ, ſpaſmi, tremores, ſuntque omnino variæ acceſſionum hyſtericarum formæ, quæ per circuitus quoſdam recurrunt, & quandoque longiore perdurant tempore, prout cauſa aliàs citius, aliàs tardius fuerit diſcuſſa. Paroxyſmo deſinente humor quidam ex locis muliebribus excutitur, inteſtina obmurmurant, oculi paulatim attolluntur, genæ rubeſcunt calore recepto, ſenſus motusque reſtituuntur, corpus incipit ſeſe confirmare; ſi non fiat manifeſta euacuatio, periculum eſt, ne malum citò reuertatur, vt fit in paroxyſmis epilepticis. Interdum, quod nuper vidi, ſub finem paroxyſmi frigus quoddam è capite per ceruicem in ſcapulas, brachium, aut ſpinam ipſam videtur illabi, quod ſtuporem adfert & ἀκινησίαν, paralyſi ſimilem, ſed quæ citò reſoluitur. Cauſa eius eſt, vapor ex vtero per venas, arterias, & occultos corporis poros in reliquum corpus diſperſus, natura *Suffocationis vteri cauſa.*

tam venenatus & malignus, vt quascunque inuaserit aut obsederit partes, earum functiones continuò lædat aut intercipiat, estque frigidus magna ex parte & melancholicus, natus non tantùm ex menstruo sanguine, aut sanguine corrupto, (etsi vt plurimum existit) sed à quouis alio humore in vtero corrupto, & venenatum quiddam ex loci natura contrahente. Nam non tantùm virgines & viduæ, sed nuptæ etiam hoc mali genere exerceri solent. Quæ verò à vitiato semine oriuntur symptomata, cæteris omnibus grauiora sunt. Malum hoc si sæuum sit & atrox, facilè cognoscitur; si leue, non facilè à melancholicis, aut cardiacis dignosci potest, quare diligenter coniungi omnia signa atque considerari oportet.

Mutatur & situs vteri, ligamentis, quibus ad latera affigitur, aut ruptis, aut tensis ariditate vel humiditate nimia, aut laxatis nimium, vel pondere fœtus matricem detrahente, vel lapsu & contusione, vel ex imbibitione humoris largioris: inde fit, vt irritatus vterus, aut rei alicuius præternaturalis, quam in sese continet molestam, aut externæ aduersæque occursu commoueat sese, & vel refugiens, quod inimicum est, vel prosequens captansque, quod gratum ac blandum, aut efferatur sursum ad ventriculum vsque, aut præcipitet sese deorsum tam manifestè, vt tactu deprehendatur, globi instar, intra ventrem oberrare ac circumuolui. Hinc existunt ascensus vteri, descensus seu præcipitatio, conuulsio ad latus seu declinatio.

Ascensus vteri cùm ad ventriculum assurgit, liga-

ligamentis tensis, non quæ strangulatus adfert symptomata, sed tantum compressionem præcordiorum; quare anhelitum tantum impedit, aut si compressio sit magna animi defectionem parit, sed sine metu, sine delirio, sine aliis symptomatis. *Ascensus Vteri.*

In descensu vterus procumbit ad partes infernas, easque vrget ac premit; in decubitu supino habituve corporis retracto intestinum rectum comprimit, si propendeat aut vergat ad anteriora, vrinæ meatus intercludit. *Descensus Vteri.*

Conuulsione vterus in alterutrum latus, dextrum vel sinistrum trahitur, sicut in ascensu reuellitur sursum. Tenditur autem ligamentum lateris, in quo vterus declinat, aduersum laxatur. Sentitur ergo grauitas in parte, in quam matrix decumbit, sæpe cum dolore aut stupore coxendicis, aut cruris totius, quod est è directo. *Conuulsio.*

Prolapsus seu procidentia vteri grauior est descensu, tunc enim vterus velut euersus procidit, ita vt fundus promineat & attrectari possit, magnitudine oui struthiocameli aut anserini; euenit rarius propter eas causas, quas de descensu dixi, crebrius propter externas, vt propter vehementem conatum pariendi, quo vna cum fœtu vterus exprimitur, vel propter tractationem violentam in pudendis obstetricis, cum vterum vna cum secundina reuellit. *Procidentia.*

Abortum alias externæ, aliàs internæ causæ commouent. Externæ causæ aliæ enecant fœtum, vt syncope, timor, tristitia, & quæ suffitu, vel odore, vel tota substantia venenata sunt; aliæ subtrahunt fœtui alimentum, vt inedia longa, immoderatum *Abortus.* *Causa externa.*

profluuium sanguinis; aliæ abrumpunt vteri acetabula, vt exercitatio violenta, saltatio, equitatio, vectatio, gestatio magni oneris, contusio & ictus ventris, lapsus. *Internæ.* Internæ causæ sunt vel in toto corpore, aut partibus principalibus, vel in vtero, vel in fœtu ipso. In toto corpore, vt plethora suffocans fœtum, cibus immoderatus, redundans *κακοχυμία*; propter quam fœtus alimento destitutus moritur; morbus acutus, vt febris ardens, aut pestilens; teste Hipp. 5. *Aph.* 30. *Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est:* Aut longus morbus extenuans corpus, teste Hipp. 5. *Aph.* 44. *Quæcunque præter naturam tenues existentes vtero gerunt, abortiunt prius, quàm crassescant.* In vtero sunt causæ, imbecillitas retentricis, mucosus humor implens acetabula vteri, & emolliens vincula, ne firmiter fœtum continere queant. Hipp. teste 5. *Aphor.* 45. *Quæcunque mediocri habitu corporis præditæ secundo, tertiove mensibus sine causa manifesta abortiunt, iis acetabula vteri plena mucoris sunt, neque præ pondere fœtum cõtinere possunt, sed rumpuntur.* In fœtu, cùm natura languida est & imbecillis. Editur autem fœtus abortu, aut viuus aut mortuus. Viuus cùm acetabula dissoluta sint; mortuus, cùm firma sunt & constant. *Abortus futuri signa.* Abortus futuri signa sunt, primùm mãmarum spontanea extenuatio, teste Hipp. 5. *Aph.*

1. 37. 38. & 53. *Mulieri grauidæ si mammæ repentè extenuentur, abortit. Mulieri grauidæ geminos ferenti, si altera mamma extenuatur, alterum abortit, &c.* Item: *Quæ abortum factura sunt, iis mammæ extenuantur, &c.* Secundò

2. lac spontè fluens ex mammillis, secundùm Hipp. *eadem parte Aph.* 52. *Mulieri vtero gerenti si lac è mammillis plurimum effluat, imbecillum esse fœtum significat,*

ficat,&c. Tertiò lateris ventrisque superioris coarctatio, lumborum & coxarum grauitas, rarior languidiorque infantis motus. Cùm autem appropinquat tempus abortus, primum aqua saniosa effluit, similis loturæ carnis recentis, deinde cruentum quiddam, mox sanguis purus, inde grumosus, cui succedit fœtus aut formatus, aut informis. Si fœtus sit extinctus, & commouetur in vtero, symptomata accedunt grauissima, morsus stomachi, deliquium animi, capitis & oculorum dolor, vertigo, spiratio fœtida & graueolens, venter grauis & quasi procidens, frigiditas ventris, quæ sentitur foris & intus ab obstetrice per immissum digitum, sequuntur interdum & paroxysmi epileptici graues & periculosi. 3. *Signa abortus imminentis.* *Signa fœtus extincti.*

Δυστοκία, partus difficilis est aut à matre, aut à fœtu. A matre, propter malam cõformationem, angustiam ossium pubis, vel duriorem eorundem coarctationem, propter vicinarum partium tumorem, aut duritiem, calculum vesicæ, recti intestini excrementa duriora, lumborum concauitatem. A fœtu, cùm aut membranæ inuoluentes fœtum solidiores sunt, & ægrius rumpuntur, aut tenuiores sunt, vt ruptæ ante tempus humorem, quem continent, effundant, quàm cõuenit, vnde siccescunt membranæ ipsæ, loca vicina & fœtus, & acetabula ægrius auelluntur, & fœtui fit transitus difficilior per loca aspera & arida. Talis autem euacuatio etiam præcedit abortum, sicut quandoque profluuium copiosius sanguinis, aut cum fœtus imbecillior matrem non adiuuat, aut cum grandior est, vel monstrosus, vel geminus, aut cum inter enitendum non rectà inter caput fertur, nec *Partus difficilis.*

manibus adductis ad latera ac demissis, sed vel ambos pedes, aut alterum, vel ambas manus, aut alteram primo promit, vel ceu duplicatis natibus primò procumbit in os vteri, vel transuerso positu alterum latus profert, vel decubitu prono ventrem obuertit, quod omnium pessimum est.

Secundinarum retentio. Post partum interdum relinquuntur secundinæ in vtero, malum id vocant ἔκλειψιν χωρίου. Causæ sunt, vel quod pertinaciter secundinæ vteri acetabulis adhærent, vel quod auulsæ quidem sunt, sed complicatæ atque conuolutæ in angulum aliquem vteri, vel quia os matricis clausum est arctius, quàm, vt emittere molem tantam possit.

DE CVRATIONIBVS MORBOrum matricis: & primò inflammati vteri.

CVRATIO inflammationis in hac parte, vt in aliis consistit in reuulsione materiæ fluentis, deriuatione eius, quę fluxit, & partim fluit, discussione seu resolutione eius, quæ in vtero iam ex fluxione constitit. *Frigida enim apocrustica seu repellentia in hoc casu cauenda sunt*, eò, quod vterus membrum est neruosum frigidum, & quod frigidis materia densatur, cogitur atque constipatur, quæ ferè non admodum tenuis est, sed crassa. Præmissa itaque lenitione ventris ad reuulsionem materiæ statim in initio conueniet apertio basilicæ brachii dextri, vnde pro ætatis, virium & plenitudinis ratione extrahatur sufficiens copia sanguinis. Altero die tertiovè ad summum deriua-

Vena sectio.

tionis

tionis causa incidatur vena interior malleoli dextri (quam saphenam vocant) vel pedis vtriusque, si plethora fuerit magna. Deinceps pro euacuatione ex loco affecto meliore & rectiore proderit affigere cucurbitas, vel ad nares, vel ad coxarum partem interiorum, & simul ad flexum poplitis cum scarificatu ad minimum bis in septimana. His reuulsionibus, deriuationibus & euacuatiouibus peractis, adhibeantur intus, quæ materiam coquant, præparent, & aperiant meatus, deinde quæ euacuent. Foris topica, quæ, quod impactum est vtero, digerant ac dissipant. Intra corpus, si materia fuerit melancholica, crassa, sicut est vt plurimum, conuenient *syrupus de radicibus de byzantiis, de lupulis, de fumo terræ, de succo buglossæ, mel rosatum cum aqua lupulorum, arthemisiæ matricariæ, melissæ, buglossæ &c.* Ad euacuationem vsurpentur *electuarium diacatholicon, diaphœnicon, confectio hamech, aliquid de electuario Indo maiore vel minore cum decocto thymi, epithymi, foliis senæ, polypodii quercini.* **Curatio inflammationis melancholicæ.**

Si inflammatio fuerit biliosa, aut sanguinea, ea vsurpentur, quæ de inflammationibus & erysipelate *supra* & aliis partibus tradita sunt, admixtis semper aliquibus, quæ simul & dolorem leniunt, & leniter resoluunt. Vt: **Biliosa & sanguinea.**

Fomentum.

℞ *Florum Chamomillæ,*
Meliloti, Matricariæ,
Foliorum Maluæ cum radicibus,
Violariæ, Brancæ vrsinæ, ana M j.
Radicum altheæ minutim incisarum ℥ iij.
Seminum Lini,
Fœnugræci, ana ℥ j.

Radicibus

Radicibus incisis & herbis & seminibus & radicibus conquassatis, formetur sacculus ad fomentationem: Vel fiat decoctum, cuius colaturæ addantur:

Emplastrum.

Farinæ seminum lini,
Fænugraci ana M j.
Butyri,
Pinguedinis gallinæ,
Anatis ana ℥ ß.
Olei anethini q. s. ad impinguendum, fiat emplastrum : humida enim fomenta matrici non cõueniunt. Vel:

Vnguentum.

℞ *Succi Althee,*
Ireos,
Matricariæ, ana ℥ ij.
Bdellii,
Oppopanacis,
Galbani, ana ʒ ij.

Gummi dissoluantur cum prædictis succis, & cera addita fiat vnguentum molle, cum quo inungatur venter & aspergatur puluere, qui ℞

Puluis.

Radicum Zedoariæ,
Galangæ, ana ʒ ij.
Ligni aloës,
Macis,
Nucis moschatæ ana ʒ j.
Seminum carui,
Dauci,
Ameos, ana ʒ j ß.

Terantur in subtilem puluerem. Conueniunt etiam inunctiones ex *emplastro de meliloto*, ex *cerato de œsypo*, ex *vnguento diachylon simplici sine gummi, additis succis chamomillæ, matricariæ, altheæ,* & similium, aut *oleo de lilio, chamomillæ, anethi, & pinguedinibus.* Possunt

ſunt ex iiſdem formari & peſſaria, *additis galbano & ladano, &c.*

Si reſolui nequeat, ſed tendat ad abſceſſum, promoueatur ſuppuratio, & acceleretur, ſicut ſæpe dictum eſt, & apoſtema ruptum expurgetur abſtergentibus, ac ſolidetur aſtringentibus. Ad abſterſionem conducet *aqua mellis*, aut *decoctum hordei non excorticati, in aqua pura, cum melle roſato colato*, vel *ſerum caprinum cum melle roſato.* Hoc & bibatur, & in matricem iniiciatur quouis die quater, & continuetur per dies tres aut amplius, prout videbitur fore opus. Vel: ***Curatio inflammationu tendentis ad abſceſſum.***

℞ Hyſſopi,
Abſynthii, ana M ij.
Vini albi,
Lactis caprini ana ℔ j.
Mellis roſati ℥ iiij.

Decoctum abſtergens.

Fiat decoctio ad caſum partis tertiæ. Poſtea ſubiiciantur ſolidantia. Vt:

℞ Lactis muliebris ℥ iiij.
Olei roſati completi ℥ ij.
Tutiæ Alexandrinæ præparatæ ℥ ß.
Aloës, ℨ ij.

Vnguentum conſolidans.

Ducantur in mortario ad formam vnguenti, cuius portio diſſoluta in aqua hordei vel mellis iniiciatur. Aut:

℞ Terebinthinæ lotæ cum aqua matricariæ ℥ iij. ***Aliud.***
Olei roſati completi ℥ ij.
Lithargirii aurei ℥ j.
Myrrhæ,
Aloës, ana ℨ ij.
Tutiæ præparatæ ℨ j ß.

Conficiantur in mortario plumbeo, & iniiciantur cum lacte

lacte ouillo. Vel: ℞ *Lactis vaccini* ℥ vj.

Thuris,

Puluis. *Aloes,*

Myrrhæ,

Boli armeni,

Sarcocollæ,

Corticis cannæ combusti ana ℥ ß.

Fiat puluis, qui cum lacte immittatur manè & vesperi. Idem præstabit etiam *vnguentum de tutia*, iniectum cum lacte. Item conueniet mulieri creber vsus *terebinthinæ lotæ cum aqua matricariæ*, item *lactis ouilli recens mulsi cum melle rosato*.

Curatio apostematis conuersi in scirrhum. Si apostema non suppuretur, sed conuertatur in scirrhum:

℞ *Ficuum coctarum* ℥ j ß.

Ceratum. *Axungiæ porci masculi,*

Oesypi ana ℥ j.

Picis naualis,

Ceræ citrinæ, ana ʒ x.

Exemplar alterum ʒ ß. *Olei de lilio* ℥ ß. (alii habent ʒ ß.)

Diachylon, ℥ ij.

Dissoluantur omnia, & additis pulueribus radicum ireos, corticum salicis, ana ʒ ij. *Fiat ceratum*, applicandum vtero: Vel fiat vnguentum ex *oleo chamomelino, liliorum alborum, medulla crurum vituli, cerui, adipe anatis, anseris, mucilagine seminis lini, fœnugræci, maluæ, altheæ ana q. s.* Et addatur pro maiore emollitione *bdellium, ammoniacum, oppopanax cum modico castorii.* Fiant & fomenta ante applicationem vnguentorum ex *malua vtraque cum radicibus ex semine lini, fœnugræci, maluarum, ex floribus chamomillæ, meliloti, &c.*

Vnguentum.

Si in cancrum scirrhus abeat, siue is exulceratus,

tus, siue non, teste Hippocr. *6. Aphor.* 38. nunquam curabitur curatione vera, quare non tentanda: blanditiua seu palleatiua tentari potest: præmissa tamen diligenti & crebra euacuatione sanguinis melancholici. Commendatur autem in non vlcerato cancro vnguentum, quod **Scirrhi in cancrum abeuntis.** **Vnguentum.**

℞ *Succi granorum Alkekengi ℥ iiij.*
Olei rosati ℥ iij. **Codex alter ℥ iij.**
Ceræ citrinæ ℥ vj. *Liquefiant simul; postea in mortario plumbeo his misceantur:*
Cerussæ lotæ ℥ ij.
Plumbi vsti & loti,
Tutiæ præparatæ ana ℥ j ß.
Thuris ℥ ß.
AEris vsti,
Antimonii,
Balaustiorum,
Radicum chelidoniæ,
Sanguinis draconis ana ℥ ij.

Ducantur in mortario plumbeo pistillo, donec coëant in vnguentum. Fiant & cataclysmata vteri, vt:

℞ *Lactis chalybeati,* **Cataclysma.**
Succi solatri hortensis, partes æquales,
Addantur *Olei myrtini,*
Rosati completi ana q. s.
Lithargyrii,
Plumbi vsti,
Pompholygos q. s. Misceantur in mortario plumbeo pro liquido cataplasmate. Vel:

℞ *Lithargyrii vel argenti,* **Puluis.**
Cerussæ lotæ,
Plumbi vsti loti, ana ʒ j.
Pompholygis lotæ ℥ ij,

Cineris

Cineris cancrorum fluuiatilium ℥ j ß.
Thuris ℈ ij.
Croci Gr.v.

Terantur in subtilißimum puluerem, & misceantur, qui vel insuffletur in vterum, vel iniiciatur cum aliquo succo, vt cum *lacte chalybeato.*

DE CVRATIONE MOLÆ.

Molæ species quot.

ETSI vulgus Medicorum tres molæ species faciunt, tamẽ à mola propriè dicta differunt, vt diximus, ἐμπνευματώσις ὑστέρας, & ὕδερος ὑστερικός. At mola propriè dicta, cùm sit aliquid præter naturam genitum in vtero & adnatum vteri venis, indicat sui auulsionem & expulsionem, ad quam vtimur eadem methodo, & iisdem medicamentis, quib. ad partum faciliorem reddendum, & ad prouocandos menses & abortus, scilicet iis, quæ emolliunt vincula molæ, vt citius rumpantur, lubrificant meatus, aperiunt, pellunt, prouocant & extrahunt intus forisque. Intra corpus dentur ea, quæ crassos humores incidunt, attenuant & euacuant cum absterſione lentoris, de quibus mox dicemus in retentione mensium ex obstructionibus. Postea corpore mundificato, & viis expeditis, exhibeantur desuper potiones, sed quæ cum forti prouocatione vrinæ menses cient ac pellunt, vt: ℞ *Pulegii,*

Potio menses prouocans.

Sabinæ,
Saluiæ,
Satureiæ,
Arthemisiæ rubræ,
Betonicæ,

Thymi,

Thymi,
Granorum Iuniperi, ana P j.
Seminum Lini,
Fœnugræci, ana ℥ ß.
Seminum Anisi, ʒ ij.
Ficuum siccarum, num. iiij.
Cicerum,
Oroborum, q.s.

Fiat decoctio in vino albo diuretico. Colatura exhibeatur cum saccharo.

Vel: ℞ *Seminum Nigellæ,* Puluis.
Rad. Aristolochiæ longæ,
Dictamni albi,
Rad. rubeæ tinctorum,
Rad. centaurii maioris,
Seminum Nasturtii,
Rutæ, Saluiæ,
Sagapeni,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Castorii, ana ʒ j. *Misce.*

Terantur in puluerem subtilissimum, & excepta succo rutæ vel raphani syluestris redigantur in massam, de qua formentur pilulæ, de quibus exhibeatur ʒ j. pro vna vice. Pilulæ. Vel: ℞ *Boracis mineralis* ʒ j ß.
Castorii, Puluis.
Radicum rubeæ tinctorum,
Cinnamomi electi ana ℥ ß.
Cassiæ ligneæ ℈ ij. *Fiat puluis.* Vel, *confectio in rotulis, vel cum syrupo de arthemisia, vel cum conserua anthos vel betonicæ fiat electuarium.* Rotulæ.

Vtero verò & foris applicentur & subtus indantur conuenientia medicamenta, vt: Electuarium.

℞ *Althea cum radicibus M vj.*
Malua,
Parietaria vera,
Branca vrsina,
Chamomilla,
Meliloti, ana M ij.
Seminum Fœnugraci,
Lini ana ℔ *ij.*

Insessus.

Conquassentur & decoquantur, & fiat ἐγκάθισμα, in quo mulier sedeat. Addantur, si opus sit, fortiora, vt *vitis alba, radix aristolochia longa, cyperi, filicis, herba, saluia, sabina, arthemisia &c.* Ex iisdem conficiantur & sacculi. Infra fiant suffumigia & pessaria. Suffumigia recipiantur per embotum: pessaria cera aut lana excepta obducantur syndone. Suffumigia fiant *ex vngula asini aut equi*, vel *ex galbano, myrrha aut felle tauri.*

Suffumigia.

Mulier autem stet, coperta vestimentis, ne excipiat teteros illos vapores per nares.

Pessarium bonum est, quod

Pessarium.

℞ *Boracis, Castorii,*
Radicum centaurij maioris,
Diptamni albi,
Ellebori albi,
Galbani,
Gentiana,
Oppoponacis,
Sagapeni,
Sabina, ana ℥ ß.

Subigantur cum succo ireos, vel mercurialis, vel porri, & fiat pessarium, forma & magnitudine digiti, obductum syndone, & alligatum ad filum longum, vt retrahi poßit. Si opus sit fortioribus, possunt addi *pulpa colocynthidos, grana mezereon, succus arthanita, cyclaminis, scammonea,* & similia: In quibus tamen Medicum

cautum

cautum esse oportet. Fiant autem ista hoc ordine & simul; etsi non statim res succedat, crebrò tamen reiterentur.

DE MOLA VENTOSA.

Molam ventosam, id est, inflationem matricis comitatur magna ex parte dolor similis dolori colico cum ventris tensione & rugitu. Cùm itaque flatuum origo sit ex materia frigida pituitosa, hæc prius præparata euacuetur, cum iis, quæ phlegma incidunt, attenuant, abstergunt & educunt, semper additis quibusdam, quæ matricem respiciunt, sicut sunt *syrupus de arthemisia, de radicibus simplex & compositus, mel rosatum, syrupus de betonica.* Et ad euacuandum, *hiera simplex & composita, diaturbith vtrumque, benedicta laxatiua, diacatholicon, diaphœnicon.* Postea applicentur topica intus forisque. Per superiora dentur, quæ flatus digerunt & dissipant, vt sunt *species diacumini, diagalangæ, diacalamenthi*: Vel conficiatur *puluis ex semine anisi, dauci, pastinacæ syluestris, ameos, rutæ, leuistici, baccis lauri, radicibus gentianæ, zedoariæ, galangæ, dictamni albi, leuistici*, additis pro roboratione matricis, *spica, zingibere, caryophyllis, nuce moschata, mace, cinnamomo, squinantho.* Foris applicentur sacculi, vnctiones, cerata. Vt:

Sacculus.

℞ *Florum Chamomillæ, Meliloti,*
Anethi, Fœnugræci, Seminis Lini, ana M ß.
Arthemisiæ, Calamenthi,
Pulegij, Abrotani, ana M j.
Sem. Anisi, Fœniculi, Ameos,
Radicis Polypodii quercini ana P j.

Contundantur grosso modo, & fiat sacculus inter pass. Ex iisdem & similibus decoctis in lixiuio abluantur pedes à genubus vsq; ad plantas, & inunctiones parentur ex *oleo chamomelino, anethino, laurino, sambucino, liliorum alborum.* Vel:

Ceratum.

℞ *Matricariæ siccæ,*
Florum cheyri exiccati ana ℥ j.
Galliæ moschatæ, vel pro pauperibus,
Alephanginæ ℥ ß.
Galbani,
Bdellii,
Sagapeni, ana ℨ ij.
Olibani,
Thuris, ana ℨ j ß.
Gummi dissoluantur in oleo cheyrino, & tritis terendis cum pice, cera & modico oleo sesamino fiat ceratum, imponendum ventri.

Galliam alephanginam describit quidem Franciscus Alexander in Apolline, sed cũ moschi & ambaris in ea longè maior sit dosis, quàm Galliæ mosch. Nicolai, aut omnino eadem, aut pars differens à Gallia mosch. Mesuæ, cur pro pauperibus sit accipienda, non apparet, nisi fortè pro voce, alephang. aliptæ sit legendum.

Proderunt & enemata in hoc casu, quale est:

Enema.

℞ *Florum Chamomillæ,*
Meliloti,
Anethi,
Arthemisiæ,
Seminum Fœnugræci,
Lini,
Anisi, ana M j.
Coquantur in s. q. aquæ. Colaturæ ℞ ℥ x.
Benedictæ laxatiuæ, ℥ j.
Hieræ simplicis ℥ ß.
Olei cheyrini, ℥ iij.
Vitellum oui, num. j.
Sacchari rubri ℥ j ß.
Salis ℨ j. *Fiat enema.*

DE PRO-

DE PROVOCATIONE MENSIUM.

SI ex tumoribus præter naturam, ex adnata caruncula, ex obducta cicatrice menſes retineantur, curatio ad hos morbos dirigi debet. De tumoribus magna ex parte dictum eſt. A cicatrice verò, aut caruncula ortæ obſtructiones raró aut nunquam curantur. Si ab intemperie frigida inhibeantur menſes, prouocabuntur calefacientibus. Si obſtructio ſit ab humoribus craſſis, frigidis, pituitoſis, aut melancholicis, aut à ſanguine craſſo, quod frequentiſſimum eſt, aperietur, humoribus his bene præparatis & euacuatis prius, deinde topicis adhibitis.

Si retineantur itaque menſes in corpore plethorico & bene conſtituto, aluo ſubducta cum leni clyſtere, & ventriculo à ſuperfluitatibus expurgato, qui regulariter matrice obſtructa à regurgitatis ſurſum vitioſis humoribus impletur, expurgetur aut cùm *caſſia*, aut *manna* & *electuario de hiera ſimplici*. Altero die poſt aperiatur baſilica brachii dextri, & emittantur ſanguinis ℥ v. vel circiter ad plethoram diminuendam. Deinde tertio die poſt aperiatur ſaphena pedis dextri, atq; educantur ℥ vj. vel vij. circiter pro ætatis, virium & habitudinis ratione. Poſtea exhibeantur, quæ aperiant venas, quæ ſanguinem attenuant, & orificia vaſorum ad matricem tendentium dilatant, vt *decoctum cicerum*, vel *radicũ aperientium cum croco*. Item *ſyrupus de radicibus*, & continuetur vſus eorum per dies octo. Quod ſi nondum incipiant fluere, aperiatur etiam ſaphena pedis ſiniſtri, vel vena ſub

poplite, & fortiter fricentur pedes à coxis vsque ad malleolos singulis diebus in ingressu lecti.

Lotio pedum. Fiant & lotiones pedum *ex calamenthi, pulegii, saluiæ, arthemisiæ, roris marini ana M j. Radicum ireos, ebuli, sambuci ana M ß.* Sine his quidem præstitis menses sese effundant, coquatur & euacuetur materia diligenter per dies octo & amplius. Si fuerit pituitosa, cùm syrupis prædictis in mola ventosa, vel cum decoctis longis ex *radicibus asparagi, brusci, apii, petroselini, fœniculi, rubeæ, valerianæ, seminib. dauci, ameos, vrticæ, anisi, fœniculi, ciceribus, phaseolis, herbis origani, calamenti, pulegii, abrotani, saluiæ, chamæpytios &c.* Et euacuetur cum *pilulis mastichinis, arabicis, fœtidis,* cum *diaphœnicon, electuario lenitiuo, diacatholicon, benedicta, in infusione agarici, oxymellis, addito zingibere & sale gemmæ: & infusio rhabarbari in aqua endiuiæ.* Corpore benè expurgato, dentur diuretica fortiter pellentia, infra fortiter prouocantia & trahentia, & adiuuetur natura ligaturis fortibus & frictionibus crurum, affixu cucurbitarum ad partem internam coxendicis sine scarificatu; item lotionibus pedum. Propinentur ergo intra corpus, *trocisci de myrrha*, vel puluis, qui

℞ *Boracis mineralis ℨ ij.*
Cassiæ ligneæ ℈ ij.
Croci Gr. iij. Misce, fiat puluis.

A proprietate menses prouocantia. Deturq; cum ℨ v. aquæ matricariæ. Parentur & pulueres ex illis, quæ propriè menstrua prouocant, vt sunt *arthemisia, rubea, saluia, origanum, pulegium; radix gladioli, cyperi, asari, cassia lignea, spica nardi, squinanthi, myrrha, dictamnus albus.* Multum valet & *succus sabinæ,* si exhibeatur *cum croco & cassia lignea in aqua extractionis raphani aut pimpinellæ.* Vel:

℞ *Beto-*

℞ *Betonicæ,*
Squinanthi,
Cinnamomi,
Cyperi,
Mari,
Nigellæ,
Caßiæ ligneæ,

Ireos ana ʒ j. *Terantur in puluerem craßiorem, qui decoquatur in* ℔ j. *vini albi odoriferi. Colentur,* & colatura exhibeatur. Sed plurimum in hóc casu valent suffumigia & pessaria. De suffumigiis inquit Hipp. 5. *Aph.* 28. *Suffitus aromatum muliebria ducit, &c.* Pessaria formâ digiti parantur ex aromatis, lana, cera vel carnibus ficuum, vel alia re exceptis, & induntur in matricem vel nuda, vel syndone obducta, filo alligato, vt retrahi possint. Hęc sæpe non tantum superfluitates educunt, sed etiam retentum & corruptum semen. Plurimum commendantur radix & *succus mercurialis,* ad hunc vsum, vt: *Pessaria ex quibus formentur.*

℞ *Succi mercurialis* ℥ ij. *Pessarium.*
Salis nitri, Salis gemmæ ana ʒ j.
Carnis ficuum q. s. Fiat pessarium.

Item: ℞ *Pulueris Gentianæ,* *Aliud.*
Sabinæ,
Arthemisiæ rubræ,
Pulegii,
Radicum Centaurij maioris ana ʒ iij.
Pulpæ colocynthidos ʒ ß. *Misceantur, & addatur succi rutæ vel mercurialis, q. s. fiat pulpa,* pro pessario.

Vel fortius:

℞ *Sabinæ, Nigellæ,* *Aliud fortius.*

Gentianæ,
Pulegii, ana ℥ iij.
Staphysagriæ, ℨ j.
Pulpæ colocynthidos ℥ ß. Misce.

Fiat puluis & cum ℥ ij. optimæ theriacæ ac succi mercurialis conficiatur massa pro pessario. Sed formis medicamentorum pleni sunt libri practicantiũ, quibus tunc vtendum est, cùm & humores cum meatibus ipsis benè sunt præparati, illi ad fluxum, hi ad transmissionem.

DE SISTENDIS MENSIBVS, SI nimium fluant.

NIMIVS mensium fluxus aut criticus est, aut symptomaticus. Criticus, cùm natura onus superflui sanguinis excutit, & fluxum moderatur & regit, id quando fit, adsunt signa plethoræ, & sequitur corporis alleuatio. Symptomaticus non regitur à natura, sed fit à causa irritata præter naturam, quæ est aut procatarctica, aut interna. Interna est vel in virtute, vel in vtero, vel in sanguinis massa. Virtute enim retentrice debilitata menses immodicè fluunt, sicut vtero laboráte hæmorrhoidibus aut affecto rhagadiis, vlceribus, erosione: Item si apertæ, ruptæ, incisæ sunt venæ, idem sequitur. Eodem modo si immodica sit in venis plethora distendens & vrgens vasa, atq; cum impetu in vterum irruens, aut si sit sanguis nimium tenuis, vel aquosus, vel acris. Procatarcticæ causę sunt partus non naturalis, magnitudo membri virilis, abortus, subitus pauor & consternatio, & similia. Cumque non tantùm sanguis, sed & alii humo-

humores per vterum expurgentur, fit, vt menses aliquando rubeant, & vt plurimum, præsertim in sanis colore purpureo, quandoque claro lucidoq; rubore, quandoque tendunt ad flauedinem, aut albicant aut nigricant. Criticus fluxus restringi non debet, neque symptomaticus statim inter initia & subito, sicut omne spontaneorũ fluxuum genus. Intentiones curatiuæ sumuntur à morbo, qui est fluxio, & à materia fluxionis. Ergo quantum ad partem mandantem & meatus, per quos fluit, & partem, ad quam fertur, reuellenda est fluxio & deriuanda. Reuelletur phlebotomia basilicæ dextræ, de qua non vna vice multus, sed iterato paucus sanguis extrahatur. Vtuntur etiam aliqui pro reuulsione phlebotomia venarum in naribus, & prouocatione profluuii sanguinis narium. Diuertetur cucurbita aut sub mammillas defixa, teste Hipp. 5. *Aph.* 50. *Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitam quam maximam ad mammas apponas:* aut supra epar & lienem per quindecim dies continuos. Deriuat optimè & apertio hæmorrhoidum. Quantum ad sanguinem ipsum, si sit biliosus, feruens, tenuis, alteretur & euacuetur. In quo casu plurimum valent *myrobalani citrini, rhabarbarum, electuarium de succo rosar. syrupus rosatus solutiuus.* Deinde adhibeantur ea, quæ sanguinem densant, meatus astringunt, impetum fluxionis remorantur, & retentricem roborant; ad quem vsum conducent *syrupus de succo plantaginis, de succo acetosæ, myrtinus, rosatus, de rosis siccis, rob de ribes, cum aquis plantaginis, portulacæ, acetosæ, rosarum.* Item *saccharum rosatum*, item *trocisci de terra sigillata, de carabe, de spodio, cum semine acetosæ*, & exhibeantur pul-

ueris morsulorum & electuarii forma, vt:

Conditum. ℞ *Saccbari rosati ℥ ij.*
Lapidis hæmatitis præparati,
Trociscorum de Carabe,
De terra sigillata,
De spodio, ana ℥ j.
Syrupi myrtini, vel de rosis siccis, q. s. fiat conditum. Valet etiam *confectum de scoria ferri,* quæ extat apud Rhazen *lib. 9.*

Electuarium. ℞ *Myrobalanorum emblicorum num. xij.*
Chebulorum num. vj.
Nucis moschatæ ℥ ij.
Olibani ℥ j ß.
Squinanthi P j.
Rosarum rubrarum,
Balaustiorum ana ℥ ij.
Coquantur in ℔ ij. aquæ puræ ad consumptionem partis dimidiæ. Colaturæ ℞ ℔ j.
Mellis mundi ℥ iiij.
Coquantur denuò ad consumptionem aquæ & perfectionem mellis. Deinde
℞ *Pulu. trociscorũ de rosis, descriptione Rhasis ℥ iij.*
Pulueris nucis moschatæ ℥ ij.
Rosarum rubrarum ℥ j.
Balaustiorum ℥ ß.
Squinanthi ℈ j.
Cumini leuiter assati ℈ ij.
Mellis emblicorum superius descripti ℥ iiij. Fiat electuarium, de quo manè exhibeatur ℥ j ß. dissoluta in vino rubro styptico, in quo prius ferbuerint *balaustiorum, squinanthi, seminis agni casti, melissæ, ana ℥ ij.* Repellunt sanguinem lotiones pedum ex rebus stypticis, vel inunctiones, vt:

℞ *Succi*

℞ *Succi Plantaginis,* — *Linimentum pedum.*
Solatri,
Semperuiui ana ℥ ß.
Corallorum rubrorum,
Thuris,
Mastiches, ana ʒ j ß.
Coriandri præparati,
Seminis rosarum rubrarum, ana ℈ ij.
Seminis hyoscyami albi,
Cortitum radicum mandragoræ ana ʒ ß.

Aceti nigri fortissimi q. s. fiat linimentum ad pedes, quo perungantur plantæ & malleoli. Inhibent etiam ac sistunt emplastra & cerata applicata ventri & pedibus,& pessaria vtero indita. Vt:

℞ *Succi Plantaginis* ℔ j. — *Emplastrum.*
Aqu. Plantaginis ℔ ß.
Aceti ℥ ij.
Corallorum rubrorum,
Carabe,
Lapidis hæmatitis,
Boli armeni,
Myrtillorum,
Cupularum glandium,
Olibani ana ʒ j.
Terræ sigillatæ ℥ j.
Farinæ hordei ʒ iiij.
Olei Myrtini,
Rosati completi, Cidoniorum ana partes æquales, fiat emplastrum super pectinem & renes, vel:

℞ *Boli armeni,* — *Aliud.*
Terræ sigillatæ, Sanguinis draconis ana ℥ ß.
Thuris, Mastiches,
Myrrhæ ana ʒ ij.

Pilorum

Pilorum leporis combustorum,
Pilorum talpæ combustorum, ana ℥ j ß.
Acatiæ,
Hypocystidos, ana ℥ j.
Seminis Acetosæ,
Plantaginis,
Portulacæ,
Cidoniorum, ana ℥ ij.

Terantur omnia in puluerem, & subigantur cum oleo rosato omphacino, atque additis resina & pice q. s. fiat Magdaleon. *Pessaria.* Pessaria conficiuntur ex *olibano, gallis, balaustiis, myrtillis, sumach, mastiche, exceptis carne vel miua cidoniorum.* Ex iisdem & suffumigia fiant: & commendatur tale, quod

Pilula pro suffumigio.

℞ *Vngulæ asini vel equi,* ℥ j.
Pellis anguillæ siccatæ ℥ ß.
Thuris,
Mastiches ana ℥ ij.

Terantur in pulucrem, & excipiantur succo cidoniorum, inde formentur pilulæ magnitudine auellanæ ad suffumigium manè & vesperi. Si his remediis non abscindatur fluxus, detur ℥ j. philonii persici, & iteretur vsus eius, prout fuerit opus.

DE MENSIBVS ALBIS SEV DE *fluxu muliebri, eiusque curatione.*

Indicationes curatiuæ vnde sumãtur.

FLVXVS muliebris seu mensium alborum, sicut reliqua fluxionum genera indicationes curatiuas monet sumendas esse à quinque capitibus: I. A membro mandante. II. à membro recipiente. III. à materia fluente. IV. à meatibus,

bus, per quos fertur. V. à fluxionis tempore. Siue itaque ab vtero proueniat, siue à membris reliquis, vt dictum est, scilicet à ventriculo aut epate, à quibus vt plurimum oritur vitio aliquo primæ & secundæ coctionis, siquidem color exeuntium declinat ad flauedinem, bilis flauæ: si ad albedinem, pituitæ; si ad nigredinem, humoris melancholici præparationem & expurgationem desiderat. *Semper tamen etiamsi reliqui humores adsint, phlegma coniungitur.* In bilioso ergo fluxu ventriculo & communibus venis expurgatis prius, præparetur materia cum *syrup. de acetosa, rosaceo de rosis siccis, myrtino, melle rosato dilutis, cum aquis plantaginis, acetosæ, portulacæ, endiuiæ, &c.* & expurgetur cum *diacatholico, electuario rosato, syrupo acetosæ, syrupo rosato solutiuo, rhabarbaro, myrobalanis citrinis.* In phlegmatico fluxu præparetur cum *syrupo de betonica, simplici & composito, de radicibus, melle rosato, additis aquis betonicæ, saluiæ, fœniculi, melissæ, &c.* Et euacuetur cum *infusione agarici, electuario de hiera simplici & composita, benedicta, diaturbith.* In melancholico præparetur cum *syrupo de epithymo, de lupulis, de succo buglossæ, melle rosato, & aquis melissæ, buglossæ, lupulorum.* Euacuetur cum *diacatholicone, diasenæ, confectione hamech, myrobalanis Indis.* Corpore diligenter expurgato, reliqua cura dirigatur ad roborationē membrorum principalium, vt epar & ventriculus rectè coquant alimentum, ne amplius talia superflua generentur & coaceruentur: & ad fluxionis abscissionem per ea, quæ intus & foris, subtus supraque applicantur. Conueniunt autem in hoc casu eadem, quæ in superfluo mense dicta sunt, vt *mel emblicorum, confectio de scoria ferri, trocisci de carabe, de*

be, de terra sigillata, de spodio, cum semine acetosæ. Item, *puluis ex thure, mastiche, bolo armeno, cornu cerui vsto, lapide hæmatite præparato, corallis rubris, gummi arabico, tragacantho.* Applicentur & ventri emplastra stiptica, & fiant suffitus ex stipticis. Item vteri ablutiones cum vino rubro stiptico, extinctionis chalybis aut decoctionis scoriæ ferri.

DE CVRATIONE STRANGVLATUS VTERI.

Curatio paroxysmi. VTERI strangulatus aliter, quoad causam antecedentem extra paroxysmū, aliter, quoad continentem in paroxysmo præsente curatur. In præsente paroxysmo fiat retractio spirituum & humorum ab interioribus ad exteriora, & quidem ad extremū per fortes ligaturas & frictiones crurum, item coxarum, & affixu cucurbitarum sine scarificatu. Naribus adhibeantur fœtida, vt sunt castorium, galbanum, assa fœtida, sagapenum, suffitus ex incenso sulphure, pennis perdicum, capillis mulieris strangulatæ, croco, corrigiis calceamentorū, laciniis panni rubri. Os vteri & inguina perungantur odoratis cum aliqua frictione & titillatu, vt *oleo nucis moschatæ, olei de spica, conditis moscho & ambra & gallia vel alipta moschata, aut styrace liquida*: vel formentur pessaria aut pulueres, qui in matricem iniiciantur. Vt:

Puluis. ℞ *Ligni Aloës,*
Styracis calamitæ,
Caryophyllorum,
Pessarium. *Cinnamomi, ana* ℥ j.
Moschi, Ambræ, ana ℈ j.

Consi-

Conficiatur puluis, vel cum ſtyrace liquida, aut alipta *moſchata*, aut *oleo de ſpica, peſſarium*. Refugit enim matrix fœtida, & appetit odorata. Poſſunt & crurum lotiones fieri manè & veſperi pro reuulſione ex decocto *radicum ireos, calamenthi, radicũ ciclaminis*. Ventri imponatur emplaſtrum de galbano Montagnanę, & detur intra corpus *caſtorium diſſolutũ in aq. meliſſæ, aut matricariæ*, vel *pilulæ confectæ ex aſſa fœt. theriaca vel mithridatio opt. & ſemine dauci*.

Extra paroxyſmum, ſi mulier grauida non fuerit, phlebotometur, pręſertim vbi plethora adfuerit, & aperiantur primum brachii, deinde crurum venæ, ſicut in retentione menſium dictum eſt. Phlebotomia enim materiam & pabulum ſemini ſubtrahit. Deinde purgetur cum *pilulis aggregatiuis, & maſtichinis*, pręmiſſa p̄paratione humoris frigidi, pituitoſi & melancholici, & immittãtur in matricem peſſaria & liquores, qui retẽtum & corruptũ ſemen prouocent, *ſi ſtrangulatus oriatur ex ſeminis retentione*, qualia s̃. tradidimus *in menſium prouocatione & mola*. Sed præſentius nihil eſt conſuetudine viri, ſi eſt nupta; ſi nupta non eſt, elocetur. *Extra paroxyſmum.*

Si ex menſium retentione aut inflammatione vteri ſtrangulatus fuerit obortus, tollatur obſtructio impediens profluuium menſium, & ſanetur inflammatio eo modo, quo dictum eſt.

DE CVRATIONE PROCIDENtiæ vteri.

IN pręcipitatione vteri, priuſquã topica adhibeantur, corpus euacuetur *phlebotomia & pharmacis* per os aſſumptis, & forma enematum iniectis.

In

In declinatione ſecetur baſilica brachii, quæ oppoſita eſt lateri, in quod vterus decumbit. In deſcenſu cephalica; in aſcenſu ſaphena pedum, aut vena ſub poplite. Poſtea præparetur materia & euacuetur, quæ ferè eſt phlegmatica coniuncta cum flatibus. Poſtea ſi vterus in latus dextrum decumbat, applicetur cucurbita magna lateri ſiniſtro, & in eodem latere fiant frictiones & ligaturæ fortes. Exhibeatur & hic puluis ieiuno ſtomacho:

Puluis.

℞ *Baccarum lauri,*
Cornu cerui vſti, ana ℥ ij.
Ariſtolochiæ rotundæ ℈ ij.
Miſce, fiat puluis.

Si vterus procidat & egrediatur, reducatur in locum ab obſtetrice cum digitis oleo inunctis, quod

℞ *Olei Maſtichini,*
Roſati omphacini ana ℥ ij. *Miſc.*

Poſtea aſpergatur puluis, qui

℞ *Cupularum glandium,*
Balauſtiorum,
Corticum granatorum,
Myrtillorum, ana ℈ j.
Thuris,
Maſtiches,
Acatiæ,
Hypocyſtidos, ana ℥ ß.
Miſceantur, fiat puluis.

Infra vmbilicum ſupra ſumen defigatur cucurbita magna ad ſpatium vnius horæ, & conficiantur emplaſtra ex rebus ſtypticis, de quibus *in præcedentibus capitibus* dictum eſt, quæ applicentur

dorſo

dorſo è directo vteri ad inania. Suffiatur vterus cum fœtidis infrà, vt ex *colophonia*, *maſtiche*, *aſſa fœtida*, naribus odorata admoueantur, contrà, quàm in aſcenſu. Commendatur *ceratum Meſue ex gallia moſchata*, impoſitum ſupra vmbilicum, ita vt pluſculum vergat ad ſtomachum.

DE ARTHRITIDIS, CHIRAGRÆ, *podagræ, & iſchiadis curatione.*

CAPVT XXII.

ARTICVLOS corporis varii dolores occupant, & fatigant. Alii enim oſſium membranas, vel muſculos, vel neruos, vel partes intermedias infeſtant, quales ſunt in morbo Gallico, in febribus quartanis, & ſimilibus morbis: Alii ſolos articulos exercent, quos Græci vno nomine Arthritidos complectuntur vniuerſos in quacunq; corporis parte exiſtunt, cruribus brachiiſque exceptis, vbi, ſi in brachiis carpum vel digitorum articulos ac vincula vel cubiti etiam humerivè iuncturam dolor obſidet, chyragram; ſi malleolos pedum vel articulos tarſi aut digitorum pedis, & maximè pollicis & genuum, podagram; ſi articulum coxendicis, ea parte, qua nerui â lumbis & oſſe ſacro progredientes in crura deſcendunt, nominant *Iſchiadem*. Sunt autem dolores tales periodici, & recrudeſcunt atque exacerbantur per interualla, ſed nec ſtata, nec perpetua. Si digitos, manum aut carpum inuadit arthritis, tumor adeſt tum partis, tum venarum ſummæ cutis cum rubore, calore, & dolore pulſante. In Iſchiade tumor conſpicuus non eſt, rarò etiam rubor calorq;

apparent, eò, quod pars affecta in profundo delitescit, & summa cutis venulis pertexta non est. Humeris quidem arthritis dolorem infert insignem, sed ferè tamen absque tumore, rubore vel calore euidente. Cubiti genuumq; arthritis ferè cum dolore sæuo & tumore insigni inuadit, sed rubore & calore exiguo.

Causa continens doloris arthritici. Causa continens doloris arthritici est humor præter naturam collectus non tàm in articulorum cauo, quàm sub membranis, quæ extrinsecus articulorum extrema ambiunt ac vestiunt, & ad neruos ac tendines articulorum, implens articulum equsq;, vt membranas, ligamenta, neruos ac tendines distendat. Etsi autem Hipp. 6. *Aph.* 49. videtur podagram facere inflammationem, cùm inquit: *Quicunq; morbi podagrici fiunt, illis sedata inflammatione in diebus quadraginta finiuntur:* tamen inflammationem ibi non propriè accipiendam esse, sed de calore, qui excitatur præter naturã, vel inde constat, quod chordæ & nerui non inflammantur, nisi sequatur conuulsio, quam ad arthritidem non sequi, docet experientia, sed doloris causa est *Doloris causa in arthritide.* *tensio, quam tumor efficit. Etsi autem non apparet tumor perpetuò, tamen nunquam est arthritis sine tumore. Idcirco morb⁹ est in magnitudine.* Causa antecedens est πλεονεξία seu redundantia humorum in toto corpore, *Causa antecedens.* vel in capite, & humores alias sunt sanguinei secundùm Gal. aliàs, & vt plurimum phlegmatici, & verius crudi humores: aliàs ex phlegmate & bile mixti, & idcirco aliàs magis, aliàs minus tenues, sed tamen semper aliquid tenuitatis habent, propter quam promptè fluunt; progressu temporis tamen à calore excocti paulatim crassescunt, &

lento-

lentorem etiam ac visciditatem acquirunt, & in nonnullis vi alieni caloris, qui intenditur ratione attractionis, aut vi medicamentorum prorsus induratur in soliditatem lapidum, vnde pori & tophi in articulis nascuntur.

Sunt itaque causæ arthritidis imbecillitas articulorum recipientium fluxionem, & humores in articulos depulsi; vnde verò & per quos meatus humores in articulos ferantur, quæstio est. Arthritidis materiam alii ex venis oriri contendunt, alii tantùm ex capitis partibus externis, extrà caluam sub cute, quo partim cerebrum, partim venæ ab extremis iugularibus eò deductæ, tenuia ac serosa excrementa deponunt, quæ aut copia incitata, aut calore dissoluta, aut frigore expressa, non per spinalem medullam, aut neruos & musculos, sed sub summa cute, vbi laxæ & amplæ sunt viæ, decurrunt ad extrema, & si articuli sint imbecilles, in hos sese insinuent atque imbuant. Ersi autem certum est etiam testimonio ægrotorum sæpissimè à capite materiam arthritidis oriri; tamē & quandoque ex venis affluere humores ad articulos testimonio Hipp. constat, qui febres sæpe desinere in dolores arthriticos prodidit, & sunt etiam huius rei argumenta plura, & tunc etiam, cùm à capite præcipitati humores arthritidem cient; tamen ratione doloris noua materia attrahitur ex vicinis venis cum calore & spiritibus, vnde calor ruborq; tumoris prouenit. *Sunt ergo membra mandantia caput & habitus corporis: Recipientia sunt articuli*, quorum imbecillitas æstimanda est ex ligamentorum laxitate, & viarum amplitudine, siue à primo ortu ex parentum semine sit contracta, siue ab aliis

Dubitatio de membro mandante, & viis, per quas.

Membra mandantia.

Recipientia.

ab aliis causis, quæ emolliunt ac laxant articulos, vt Veneris & balneorum creber vsus: Item contusiones articulorum. *Viæ, per quas feruntur fluxiones, sunt laxa & ampla spatia sub cute & venis.* Materia sunt superfluitates phlegmaticæ aut serosæ in capite & venis collectæ, crapulis, largiore potu vini meracioris, immodico somno, otio, intermissione exercitationum, suppressione consuetarum euacuationum, vt vrinæ, sudoris & similium.

Viæ, per quas.
Materia.

DE CVRATIONE.

CVRATIO partim in præseruatione, partim in paroxysmi præsentis amotione consistit. Præseruatio tollit causam antecedentem, quietam adhuc & nondum motam, phlebotomiâ & purgationibus corporis, vt tàm vasa liberentur à superfluitatibus, quàm reliqua spacia, in quibus illæ asseruantur: & si corpus sit plethoricum, copiosior fiat phlebotomia; si sit cacochymicum, purgatio sit copiosior. In præsente paroxysmo aliud causa antecedens iam mota, id est, humores fluentes, aliud causa continens indicat & exigit. Humores fluentes reuellendi sunt per antispasin & deriuandi. Reuulsio fit phlebotomia & clysteribus; Deriuatio phlebotomiâ, cucurbitis & similibus. Causa antecedens nondum mota, id est, humores superflui euacuationem desiderant; si vitiosi sint, medicamentis purgantibus & deinceps aliis, quæ habitum totius corporis euacuant, vt sudoribus, exercitiis, ieiuniis. In brachii dextri ergo affectionibus secentur pro reuulsione (præmissa tamen semper ventris lenitione) aut

Præseruatio.
Amotio paroxysmi.

venæ

venæ pedum, aut brachii ſiniſtri; contrarium fiat, ſi laboret brachium ſiniſtrum. Fiant & ſcarificatus in pedibus & in dorſo. Item clyſteria applicentur paulò acriora.

In Iſchiade, ſi ad coxam dextram dolor fuerit, aperiatur baſilica brachii dextri pro reuulſione, ſed vena & malleolus exterior eiuſdem pedis, quam ſciaticam vulgo vocant, vel vena ſub flexu genuum pro deriuatione. Apponantur & cucurbitæ cum ſcarificatu ſupra genua. Secundò in iſchiadicis Galenus maximè laudat pro reuulſione prouocationem vomitus, quo materia ſurſum reuellatur; pro deriuatione laudat cucurbitas cum ſcarificatu ſuper nares, & clyſteria acuta alternis diebus. Tertiò concoquatur & euacuetur materia, quæ eſt cauſa antecedens adhuc quieta, cui, cùm ſit magna ex parte phlegmatica, conueniunt *ſyrup. de betonica, de ſtœchade, de iua, mel roſatum, oxymel. cum aquis betonicæ, ſaluiæ, hyſſopi, endiuiæ, cichorii, &c.* Si materia ſit calida, addatur aliquid *ſyrupi de endiuia, de roſis:* poſtea fiat euacuatio cum *agarico*, cum *pilulis de hiera Nicolai cum aureis Nicolai, pilulis cochiis, de hermodactylis, artheticis*, ſemper incipiendo à mitioribus. Quartò exhibeantur confortantia, quibus roboretur membrum mandans, ne amplius generet & tranſmittat ſuperfluitates, vt ſunt *conſerua Iuæ, acori, ſtœchados, ſaluiæ, florum betonicæ, roſarum.* Clyſteriorum forma vbique eſt, ſed admiſceantur ſemper, quæ caput & articulos reſpiciunt, vt ſunt *ſtœchas, herba paralyſis, iua arthetica, maiorana, abrotanum, betonica, &c.* Ex ſolutiuis *agaricus, colocynthis, hiera ſimplex & compoſita, benedicta, hiera logodion, hiera Ruffi,*

Curatio doloris iſchiadici.

Ita Veſalius lib. 3. cap. 10. prope finem.

Caput reſpicientia.

Alterantia.

Soluentia.

electuarium Indum: incipiendo à leniſſimis. Quintò, quantum ad membrum recipiens in fluxione tenui calida, & in principio à quauis arthritide, laudat Galenus apocruſtica ad repulſionem humorum influentium excepta iſchiade. Poſſunt autem applicari repercuſſiua talia:

Emplaſtrum confortans membrum recipiens.

℞ *Sumach*,
Myrtillorum,
Boli armeni ana ʒ j.
Santali albi & rubri,
Acatiæ,
Gallarum,
Balauſtiorum, *ana* ʒ ß.
Aq. Roſarum,
Plantaginis, *ana* ℥ j ß.
Olei roſati ℥ iij.
Aceti ℥ j.
Farinæ lentium vel hordei q. ſ.

Fiat emplaſtrum.

Si fluxio conſtiterit, vitentur frigida omnia & valde calida, quod plus attrahunt, & quod tenue eſt, reſoluunt, craſſum indurant. Optima ſunt, quæ dolorem leniunt moderatè reſoluendo cauſam continentem, quale eſt, quod

Sacculus dolorem leniens.

℞ *Florum Chamomillæ*,
Milii mundi,
Furfurum, *ana M* iij.
Salis M j ß. *Fiat ſacculus.*

Vel fiat *decoctum chamomillæ*, *meliloti*, *maluæ*, *althææ*, *furfurum*, *ſeminis lini*, *fœnugræci &c.* quibus roborationis cauſa addi poteſt aliquid de ſtypticis, vt de *roſis rubris*, *balauſtiis*, *ſumach*, & ſimilibus. Vel:

℞ *Lactis*

℞ *Lactis vaccini* ℔ ß.
Medullæ panis q. s. *Emplastrum.*

Addito croco, fiat emplastrum, cui, si libuerit, addantur *mucilagines seminis lini, fœnugraci, althea, flores chamomillæ, meliloti* : vel fiant unctiones ex his *mucilaginibus cum butyro, pinguedinibus anatis, anseris, gallinæ, &c.*

Δόξα τῷ Θεῷ

INDEX
RERVM ET VERBORVM IN HAC PRACTICA CONTENTORVM.

A.

D.

Ἐμπύημα

F.

G.

H.

I.

Lumbri-

O.

P.

Pleu-

Vngues

Vteri

FINIS INDICIS.

IMPRESSVM

FRANCOFORTI AD MOE-
NVM IN OFFICINA NICO-
LAI HOFFMANNI, SVMTI-
bus Ioannis Berneri bibliopo-
læ Francoforden-
ſis.

Anno M. DC. XIV.